INSTITUTIONES
JURIS CANONICI
IN TRES PARTES,
AC SEX TOMOS DISTRIBUTÆ,
QUIBUS
VETUS ET NOVA ECCLESIÆ DISCIPLINA ET MUTATIONUM CAUSÆ ENARRANTUR
A DOMINICO CAVALLARIO
JURIS CANONICI ET CIVILIS PROFESSORE CONSCRIPTÆ.

TOMUS SEXTUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI. EX TYPOGRAPHIA REGIA.

MDCCC.

Se hallará en la Librería de Don Felipe Alverá, *Carrera de San Gerónimo, frente á la calle del Baño.*

INDEX

CAPITUM TERTIÆ PARTIS

TOMI SEXTI.

CAP. XIX.	*De judiciis & eorum ordine generatim.*	Pag. 1
CAP. XX.	*De ordinario judicio civili ecclesiastico, & in primis de in jus vocatione.*	9
CAP. XXI.	*De contumacibus.*	15
CAP. XXII.	*De exceptionibus & mutuis petitionibus.*	17
CAP. XXIII.	*De litis contestatione.*	23
CAP. XXIV.	*De jurejurando propter calumniam.*	26
CAP. XXV.	*De probationibus.*	30
CAP. XXVI.	*De summario judicio ecclesiastico.*	46
CAP. XXVII.	*De veteri judicio criminali ecclesiastico.*	48
CAP. XXVIII.	*De purgatione canonica & vulgari.*	55
CAP. XXIX.	*De hodierno judicio criminali ecclesiastico.*	66
CAP. XXX.	*De sententia & re judicata.*	80
CAP. XXXI.	*De sententiæ executione.*	88
CAP. XXXII.	*De appellationibus.*	92
CAP. XXXIII.	*De appellationibus tanquam ab abusu, seu de regia protectione.*	116
CAP. XXXIV.	*De in integrum restitutione.*	131
CAP. XXXV.	*De criminibus ecclesiasticis, & primum de apostasia.*	138
CAP. XXXVI.	*De hæresi.*	148
CAP. XXXVII.	*De schismate.*	162
CAP. XXXVIII.	*De simonia.*	166
CAP. XXXIX.	*De pœnis & censuris ecclesiasticis generatim.*	180
CAP. XL.	*De excommunicatione.*	192

CAP.

CAP. XLI. *De interdicto.* 209
CAP. XLII. *De suspensione.* 214
CAP. XLIII. *De absolutione à censuris.* 218
CAP. XLIV. *De depositione & reliquis pœnis ecclesiasticis.* 223

INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

PARS III. TOM. VI.

CAPUT XIX.

De judiciis & eorum ordine generatim.

Judicii descriptio.

§. I. Leges in Republica & Canones in Ecclesia nullius essent usus, nisi per judicia ad dirimendas controversias applicarentur. Judicii nomine venit legitima discussio inter actorem & reum apud judicem competentem litis finiendæ vel maleficii puniendi causa. Convenit hæc definitio non minus civili, quam ecclesiastico externi fori judicio; nam in foro interno ex nova disciplina tantum judex & reus judicio adsunt. Ita in quolibet externi fori judicio judex, actor & reus interveniunt; at certe judicia æstimantur & censentur à solis judicibus, qui juris, de quo partes experiuntur & concertant, disceptatores legitimi sunt. Jus enim, ut ait Tullius (*a*), judicii finis est; ex quo etiam nomen, nimirum quasi *juridicium*, ut Cassiodorus observat, late accepto judicii nomine etiam pro nuda cognitione, quam pedarii judices habent (*b*).

Judicia alia ecclesiastica, alia sæcularia.

§. II. Multæ sunt judiciorum species pro varia negotiorum, quæ disceptantur, indole, & pro varia, qua instituuntur, ratione. Principio judicium aliud est ecclesiasticum, aliud sæculare. Ecclesiasticum in foro Ecclesiæ disceptat causas ecclesiasticas, sive illæ mere spirituales sint, quæ natura sua subjacent Ecclesiæ cognitioni; sive temporales, puta causæ Clericorum civiles. Sed ecclesiasticum de criminibus judicium in veteri disciplina internum tantum fuit & sacramentale; at moribus jamdiu receptis Ecclesia judicat & sacramentali ratione de criminibus omnibus, & externo judicio cognoscit de criminibus ecclesiasticis & censuras infligit (*c*). Sæculare vero judicium est, in quo apud sæculares judices causæ temporales disceptantur. Utrinque veluti participat mis-

(*a*) Tull. in Topic.
(*b*) Cassiod. variar. 11., Conf. Cujac. ad tit. Decretal. de Judiciis in princip.
(*c*) Conf. dicta part. 2. cap. 23. §. 4.

misti fori judicium, in quo ecclesiasticus, aut civilis judex qui prævenerit, & causam veluti occupaverit, cognoscit. Hæc misti fori judicia, in legum & civilis imperii perniciem exorta, locum habebant in criminibus, quæ religionem & rempublicam lædere videbantur, qualia adulterium, concubinatus, sodomia, sacrilegium, crimen usurarum. Sed moribus præsentibus ferme nulla sunt misti fori judicia, tantumque apud nos ubi Clerici *assassinii* rei sunt, alteruter judex, qui captura prævenerit, cognoscit (*a*).

Judicia alia civilia, alia criminalia.

§. III. Præterea judicia alia sunt civilia, alia criminalia; omnia enim judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum gratia reperta sunt. Civilia ad privati juris sive commodi, & privatæ injuriæ persecutionem spectant; criminalia vero ad publicæ disciplinæ jam læsæ vindictam diriguntur. Ita actor in civili judicio sibi consulit, pœnam pecuniariam, aut quod sua intersit, petens sibi dari: accusator vero in criminali non privata sua commoda respicit, sed publicam vindictam, agitque ad pœnam in publicæ pacis violatæ ultionem irrogandam. Sed ecclesiastica criminalia judicia natura & origine sua non tam publicam vindictam, quam reorum pœnitentiam & conversionem spectabant; ubi vero forum externum & judiciale ab interno separatum est, pœnæ ecclesiasticæ à pristina natura degenerarunt, & veluti ad publicam vindictam cœperunt imponi.

Item alia petitoria, *alia* possessoria.

§. IV. Judicium quoque dividitur in *petitorium*, & *possessorium*, ut receptis jam vocibus utar. Petitorium, quod *dominii litem* Paulus appellat (*b*), est in quo de proprietate agitur, vel de alio jure seorsum à possessione, vel quasi: possessio est rerum corporalium, puta prædiorum; quasi possessio est incorporalium, uti servitutis, ususfructus. Ita dicimur agere petitorio, si petamus hæreditatem, vindicemus servitutem, vel de quocumque jure, puta eligendi, aut de dominio disceptemus. Judicium possessorium, quod per interdicta jure civili exercetur, in sola possessione versatur, quæriturque, utrum quis possideat an non; item de adipiscenda, retinenda, aut recuperanda possessione, quæstione dominii ad maturius examen rejecta. Etenim nihil habet commune possessio cum proprietate (*c*), licet possit utrumque judicium cumulari. Separata vero quæstio de possessione præstat, ut possessione probata, adversario incumbat probare jus suum in proprietatis judicio, quo non probato, res manebit apud possessorem (*d*).

Ju-

(*a*) Concord. cap. 3. n. 3.
(*b*) L. 18. D. de Usur.
(*c*) L. 12 §. 1. D. de Acquir. possess., cap. 3. 4. & 6. ext. de Causa possess. & propriet.
(*d*) §. 4. Inst. civil. de Interd.

Judicium aliud ordinarium, *aliud* summarium.

§. V. Sed à forma procedendi judicium aliud est *ordinarium*, aliud *summarium*. Illud actus omnes & solemnia, quæ in judiciis leges præscribunt, servat tam circa ea, quæ pertinent ad intrinsecam naturam judicii, quam circa solemnia. Hoc vero, omissis solemnibus, ea tantum servat, quæ intrinseca judiciis sunt, ea nempe sine quibus de veritate & justitia non constat. Inde vero dictum videtur summarium, quod in legibus Romanis sæpe judices *summatim* procedere præcipiuntur (*a*). Hæc distinctio ab jure Romano originem trahit, non quod ordinaria & summaria decretalium judicia per omnia judiciis Romanorum respondeant; sed potius quod in multis judiciis Romani consueto more & servato judiciorum ordine, in aliis rejectis ambagibus judicabant. Sane in jure Romano actiones occurrunt, in quibus consueto more dato judice pedaneo ex formula præscripta procedebatur: & extraordinariæ cognitiones, persecutiones, vel actiones, in quibus prætor non dato judice pedaneo breviter & sine ambagibus procedebat & decernebat.

Ordo judiciorum legibus præscriptus.

§. VI. Judiciales disceptationes ordine procedere debent, confusione enim obscurantur potius, quam explicantur partium jura. Ordo iste *judicium* etiam dicitur, passim *processus* audit; est vero dispositio idonea actorum judicialium semet invicem præscripto modo subsequentium ut in lite coram judice mota omnis confusio evitetur, veritas eruatur, & suum cuique tribuatur. Et profecto ordo judiciarius est legibus præscriptus, judicisque est ordinem procedendi dirigere per interlocutiones, ne partes à tramite legitimo declinent (*b*): qua in re nihil suo sensu, sed omnia auctoritate legum & Canonum judex constituere debet. Hinc si jurisdictionis ordo pervertatur, nihil agitur, & omnia in irritum mittuntur. *Prolatam*, inquit Imperator Alexander (*c*), *à præside sententiam contra solitum judiciorum ordinem, auctoritatem rei judicatæ non obtinere certum est.*

Causæ spirituales sacris Canonibus deciduntur.

§. VII. Quando autem judicia ad dirimendas controversias & crimina punienda reperta sunt, age, videamus, quibus legibus causæ ecclesiasticæ judicandæ sunt. Et certum est, causas spirituales, de fide nempe, ritibus sacramentalibus, delictis canonicis & cæteris hujusmodi secundum Evangelium & sacros Canones debere judicari; res enim spirituales apud christianos Evangelio & sacris

Ca-

(*a*) L. 5. §. 8. D. de Agnosc. & alend. liber., l. 15. §. 4. D. de Re judic.
(*b*) Cap. 19. ext. de Judic., cap. 22. ext. de Accusat.
(*c*) L. 4. C. de Sentent. & interlocut.

Canonibus innituntur. Hinc in antiquis Conciliis in medio throno codices duo solebant collocari, Evangeliorum unus, Canonum alter, ut ad eos veluti ad Lydios lapides in explorandis fidei dogmatibus, & disciplinaribus quæstionibus decidendis recurreretur. Inde etiam in Conciliis ubi regularia judicia tractabantur, magistratus, qui ordini servando præerant, discedebant (*a*). Ipsi Principes hanc veritatem agnoverunt, & toties professi sunt, negotia ecclesiastica secundum Canones esse decidenda. *Quoties de religione agitur*, inquiunt Arcadius & Honorius (*b*), *Episcopus convenit judicare, cæteras vero causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportet audire.* Et Justinianus aperte habet, crimina ecclesiastica examinari & emendari *secundum sacras & divinas regulas* (*c*). Quod vero qui in Canones legibus confirmatos peccabant, duplici crimine se adstringebant; hinc ubi judicio Ecclesiæ res judicatæ erant, sæpe partes suas civilis magistratus interponebat, qui legibus decretas pœnas irrogabat. Et hoc sensu intelligendum illud, quod in veteribus monumentis sæpe occurrit, negotia ecclesiastica secundum Canones & leges esse judicanda.

Causæ civiles olim ab Episcopis jure civili decisæ.

§. VIII. Quod vero spectat civiles & pecuniarias causas, quæ judicibus ecclesiasticis Principum privilegio addictæ sunt, eæ in veteri disciplina ex legibus civilibus judicabantur. Certe in veteribus Conciliis ferme nulli extant Canones, qui de rebus civilibus & profanis tractant. Deinde Justinianus dum Monachos & sanctimoniales in causis civilibus apud Episcopum conveniri jussit, aperte habet, causas *secundum leges & sacratissimas regulas* esse judicandas (*d*): quo loco sacratæ regulæ non spectant principale negotium, sed potius modum, quo judicia tractari oportebat. Patres quoque Concilii Vasensis II. ad legem civilem provocant, ubi de infantibus expositis tractant: *De expositis id servandum visum est, ut secundum statuta fidelissimorum Principum quisquis expositum colligit, Ecclesiam contestetur.* Quis porro nescit, mediis sæculis Ecclesiam & ecclesiasticos legibus Romanis vixisse, dum interim laici etiam ejusdem civitatis non una eademque lege utebantur? Id autem quid aliud est, quam causas Ecclesiæ & Clericorum jure Romano, laicorum vero propriis legibus fuisse judicatas? Quin ubi generatim Clerici jure Romano in Occidentis provinciis vivebant, non defuerunt, qui jure Salico, aut Langobardo utebantur, quod pluribus productis monumentis Muratorius (*e*) adstruit. Hinc factum, ut ad de-

(*a*) Conf. superius dicta cap. 14. §. 10.
(*b*) L. 1. C. Th de Religione.
(*c*) Novell. LXXXIII.
(*d*) Novell. LXXIX. cap. 1.
(*e*) Murator. diss. XXII. antiq. Italic.

decidendas Ecclesiarum & Clericorum civiles causas sæpe duella de gentium more indicta sint, quod ipse Alteserra observat (*a*). Non negaverim tamen, olim Episcopos causas pecuniarias, sive Clericorum, sive laicorum æquitate potius quam jure scripto judicasse; at id factum est, non quod leges civiles in similibus causis silere deberent, sed quod Episcopi tanquam arbitri & compositores cognoscebant (*b*).

Inde Canonibus judicare cœperunt.

§. IX. Verum labentibus annis, quæ causæ legibus Romanis aut patriis moribus decidebantur, sacris Canonibus judicari cœperunt (*c*). Invaluerunt hi mores, ubi Pontifices supra ipsos Principes habiti sunt, atque adeo erupit doctrina, statuta laicorum, etiam quæ respiciunt commodum & favorem Ecclesiæ & Clericorum, nullius firmitatis esse, nisi Ecclesiæ auctoritate probarentur, idque quia laicis in Ecclesias & personas ecclesiasticas nulla competit potestas: quod novum dogma Innocentius III. proponit (*d*). Ita Synodorum & Pontificum auctoritate multi Canones & decretales prodierunt de rebus civilibus & profanis, in quibus legislatio à legibus civilibus & statutis populorum ut plurimum diversa proponitur. Et jam circa annum CIↃCCXX. tantus erat cumulus novorum Canonum & decretalium, ut raræ essent causæ, quæ non possent statutis canonicis expediri (*e*). Ut vero nova hæc disciplina feliciter cederet, ubi jus civile Justiniani ex Italia in alias provincias diffundebatur, Honorius III. dejectione ab advocati munere & excommunicatione interdixit, ut Parisiis vel in civitatibus vicinis quisquam docere, vel audire jus civile præsumeret (*f*). Tantum ubi Romanæ leges novis Canonibus & decretalibus conveniunt, aut alias Clericorum commoda spectant, veluti in subsidium probatæ sunt: quod spectat Lucii III. rescriptum, ubi causa nuntiationis novi operis *secundum legum & Canonum statuta* decidi mandatur (*g*). Interim nova hac jurisprudentia ad decidendas causas Ecclesiarum & Clericorum proposita valde turbata est civilis politia, & usus regiæ potestatis in Ecclesiam & Clericos in dies diminui cœpit.

Judicia canonica ordine legum pertractata.

§. X. Nec tantum causæ ecclesiasticæ, quæ res spirituales non spectabant, ex legibus civilibus judicabantur; verum etiam ordo judiciarius in ipsis judiciis canonicis, in quibus de criminibus ecclecle-

(*a*) Altes. de Jurisd. eccles. lib. 7. cap. 3.
(*b*) Conf. superius dicta cap. 2.
(*c*) Cap. 9. ext. de Foro comp.
(*d*) Cap. *Ecclesia S. Mariæ* 10 ext. de Constitutionib.
(*e*) Cap. *Super specula* 28. ext. de Privileg.
(*f*) Cit. cap. 28.
(*g*) Cap. 1. ext. de Novi oper. nuntiat.

clesiasticis agebatur, ex legibus publicis formam accipiebat, quod Feuretius & Petrus de Marca docent (*a*). Sane Julius Papa nullam contendebat damnationem Athanasii in Tyrio Concilio peractam, quod absente reo, idest non evocato ad testium prolationem, adversus ordinem legibus constitutum decreta esset (*b*). Et Gregorius M. Joanni defensori eunti in Hispaniam commonitorium dedit legibus Theodosii & novellis Justiniani instructum, ut sententias ab Episcopis Hispanis latas nullas esse revinceret, eo quod non servatis legum solemnibus prolatæ essent (*c*). Hinc ex laudata Justiniani novella concludit: *Ecce admonendus est semper adversarius, ut ad audiendos testes adveniat: quod quia hic omissum est, necesse est, ut quod contra legem actum est, non habeat firmitatem.* Porro idem Gregorius sententias Hispanorum irritas ostendit, quod legibus paritum non est, quæ sententias ex periculo & scripto recitari jubent. Hæc procedendi in judiciis canonicis forma diu in Ecclesia stetit; sæculo enim XI. Ivo Carnotensis (*d*) nullum esse dixit modum procedendi Comitis Suessionensis, qui uxorem adulterii accusaverat, *quia eam judiciario ordine non pulsaverat*: inde addit formam ab Justiniano in novella CXVII. cap. 15. præscriptam; concluditque ex jure civili, meras conjecturas non sufficere ad accusatos damnandos.

Episcopi causas civiles sine solemnibus judicabant.

§. XI. Judicia quidem canonica, seu de criminibus puniendis ex legum forma Ecclesia ordinare consuevit; at contra in causis pecuniariis, posthabitis legum solemnibus, ex bono & æquo diu apud Episcopos peracta sunt. Nimirum in causis pecuniariis potius ut arbitri, quam judices Episcopi cognoscebant, idque curabant unum, ut sedatis animorum motibus litigantes cito in concordiam redirent (*e*). Vetus hæc judiciorum forma extat apud auctorem constitutionum apostolicarum, qui judicia ex bono & æquo procul fori ambagibus ab Episcopo in presbyterio sedente expeditas exhibet (*f*). Stetit eadem judicandi forma, ubi Clerici in causis pecuniariis à magistratuum jurisdictione exempti sunt, & forum ecclesiasticum tanquam proprium meruerunt. Certe Justinianus tanti privilegii auctor edixit, ut Episcopi celeriter sine scriptura solemni & de more Sacerdotum causas pecuniarias Clericorum definirent, idque ne illi litibus implicati ab altaris ministerio avocarentur (*g*). Ipsa quoque constitutio, quæ sub nomine Constantini statuit, ut litigan-

(*a*) Feuret. de Abusu lib. 1. cap. 9. n. 3 & seq., Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 4. cap. 21. n. 7.
(*b*) Jul. epist. ad Orientales apud Athanas.
(*c*) Greg. M. lib. 11. ep. LIV.
(*d*) Ivo Carnotens. ep. CCLXXX.
(*e*) Conf. superius dicta cap. 2. §. 7.
(*f*) Const. apost. lib. 2. cap. 47.
(*g*) Novell. LXXXIII.

gantibus, etiam parte altera invita, liceat sacrosanctæ legis Antistitis judicium eligere, causas sine fori strepitu tractandas præcipit (*a*). Quo tempore lex ista consarcinata est, nescitur: certe vero Breviariis Codicis Theodosiani inserta est, & inde inter capitularia Regum Francorum abiit (*b*). Ita constat etiam IX. sæculo lites pecuniarias apud Episcopos ex bono & æquo fuisse tractatas, licet episcopalia arbitria in veram jurisdictionem crevissent.

Episcopalis forus tricis forensibus involutus.

§. XII. Hæc simplex & plana causas pecuniarias decidendi forma deinceps mutata est, atque adeo ordo judicarius in civilibus per forenses ambages explicari cœpit, in criminalibus vero novas, multasque adjectiones admisit. Tantæ mutationis causam præsertim præbuit studium juris civilis, quod in Italia sæculo XII. iterum florere, & in academiis publice doceri cœpit. Nempe huic studio in primis operam dederunt Clerici, qui legum scientia non contenti, eas in usum deducere voluerunt, atque ita novum ordinem judiciarium ipsis legibus, immo etiam earum glossematis inædificarunt (*c*). Operi perficiundo accesserunt Romani Pontifices, qui Romanas leges statim amplexi sunt, & earum auctoritate uti cœperunt, quod constat ex S. Bernardo, qui Eugenium III. ita graviter alloquitur (*d*): *Quotidie perstrepunt in palatio leges, sed Justiniani, non Domini. Justene etiam istud? tu videris. Nam certe lex Domini immaculata convertens animas. Hæc autem non tam leges, quam lites sunt & cavillationes subvertentes judicium.* Et profecto Alexander III. & Innocentius III. & deinceps successores earum legum peritia imbuti, inde responsa dederunt, inde ordinem judiciorum dictarunt, multa innovarunt, sæpe etiam contra expressas leges statuerunt. Hinc bona pars libri primi decretalium Gregorii IX. & integer liber secundus nihil aliud continet, nisi modum & formam causas instruendi & decidendi.

Ordo judiciarius in foro civili ex decretalibus desumptus.

§. XIII. Ordo judiciarius decretalium auctoritate procusus non solum in ecclesiastico, sed etiam pro maxima parte in civili foro receptus est. *Totus ordo judiciorum*, inquit Cujacius (*e*), *qui ubique gentium in orbe christiano observatur, hunc solum* (jus pontificium) *veluti fundum habet.* Nimirum apud gentes, quæ in Occidente nova regna fundarunt, non tricis forensibus judicia constabant, sed veritas demonstrari credebatur vanis probationibus per aquam calidam, frigidam, ferrum candens,

(*a*) L. 1 de Episcopali judic. ad calcem C. Th.
(*b*) Capitul. lib. 6. cap. 366.
(*c*) Confer. Espen. part. 3. tit. 7. cap. 1.
(*d*) S. Bernard. lib. 1. de Consid. cap. 4.
(*e*) Cujac. præf. in lib. 4. Decretal.

dens, duellum, aliosque consimiles modos, quibus miraculo opus erat ad eruendam veritatem: obtinebantque probationes istæ non minus in re criminali, quam civili. Late vero propagata duella, quæ etiam si testes falsitatis arguerentur, usurpabant. Sed demum deliria ista gentes respuerunt, eorumque loco formam judicandi in foris ecclesiasticis, quam cognitam habebant, adoptarunt, præsertim quando ecclesiasticæ formæ ipsi laici erant assueti, qui in plerisque causis tum apud Episcopos conveniebantur, quod Montesquius observat (*a*). Eo etiam contulerunt Clerici, qui ubi desueverant vulgares probationes, judicibus laicis in jure dicundo assessores accesserunt: judices enim laici utpote milites & nobiles nulla litterarum & legum peritia imbuti, Clericos necessario adsciscebant in consilium, quibus jurisdictionem etiam mandabant (*b*). Et ita Clerici judicibus laicis assidentes decretalium formulas in civile forum intulerunt.

Judicia certo tempore finienda.

§. XIV. Jam ex regulis Romani juris causæ civiles & privatæ triennio, criminales vero biennio à die contestationis finiri debent, quibus spatiis exactis instantia judicii perimitur (*c*). Convenit hoc jus fini institutarum societatum & reorum conditioni. Quid enim magis abnorme, quam cives diuturnis odiis & litibus implicari? & quid porro magis inhumanum, quam reos diuturno carcere macerari, & continuis afflictionibus destrui? Eadem jurisprudentia etiam in decretalibus repetita videtur: rescriptum enim Honorii III., quo triennio minime perempta instantia decernitur (*d*), aperte in eam speciem conceptum est, qua machinis & cavillis actoris triennium exactum erat (*e*): nec recte Gonzalez tenet, ab Honorio jus civile abrogari. Cæterum etsi jure decretalium instantia biennio aut triennio finiri debeat; tamen reapse lites ultra legitima spatia protractæ, idque ex ipsis decretalium scitis, quæ ab omni gravamine & quavis interlocutione appellari permittunt, & porro multa alia impedimenta ad lites in longum trahendas proponunt. Itaque Tridentini Patres demum huic malo remedium quæsiverunt, statuentes, ut causæ omnes fori ecclesiastici coram ordinariis locorum saltem biennio à die motæ litis terminentur (*f*). At regula ista in usum deducta non videtur: & in civili foro ob litium multitudinem lapsu temporis instantia non perimitur.

CA-

(*a*) Montesquieu de l'Esprit. des loix lib. 28. chap 40.
(*b*) Conf. Fleurius jur eccles. part. 3. cap. 6. n. 1.
(*c*) L. 13. de Judic., l. 3. C. Ut intra certum tempus.
(*d*) Cap. 20. ext. de Judic.
(*e*) Conf. Covarrubias in cap. *Quamvis* de pactis in 6., & Cujac. in cit. cap. 20.
(*f*) Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 20.

CAPUT XX.

De ordinario judicio civili ecclesiastico, in primis de in jus vocatione.

In jus vocatio & citatio quomodo differunt.

§. I. Ordo judiciarius in decretalibus statutus ab juris canonici tironibus non debet ignorari; quamvis enim decretales, quæ tricas forenses exhibent, longe distent à purioribus disciplinæ regulis, tamen quando judicia jure decretalium instrui cœperunt, ordinem judiciarium in civilibus & in criminalibus saltem paucis oportet enarrare. Judicium civile late sumptum ab in jus vocatione sumit exordium. Est in jus vocare juris experiundi causa vocare apud magistratum (*a*). Veteri Romano jure ipsi actori potestas erat adversarium suum in jus vocandi, qui nisi confestim iret, aut vadimonium promitteret, vi facta rapiebatur (*b*). Ita citatio ab in jus vocatione differebat: citatio enim fiebat jussu judicis per præconem, interdum etiam edicto; nec tantum reus, verum etiam actor, patroni & testes in judicium citabantur (*c*). At labentibus annis sublata veteri judiciorum forma, potestas in jus vocandi actori ablata est, & nova invaluit in jus vocandi ratio, quæ fit auctoritate judicis, quæque eadem est ac citatio. Latius vero patet citatio, quam in jus vocatio; illa enim usurpatur in quavis judicii parte, dum singuli actus judiciarii litigantibus manifestantur, hæc vero restringitur ad primam citationem, unde judicium incipit (*d*). Omni autem judicio inest citatio, & ad ejus intimam naturam pertinet (*e*); vetat enim non minus naturalis quam civilis ratio, quenquam indefensum & inauditum damnari.

Libelli descriptio.

§. II. Decernitur in jus vocatio per judicem ad actoris postulationem, quæ libello conventionali in causis civilibus continetur. Libellus qui passim *instantia* etiam dici solet, est brevis scriptura, qua actoris petitio clare & distincte proponitur. Veteri Romano jure actiones certis & solemnibus formulis erant inclusæ, easque, antequam actores agerent, à prætore debebant impetrare (*f*): inde jure novo formulæ earumque impetrationes sublatæ sunt (*g*), & genus futuræ litis libello comprehendi cœpit, in quo speciem, genus

(*a*) L. 1. D. de in jus vocando.
(*b*) Conf. Heinec. Antiq lib. 4. tit. 6. §. 14. & seq.
(*c*) Conf. Briss. de V. S. & Ant. Matth. de Judic. disp. 7.
(*d*) Conf. Vinn. ad §. 3. Instit. de pœna temere litigant.
(*e*) L. 4. C. de Sentent. & interlocut., Clement. II. de Sentent. & de re judic.
(*f*) Conf. Heinec. loc. cit. §. 19.
(*g*) L. 1. & 2. C. de Formul. subl.

nus & nomen actionis necesse erat exprimere, si vera Cujacius observat (*a*). At jure decretalium non admodum desideratur expressio nominis actionis, & satis est pure & simpliciter factum ipsum enarrare, & in factum agere, congrua tamen ipsi facto adjecta petitione (*b*). Utiliter tamen adjicitur nomen actionis, sic enim omnis cavillandi, & reo libellum in alium sensum torquendi adimitur occasio. Cæterum libellus in omnibus civilibus causis debet adhiberi, nisi sint leviores ac breviores, quæ summario judicio tractandæ sunt (*c*).

Libelli qualitates.

§. III. Sic autem libellum concipere oportet, ut inde reus de causa plene instruatur, eoque edito deliberet, utrum cedere velit, an contendere. Hinc libellus clarus, certus, aptus esse debet, quas libelli qualitates pluribus enarrant interpretes. Et clarus quidem, nam continere debet nomen judicis, actoris & rei, item perspicuam negotii narrationem & petitionem, & quidem adjecta causa, quæ in actione in personam in specie exprimenda est, veluti ex commodato, mutuo (*d*); at in actione in rem sufficit causam proximam, seu dominium allegare. Ratio differentiæ est, quod deberi ex pluribus causis queat, dominium vero nonnisi ex una causa contingere possit (*e*). Hinc in actione in personam, nisi causa in specie addatur, dubius remanet reus, nec de causa instruitur: contra in actionem in rem illa causa censetur deducta, unde dominium quæsitum est. Certus quoque debet esse libellus, ut nempe rem petitam certis signis demonstret (*f*), nec petitio sit conditionalis, generalis, aut alternativa, nisi actio natura sua sit generalis, qualis est petitio hæreditatis, aut alternativa, qualis jure Romano est actio noxalis (*g*). Et demum aptus libellus dicitur, si petitio subjecta facto & negotio exposito respondeat: nam si quis rem possidens, agat nihilominus in rem, aut agens ex empto præstationes diversæ actionis libello persequatur, frustra postulat (*h*). Ubi aliqua ex his qualitatibus deficit, libellus obscurus, dubius, ineptus audit, integrumque reo est ea de re expostulare, quin officio judicis contineri ajunt, ineptos aliosve deficientes libellos repudiare.

Emendatio & mutatio libelli quando permissa.

§. IV. Quod si libellus ineptus sit, aut alias in actione proponenda erretur, an liceat actori actionem, atque adeo libellum ipsum,

(*a*) Cujac. in cap. 6. ext. de Judic.
(*b*) Cap. 15. ext. de Judic.
(*c*) Clement. II. de V. S.
(*d*) Cap. 3. ext. de Libelli oblatione.
(*e*) L. 3. §. 4. D. de Adquir. possess. Conf. Donell. l. 23. Comm. c. 4.
(*f*) Cap. 2. ext. eodem.
(*g*) Conf. Huber. Prælect. ad pandectas, l. 2. t. 13. num. 8. & seq.
(*h*) Cap. 15. ext. de Judic.

sum, emendare, aut mutare. Emendari dicitur actio, quum error tollitur, aut defectus suppletur, integra remanente illius substantia; mutari vero quum repudiata veteri actio nova intenditur, veluti si actor aliud pro alio, aut idem ex alia causa petere instituat. Et actionis quidem emendatio & ante & post litem contestatam ad sententiam usque jure permissa est: similiter mutatio actionis ante litem contestatam recte peragitur: at num etiam fieri possit postea ad sententiam usque inter juris civilis interpretes non convenit: quamvis alioquin satis expressa videri possit Justiniani sententia, etiam *in eodem judicio* licere actionem mutare, ita tamen ut actor reo expensas factas refundat, eique novam actionem edat, concedatque deliberandi spatium (*a*). At si ita est, non erit idem judicium: & recte observat Vinnius (*b*), idem dici judicium, quod apud eumdem judicem sine nova in jus vocatione continuatur. Jure decretalium ubi inepta proponitur actio, reus ab instantia absolvitur, si actor errorem in tempore non emendaverit, licetque deinceps convenientiorem actionem intentare (*c*).

Citatio alia simplex, alia peremtoria.

§. V. Jam vero in jus vocatio seu citatio alia simplex est, alia peremtoria. Simplex continet merum præceptum, ut reus intra certum diem judici se sistat, nec ante reum facit contumacem, nisi tertio repetatur, quod legis mansuetudo introduxit. Contra peremtoria præstituto die reum comparare jubet, eumque, si non veniat, facit contumacem; in peremtorio enim comminatur judex, etiam absente parte adversa se cogniturum, nec passurum, ut adversarius ultra tergiversetur (*d*). Edictum peremtorium jure civili post tres simplices citationes impetratur, aliquando post unam & alteram, aliquando statim, quod appellatur *unum pro omnibus*; pendetque ab arbitrio ejus, qui jus dicit, pro causæ, personæ aut temporis conditione ordinem & compendium edictorum moderare (*e*). Sufficiebat autem jure veteri & novo codicis singulas citationes decem dierum spatia distingui (*f*): at jure novellarum triginta dierum intervallum singulis citationum edictis necessarium est (*g*). Jure decretalium intervalla dierum inter unam & alteram citationem arbitrio judicantis decernuntur (*h*): & profecto æquius est, tempus contrahere, aut producere, prout diversa locorum ratio postulavit: sicque civilis etiam fori usu receptum est.

De-

(*a*) §. 35. Inst. civil. de actionib., novel. 53. cap. 3. Conf. Perez in lib. 2. C. titulo 1. n. 9.
(*b*) Vinnius in cit. §. 35.
(*c*) Cap. 15. ext. de Judic.
(*d*) L. 71. D. de Judic. cap. 6. ext. de Dolo & contum.
(*e*) L. 72. D. eod.
(*f*) L. 69. D. de Judic., l. 13. §. 2. C. de Judic.
(*g*) Novell. CXII. cap. 3.
(*h*) Cap. 7. ext. de Dolo & contum., Clement. I. de Judic.

Decretum citationis nomen judicis debet continere.

§. VI. Ut vero citatio legitima sit, plura debet continere, nomen nempe judicis, item diem & locum, quando & quo reus se sistere debet, nec causa citationis omittenda est. Et judicis quidem nomen decreto citationis contineri necesse est; tum quia jure novo citatio ex jurisdictione descendit (*a*), tum etiam ut videat reus, num ad competentem judicem vocetur. Quoniam vero judex delegatus alienam exercet jurisdictionem, citationis decreto inserendum est exemplum litterarum, quibus ei mandata causa est (*b*); nec enim alias de ejus jurisdictione reo constare potest. Quod si judex in jus vocans incompetens sit, debet etiam reus comparere privilegia sua allegaturus, judicis enim est æstimare, num sua jurisdictio sit (*c*). Nec obturbat regula juris, *neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere* (*d*); nam ea tantum propria dicitur causa, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet, quod Ulpianus observat (*e*). Verum tum debet reus judici incompetenti se sistere, si non constet esse incompetentem: nam ubi notorium id est, reus non tenetur comparere: quod passim interpretes tradunt.

Locus judicii quando in citatione exprimendus.

§. VII. Certus quoque locus, quo reus venire & se sistere judici præsentem debet litteris citatoriis exprimendus est: quod præcipue obtinet, si judex delegatus sit, non item si sit ordinarius; hic enim suum certo loco tribunal habet, ille non habet. Sed si ordinarius judex velit extra locum, quo solet judicare, jus dicere, locum etiam oportet designari (*f*). Locus autem, in quem reus vocatur, ipsius citantis jurisdictioni subjectus esse debet, & præterea ipsi citato tutus; contra naturam enim videtur esse, cogi reum ad locum non tutum venire (*g*). Sive autem locus ipse judicii tutus non sit, sive alius per quem reus transire debet, idem jus est (*h*); sed eo adhibito discrimine, ut si notorium sit, locum reo tutum non esse, citatio ipso jure nulla sit (*i*); si notorium non sit, valeat citatio, incumbat vero reo probatio, sibi locum tutum non esse (*k*). At inquies, ubi tutus non est judicii locus, potest reus per procuratorem respondere. Video, sed hoc ipso excusatur reus, quod ei per se respondere non licet.

De

(*a*) Clement. II. Ut lite pendente.
(*b*) Cap. 2. ext. de Dilationib.
(*c*) L. 5. D. de Judic.
(*d*) L. un. C. Ne quis in sua causa judic.
(*e*) L. 1. §. 11. D. Quando appellandum sit.
(*f*) L. 59. D. de Judic.
(*g*) Clement. II. de Sentent. & re judic.
(*h*) Cap. 4. ext. Ut lite non contest.
(*i*) Cit. Clement. II.
(*k*) Cap. 7. §. 3. de Sent. excomm. in 6.

De die, quo reus apud judicem tenetur comparere.

§. VIII. Porro dies, quo reus judici se sistere debet, certus sit oportet, eumque arbitratu boni viri judex ipse præstituet, spectatis locorum, temporum & personarum adjunctis. Præstitutus autem dies feriatus esse non debet. Feriati seu *feriatici* dies, ut appellat Ulpianus (*a*), sunt quibus lite vacant aures, seu quibus fora conquiescunt, iique alii religionis causa, alii ad humanum usum sunt instituti, quorum hi sunt feriæ messis & vindemiarum, illi sunt dies devotionum, seu festi dies, quibus religioni vacandum est. Jure civili judiciales actus feriatis diebus inutiliter expediuntur nisi litigatores sponte sua veniant ad judicem (*b*); quod præsertim de feriis humanis cautum videtur, nam diebus religionis ne consentientibus quidem partibus actus judiciales utiliter expediuntur (*c*). Similiter jure decretalium in feriis humanis ex partium consensu recte judicia agitantur; in feriis religionis omnino nulli sunt actus judiciales, etsi partium consensu expediti (*d*). Sed his regulis non ligantur Romani Pontifices, qui etiam feriatis diebus & quidem ipsa dominica die actus judiciales expedire consueverunt, reosque citare ut se apud Sedem Apostolicam sisterent (*e*).

Causa citationis exprimi debet.

§. IX. Item in litteris citatoriis causa, cur reus vocetur, exprimi debet, ut ita ille deliberare possit, num cedere, an contendere velit. Veteri Romano jure quum fiebat in jus vocatio, causa non aperiebatur, sed demum ubi in jus seu apud prætorem ventum erat, edebatur actio, atque adeo causa vocationis reo innotescebat (*f*). Inde sublato veteri in jus vocationis ritu edixit Justinianus, ut in ipsa vocatione libellus conventionalis reo tradatur (*g*): quo ipso in jus vocatio & actionis editio in unum actum coaluerunt. Jure decretalium non admodum necessarium est, vocationis causam exprimere, aut simul libellum reo offerre: supponunt enim Pontifices facta citatione reum aliquando plene de causa instructum non esse (*h*). Hinc reo in judicium venienti edebatur libellus, & simul dabantur induciæ deliberatoriæ, quibus ille edita jam actione de lite suscipienda deliberaret. Sed jam pene omnium locorum statutis cautum est, aut usu fori receptum, ut causa citationis

(*a*) L. 2. D. de Feriis.
(*b*) L. 1. §. 1. D. eod.
(*c*) L. 2. in fin. C. de Feriis.
(*d*) Cap. ult. ext. de Feriis.
(*e*) Cap. 6. ext. de Dolo & contum., cap. 15. ext. de Accusat.
(*f*) Conf. Heinec. Antiq. lib. 4. tit. 6. §. 19.
(*g*) Novell. LIII. cap. 3. auth. *Offeratur*, C. de Litis contest.
(*h*) Cap. 2. ext. de Dilationib., Clement. II. Ut lite pendente.

nis decreto ipso exprimatur, vel libellus simul reo offeratur: & apud nos sanctæ Inquisitionis judicium sapit, ubi citationis causa recitetur.

Citatio reo denuntianda.

§. X. Decreta per judicem in jus vocatio reo manifestanda est, quæ denuntiatio apparitoris, seu publici nuncii opera solet expediri. Denuntiatur autem vel in ipsa rei facie, vel ad domum (*a*); in faciem si rei copia haberi possit, alias ad domum, ubi habitat, aut si plures domos habeat, in qua frequentius residet, aut residere tenetur. Et quamvis veteri Romano jure de propria domo in jus vocatio prohiberetur (*b*); id tamen ea ratione receptum erat, quod in jus vocatio privata auctoritate & adhibita vi fieri soleret. Quod si reus absit, & ubi sit ignoretur, per edictum publico loco affixum evocandus est (*c*), ut ita reus absens per amicos aut propinquos, quibus edictum patet, admoneatur, quod jure præsumitur. Si vero reus degat in alieno territorio, auctoritate judicis illius loci citari debet (*d*). Et si citandi vagam ducant vitam, & rei immobilis controversia sit, in loco rei sitæ citationis executio videtur fieri debere, idque per edictum publico loco affixum. Quacunque vero ratione citatio facta sit, nuntius id in acta referre debet, & quidem diei, loci, modi factæ citationis aliisque adjunctis expressis.

Effectus citationis.

§. XI. Jure facta in jus vocatione plures effectus producuntur. Principio causa coram judice, qui in jus vocavit, pertractanda est, etsi reus postquam adesse jussus est, alterius fori esse cœperit, in ea etiam causa non habet fori revocandi potestatem, quasi præventus (*e*). Item citatione perpetuantur judicis delegati jurisdictio, sic ut mortuo delegante non expiret (*f*). Præscriptio etiam triginta annorum (*g*), & aliquando etiam longi temporis usurpatur (*h*). Post citationem quoque lis pendere dicitur, modo in ea talia expressa sint, unde reus plene de causa instrui potest: quod demum Clemens V. generaliter statuit (*i*); jure enim civili lis pendebat demum à contestatione, qua judicium ordinabatur, tantumque ex Justiniani novellis in actionibus in rem, ubi agebatur de dominio, per in jus vocationem

(*a*) L. 13. §. 1. D. de Excusat. tut.
(*b*) L. 18. & 12. D. de in jus vocando.
(*c*) Cap. 10. ext. de Dolo & contum.
(*d*) Conf. Perezius in C. lib. 2. tit. 2. n. 12.
(*e*) L. 7. D. de Judic. cap. 19. ext. de Foro comp.
(*f*) Cap. 20. ext. de Off. deleg.
(*g*) L. 3. & 7. C. de Præscript. trig. annor.
(*h*) L. 3. in fin. C. de Ann. except.
(*i*) Clement. II. Ut lite pendente.

nem litis pendentia inducebatur (*a*). Hinc facta citatione res evadit litigiosa, nec potest alienari (*b*), nec aliquid innovandum, sed omnia in eo statu remanere debent, quo erant tempore litis motæ, idque quousque causa omnino finiatur (*c*).

CAPUT XXI.

De contumacibus.

Contumaciæ natura ejusque species.

§. I. Judici legitime vocanti parendum est, nisi vocatus contumaciæ notam subire velit. Contumacia contemtus & inobedientia est, qua quis judici præcipienti in causæ persecutione non obtemperat, qualis censetur, qui tribus edictis, aut uno pro tribus, quod peremtorium dicunt, in judicium vocatus, venire neglexerit (*d*), vel impedit, ne possit ad eum citatio pervenire (*e*), vel si venerit in judicium, judici obtemperare recusaverit (*f*), vel sine illius venia susceptum judicium deseruerit (*g*). Communiter contumacia in veram seu dolosam, & simplicem seu præsumtam dividitur. Vera est, si dolus & malitia inobedientis manifesta est; simplex vero ubi negligitur quidem jussus judicis, sed de dolo evidenter non constat. Hinc intelligitur titulus decretalium *de dolo & contumacia*, seu de contumacia dolosa & simplici, prout dolus apertus est, aut præsumitur. Et simplex quidem contumacia admittit excusationem, & legitimo impedimento probato purgari potest (*h*), nec facile ubi de dolo non constat, ad excommunicationem potest deveniri.

Pœnæ contra actorem contumacem.

§. II. Non minus reus, quam actor esse potest contumax, quin actoris contumacia major & fœdior censetur quam ipsius rei, cujus est fugere & subterfugere judicium. Utrique autem impune non ferent, quod jubenti judici non obtemperaverint. Et actor quidem si eo termino, ad quem adversarius citatus est, judici se sistere negligat, condemnatur in expensas, & ad aliam citationem non admittitur, nisi præstita cautione de judicio sisti (*i*). Imo si contingat, actorem citatum non comparere, ad causam procedere licet atque adeo testes à reo producti recipiuntur, ejus allegationes exami-

(*a*) Conf. Boehm. Jur. eccles. lib. 2. tit. 16.
(*b*) L. 18. D. de Rei vind., cap. 3. ext. Ut lite pendente.
(*c*) Conf. Gonzalez in cap. 2. ext. Ut lite pendente.
(*d*) L. 3. §. 1. de Re judic.
(*e*) Cap. 5. §. 1. ext. Ut lite non contest.
(*f*) L. un. D. Si quis jus dicenti non obtemperaverit.
(*g*) Cap. 4. ext. de Dolo & contum.
(*h*) Cap. 2. ext. de Procurat.
(*i*) Cap. 1. de Dolo & contum. in 6.

minantur, & definitiva sententia profertur (*a*): qua in re distat inter actorem & reum contumacem, nam ubi iste non contestata lite contumax est, ad causam non proceditur, quod secus actore contumace constitutum est; intolerabilior enim actoris, quam rei contumacia censetur. Quod si contestata jam lite actor contumax evaserit, jure decretalium ejus procurator, si quem reliquerit, apellatur; vel si neminem reliquerit, aut procurator venire contemserit, ipse absens per edictum domui ejus affixum vocatur, & inde causa expeditur (*b*). Quæ per decretales statuta procedendi forma multum distat ab eâ, quam in eadem specie Justinianus proponit (*c*).

Pœnæ contra reum contumacem.

§. III. Quod vero spectat ad pœnas, quibus jure pontificio punitur rei contumacia, interest, num is nondum contestata lite, an vero postea contumax fiat. Si primum in actione in rem actor mittitur in possessionem bonorum, de quibus quæstio est; in actione personali mittitur actor in possessionem bonorum mobilium ipsius rei vel immobilium, si forte mobilia desint, pro debiti quantitate. Quæ quidem possessio non tam possessio est, quam custodia, ut tædio affectus reus veniat responsurus. Intra annum veniens contumax, cautione præstita judicio sisti, & refectis expensis possessionem recuperat. Quod si cautionem intra annum non offerat, actor post annum novo decreto verus possessor rerum petitarum constituitur, reo proprietatis quæstione reservata (*d*). Si vero reus jam contestata lite contumax evadat, & ex actis liqueat de causa, judex sententia sua litem definiet; si non liqueat, actor in veram possessionem mittitur, salva reo dominii lite (*e*). Sed in causis beneficiariis ob rei contumaciam missio in possessionem non decernitur, ne in beneficia vitiosus detur ingressus (*f*). Etiam jure civili si rei deseruissent vadimonium, seu condicto die in jus non venissent, aut fraudationis causa latitarent, decernebantur absentium & latitantium possessiones bonorum; at juris civilis doctrina in multis distat à decretalibus, quamvis inde sapere Pontifices crediderint, qua de re Boehmerus subtiliter commentatur (*g*).

Aliæ contra contumaces pœnæ.

§. IV. Sunt aliæ pœnæ, quibus contumacia præsertim rei coercetur, quales multæ dictio, sequestratio possessionis (*h*), quando id

(*a*) Novell. CXII. cap. 3., cap. 3. ext. eod.
(*b*) Cit. cap. 3.
(*c*) L. 13. §. 2. C. de Judic.
(*d*) Cap. 5. §. 6. ext. Ut lite non contest.
(*e*) Cap. 4. ext. de Dolo & contum.
(*f*) Cap. un. De eo, qui mittitur in possess. in 6.
(*g*) Boehmer. Jur. eccles. lib. 2. tit. 15.
(*h*) Cap. 2. ext. de Dolo & contum.

id consultius judici videbitur, condemnatio in expensas (*a*), in primis vero excommunicatio (*b*), quæ tum præcipue locum habet, si causa talis sit, in quo missio in possessionem, ordinarium contumaciæ coercendæ remedium, decerni non possit (*c*). Ex pœnis autem contra contumaces jure propositis unam, quæ magis timeri debeat, initio judex seliget, ad aliam nihilominus processurus, si id protervitas contumacis mereatur, quod non obscure Innocentius III. tradit (*d*). Verum novissimo Tridentini jure tum demum judex ecclesiasticus reum contumacem excommunicationi subjicere poterit, si persona aut re coercere nequeat (*e*); quod statutum est, ne excommunicationis fulmen vilesceret.

CAPUT XXII.

De exceptionibus, & mutuis petitionibus.

Exceptio definitur.

§. I. Proposita editaque actione si reus contendendum statuerit, se defendere debet, idque fit vel negando actionis fundamentum, vel causam fatendo quidem, sed exceptione subjuncta. Exceptio proprie & stricte sumpta *est actionis exclusio* (*f*), seu clarius, est defensio rei, quæ actioni alioquin constitutæ opposita eam ob æquitatem elidit. Ita exceptio efficacem supponit actionem, quam excludere & inefficacem reddere præ se fert, veluti si actioni ex stipulatione per vim inita metus exceptio opponatur, actio alioquin jure civili efficax eliditur (*g*). Hinc non omnis rei defensio exceptio proprie dicitur, allegationes enim illæ, quibus ipso jure actio denegatur, veluti compensationis, solutionis defensiones quidem sunt, exceptiones vero tantum lato sensu dici possunt.

Exceptionum species.

§. II. Sunt vero exceptiones duplicis generis, aliæ dilatoriæ & temporariæ, aliæ perpetuæ & peremptoriæ. Dilatoriæ principalem causam non perimunt, sed ad tempus nocent, & dilationem tribuunt, sive ob personam & jurisdictionem judicis, sive ob inhabilitatem actoris, vel procuratoris, sive ob modum procedendi, sive ob merita causæ, quales sunt exceptiones præscriptionis fori, suspecti judicis, feriarum, libelli obscuri, ante diem petitionis. Contra

(*a*) Cap. 6. ext. eod.
(*b*) Cap. 1. ext. de Judic., cap. 1. & 3. ext. Ut lite non contest.
(*c*) Cit. cap. 3.
(*d*) Cit. cap. 5 §. 8.
(*e*) Trid. sess XXV. de Reform. cap. 3.
(*f*) L. 2. D. de Exceptionib.
(*g*) §. 1. & seqq. Inst. civil. tit. de Exceptionib.

tra peremptoriæ semper agentibus obstant, & semper causam, de qua agitur, perimunt, quales exceptiones doli mali, metus, jusjurandi, pacti de pecunia omnino non petenda, item SC. Macedoniani, Vellejani, non numeratæ pecuniæ. Sed peremptoriarum aliæ esse dicuntur *litis finitæ*, aliæ *simpliciter peremptoriæ*, quarum illæ impediunt litis ingressum, quales jurisjurandi, rei judicatæ; hæ vero litis contestationem non impediunt, quales exceptio doli, metus causa.

Exceptiones quando proponendæ.

§. III. Exceptiones dilatoriæ inter exordia litis, hoc est ante litem contestatam, opponendæ sunt, quæ utriusque juris regula est (*a*): contra peremptoriæ recte opponuntur quandocunque ante latam sententiam (*b*), immo quæ appellantur litis finitæ, etiam post sententiam in actione judicati recte opponuntur, veluti si opponatur, rem alias fuisse judicatam (*c*). Sed inter dilatorias prima opponi debet præscriptio fori: nam si sciens judicem tibi competentem non esse, aliam prius opponas, jam hoc ipso in eum consentis; quo fit, ut ejus in te jurisdictio sit, quæ propria ejus non erat (*d*), nisi Clericus in judicem laicum consentiat; jure enim decretalium ex consensu Clerici jurisdictio laici judicis non prorogatur (*e*). Cæterum aliquando etiam post litem contestatam dilatorias exceptiones opponere licet, si scilicet vel exceptiones ipsæ, vel earum notitia post contestationem suboriatur (*f*). Ne vero reorum malitia lites in longum trahantur, jure decretalium cavetur, debere à judice certum dilatoriis exceptionibus opponendis diem dari, post quem illæ tantum recte opponentur, quas nova reo obtulit causa, quasve reus sibi non fuisse cognitas jurato affirmaverit (*g*): itemque illæ, quæ omissæ judicium nullum reddunt, veluti exceptio falsi procuratoris (*h*), & quæ gravamen perdurans continent, ut exceptio loci non tuti (*i*).

Excommunicationis exceptio semper proponi potest.

§. IV. Jure decretalium inter exceptiones dilatorias celebris est exceptio majoris excommunicationis, quæ in qualibet litis parte opponi potest, etiamsi reus eam intra tempus dilatoriis exceptionibus opponendis præstitutum sciens omiserit, quod jure singulari cautum est, ne quis cum periculo animæ suæ cogatur cum excommu-

(*a*) L. 12. & seq. C. de Exceptionib., cap. 20. ext. de Sent. & re judic.
(*b*) L. 4. & 8. C. eod.
(*c*) Conf. Cujac. in cap. 29. ext. de Test. & attestationib.
(*d*) L. 1. & seq. D. de Judic.
(*e*) Cap. 12. ext. de Foro comp.
(*f*) Cap. 21. ext. de Offic. deleg.
(*g*) Cap. 4. ext. de Exceptionib.
(*h*) Cap. 4. ext. de Procuratorib.
(*i*) Clement. II. de Sent. & re judic.

municato communicare (*a*). Mediis sæculis excommunicationes erant frequentissimæ, atque adeo rei excommunicationis exceptione facile ad calumniam abutebantur. Itaque cautum in Concilio Lugdunensi, ut qui ea utitur, excommunicationis speciem, nomenque excommunicatoris exprimat, & utrumque infra octo dies probet, alias judex in causa procedet, reumque damnabit in expensas, quas actor diebus illis se fecisse docuerit, itemque cautum, ne eadem excommunicatio ultra duas vices objiciatur, nisi evidens & prompta probatio superveniat (*b*). Quod si sententia super principali negotio lata sit, actor non obstante excommunicationis exceptione non vetatur provocare (*c*), cuilibet enim jure naturali defensio competit, nec justum erat, obtentu excommunicationis sententiam in rem judicatam transire. Verum reo excommunicationis exceptio opponi nequit (*d*), quippe qui invitus in judicium venit: immo vocatus tenetur respondere, ne ex sua malitia commodum sentiat; at vetatur reconvenire (*e*).

De spolii *exceptione.*

§. V. Præterea jure decretalium etiam famosa est exceptio *spolii*, qua opposita non cogitur reus actori respondere, donec per omnia restitutus fuerit. Spolium jure decretalium est privatio possessionis, vel quasi rei cujuslibet inique facta; spolium enim admittitur etiam sine vi, modo quis indebite possessione privetur (*f*); spoliatus equidem etiam is dicitur, qui juris ordine prætermisso possessione beneficii auctoritate judicis dejectus est (*g*). Exceptio spolii opposita spoliatori quocunque nomine agenti causam omnino differt, donec spoliatus restituatur (*h*), adeo inimica juri vis est. Restitutus vero censetur spoliatus, si possessionem cum omni causa, idest una cum fructibus & refectis expensis, receperit (*i*). Debet autem spolium intra quindecim dies probari, à tempore, quo objectum est, computandos (*k*), quibus elapsis nec spolio probato in causa proceditur. In causis civilibus hæc exceptio tantum ipsi spoliatori opponi potest, non tertio possessori, qui ab eo causam habet (*l*), quamvis alias actionem spolii contra tertium possessorem licet intendere. Spoliator non tantum is censetur, qui per se possessione dejecit, verum & qui dejectionem mandavit, vel suo no-

(*a*) Cap. 12. ext. de Exceptionib.
(*b*) Cap. 1. eod. in 6.
(*c*) Cap. 11. ext. eod.
(*d*) Cap. 5. ext. eod.
(*e*) Cit. cap. 5.
(*f*) Conf. Boehmer. Jur. eccles. lib. 2. tit. 13. §. 2.
(*g*) Cap. 7. ext. de Rest. spoliat.
(*h*) Cap. 2 & ult. ext. de Ordine cognit.
(*i*) Cap. 11. ext. de Rest. spoliat.
(*k*) Cap. 1. eod. in 6.
(*l*) Cit. cap. 1.

nomine factam ratam habuit (*a*). Quod si spoliatus judicio criminali pulsetur, etiam de tertii spolio potest excipere, modo probet, se omnibus suis bonis, vel majore parte per violentiam destitutum (*b*).

Contra exceptionem opponitur replicatio.

§. VI. Quemadmodum vero reus ad excludendam actionem exceptione uti ur; ita quoque fas est, actori replicatione exceptionem à reo propositam excludere, & suam actionem confirmare. Est enim replicatio exceptionis exclusio (*c*); atque adeo quamvis à parte actoris veniat, tamen potius est exceptio quam actio, quia excipienti reo opponitur, reus vero *in exceptione actor est*, ut recte Ulpianus observat (*d*). Item si contra actoris replicationem aliquid opponere reus habeat, duplicationem proponit, atque ita deinceps ex regulis juris civilis triplicationes & quadruplicationes usurpantur (*e*). Verum in foro ecclesiastico duplicationibus aut triplicationibus locus non est, sed judex ex officio iis modum imponit.

Reconventionis descriptio.

§. VII. Nec tantum exceptionibus, verum etiam contra actorem mutuis petitionibus reo uti licet in sui defensionem. Mutua petitio, seu reconventio est reciproca actio, quæ à reo convento in eodem judicio contra actorem instituitur. Hinc mutua petitione reus non excludit actoris intentionem, quod proprium exceptionis est; sed potius intendit specie quadam compensationis se tueri, & ipsam actionem retundere. Habet vero locum mutua petitio sive actione in personam, sive actione in rem reus conventus sit, non enim recepta est Ant. Fabri sententia (*f*), eum, cum quo actione in rem actum est, reconvenire non posse; & sive eadem, sive diversa causa sit; aperte enim Justinianus in novellis edixit, licere reconvenire, quæcunque demum fuerit causa, ex qua actor cum reo egit (*g*). Et si idem imperator tantum *in eodem negotio* reconventionem admittere videatur (*h*): non inepte idem negotium pro eodem judicio licet interpretari; aut si id minus placeat, dicendum per leges novellas juri codicis fuisse derogatum. Sic late acceptæ & extensæ mutuæ petitiones utilitati reipublicæ cedunt, utpote quæ litibus cito finiendis & expensarum compendio serviunt.

Ac-

(*a*) Cap. 15. ext. eod.
(*b*) Cit. cap. 1.
(*c*) L. 2. D. de Exceptionib.
(*d*) L. 1. D. eod.
(*e*) §. 1 & seq. Inst. civil. de Replicationib.
(*f*) Faber lib. 20. Conjectur. cap. 5.
(*g*) Novell. CXVI. cap. 2 §. 1.
(*h*) L. 14. C. de Sententiis & Interlocut.

Actoris, & rei reconvenientis par esse debet conditio.

§. VIII. Reconvenire licet omnibus, quibus agendi jus est; nimirum reconventio est vera actio, quam reus contra actorem intendit. Hinc excommunicatus inutiliter mutuo agit, quamvis enim recte contra actionem excipiat, ne indefensus damnetur; non tamen eidem agere licet (*a*). Actoris autem & rei mutuo agentis par esse conditio debet, atque adeo si actori ex rescripto Pontificis judex sit datus, qui *remota appellatione* cognoscat, delegatus judex etiam sine appellatione in causa mutuæ petitionis cognoscere debet; quod Cælestinus III. rescripsit (*b*); nec enim debent actor & reus diverso jure judicari (*c*), nec debet actori licere, quod reo non conceditur (*d*).

Reconventio intenditur apud judicem petitionis.

§. IX. Proponenda est reconventio apud eundem judicem, apud quem actio instituta est, sive judex ordinarius, sive delegatus sit (*e*), etiamsi alias judex actori esset incompetens: quod certo jure comprehensum est ea profecto ratione, quod æquum est, ut actor reconventus eundem habeat judicem, *cujus in agendo observat arbitrium* (*f*), seu quem ipse sponte sua contra reum adiit. Hinc Clericus, qui apud judicem civilem contra laicum experitur, apud eundem recte potest reconveniri, licet alias Clericus in judicem laicum vetetur consentire; reconventio enim non tam Clerici consensu, quam legum auctoritate nititur (*g*). Verum apud judicem delegatum tum recte mutuo agitur, si ille datus fuerit ad preces reconventi; non item si *motu proprio*, ut dicitur, electus fuerit, quum actor judicem illum non elegerit, sed fortuito sortitus sit (*h*). Nec reconventio locum habet apud judicem appellationis, hæc enim proprie sic dicta actio non censetur: nec qui appellat aliquod jus novum persequitur, sed tantum conqueritur de sententiæ iniquitate.

De tempore proponendæ reconventionis.

§. X. Porro ita fit apud rei judicem reconventio, ut non distinguatur in legibus, quo tempore sit instituenda. Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi innuere videtur, reconventionem institui posse, quousque conventionis judicium finitum non sit, *eodem durante judicio* (*i*): at in Clementinis edicitur, reconventionem instituen-

(*a*) Cap. 5. ext. de Exceptionib.
(*b*) Cap. 2. ext. de Mutuis petitionib.
(*c*) L. ult. C. de Fructib. & litium expensis.
(*d*) L. 41. D. de Regul. jur.
(*e*) Cap. 3. de Rescript. in 6.
(*f*) L. 14. C. de Sentent. & interlocut.
(*g*) Conf. Anton. Perezius lib. 7. c. tit. 45. n. 10.
(*h*) Conf. Gonzalez ad cap. 1. ext. de Mutuis petitionib. n. 10.
(*i*) Cap. 3. de Rescript. in 6.

tuendam *in ipso litis exordio*, hoc est ante litem contestatam (*a*). Utramque hanc decisionem admittunt interpretes, sed diverso effectu. Nimirum duplex est reconventionis effectus, unus ut utraque causa conventionis & reconventionis simul disceptetur & decidatur; alter est prorogatio jurisdictionis, quæ ipso jure inducitur, ut judex etiam de reconventione cognoscat, sed diverso judicio. Si reconventio ante litis contestationem proponatur, aut statim post contestationem, utraque causa simul tractatur, & si aliter judex processerit, locus est appellationi. Contra si reconventio post litem contestatam proponatur, utraque causa uno judicio non tractatur, sed tantum judicis prorogatur jurisdictio, ut etiam de mutuis petitionibus cognoscere possit (*b*).

In multis causis non est locus reconventioni.

§. XI. Sunt vero multæ causæ, quibus mutuæ petitiones objici nequeunt, sive quod suapte natura seorsum sunt tractandæ & ad exitum perducendæ, sive quod judex conventionis in reconventione judex omnino esse vetatur. Ita in causis criminalibus reconventioni locus non est (*c*), *nam innocentia, non relatione criminis reus purgatur* (*d*): nisi quæstioni criminali principaliter motæ civilis causa adjungatur, quo casu judex sententia sua utramque dirimet disceptationem (*e*). Porro in causa depositi non admittitur reconventio (*f*), tanta est depositi fides. Item nec locus reconventioni coram arbitris (*g*), quorum potestas compromisso nititur, nec ad non expressas ibi causas producitur. Nec licet reconvenire de re spirituali apud judicem laicum, cujus jurisdictio ad res spirituales nequit prorogari. Et demum reconventionem non admittit interdictum unde vi, sive actio *de spolio*, ut habent decretales: qui enim vi dejecit, conventus frustra mutuo agit, nec quidquam habere prius debet judex quam ut per vim dejectum restituat (*h*).

CA-

(*a*) Clement. II. §. 1. de V. S.
(*b*) Conf. Gonzalez in cit. cap. 1.
(*c*) L. 1. & 19. C. De his, qui accus. non possunt, Can. II. c. 3. q. 1.
(*d*) L. 5. D. de Publ. judic.
(*e*) L. 3. C. de Ordine judicior.
(*f*) Cap. ult. ext. de Deposito.
(*g*) Cap. 6 ext. de Arbitr.
(*h*) L. ult. §. 2. de Compensationib., cap. 1. ext. de Restitut. spoliat.

CAPUT XXIII.

De litis contestatione.

Contestatio litis ex principiis juris Romani.

§. I. Si quæ opponantur exceptiones, nullæ sint, aut oppositæ satis discussæ & rejectæ, aut ad causæ decisionem reservatæ, ad litis contestationem veniendum est, unde proprie lis initium habet; nec enim antea lis proprie erat, sed controversia. Veteri jure Romano lis contestata fuisse videtur, quum ordinato judicio utraque pars dicebat *testes estote*, quod Festus tradit (*a*). Ordinatum vero judicium dicebatur, ubi status controversiæ post mutuam partium narrationem determinatus erat, & prætor judicem pedaneum dabat, litigantes vero in rei gestæ fidem testibus præsentibus testimonium denuntiabant (*b*). Itaque à testibus dicta est litis contestatio; *contestari* enim erat testibus adhibitis aliquid declarare (*c*). Ritus advocandi testes inde desiit, at stetit nomen & vis contestationis, quæ idcirco jure civili novo facta est per petitionem actoris in jure propositam, & rei contradictionem seu responsionem (*d*). Sed non quælibet rei responsio litis contestationem effecit, sed quæ certa & specialis est, non ambigua, neque conditionalis, quæque continet contradictionem ejus, quod petitur. Quo fit, ut per rei confessionem lis contestata non dicatur, quum non habeat contradictionem (*e*), nec reus judicium subeat. Et quoniam in contestatione demum status controversiæ constituebatur, inde in legibus civilibus *litem contestari*, & *judicium constituere*, aut *accipere* tantundem valent: inde etiam illud erat, ut demum à contestatione judicium incipere diceretur, quod viri docti observant (*f*).

Contestatio litis secundum decretales.

§. II. Jure decretalium etiam petitione apud judicem proposita eique facta responsione lis contestatur, quamvis non per omnia inter jus civile novum, & decretales videtur convenire. *Non per positiones & responsiones ad eas*, inquit Gregorius Papa IX. (*g*), *sed per petitionem in jure propositam & responsionem secutam litis contestatio fit.* At qualis esse debet responsio? Negativa profecto, quæ ex cer-

(*a*) Fest. v. *Contestari.*
(*b*) Conf. Huber. prælect. in Pandect. lib. 5. tit. 1. n. 21.
(*c*) L. 1. §. 12. D. de Liber. agnosc.
(*d*) L. 14. § 1. C. de Judic.
(*e*) L. 73. D. de Procuratorib.
(*f*) Conf Gerard. Noodt. de Jurisd. lib. 1. cap. 15.
(*g*) Cap. un. ext. de Litis contest., cap. 54. ext. de Elect.

certa scientia procedat, & quæ litem de re principali cum actore suscipiendi animum contineat. Etenim si quis simpliciter exceptionem peremptoriam opponat, non censetur litem contestari (*a*) quia id non ea intentione facit, ut litem suscipiat, sed potius ut statim ostendat, se non teneri ad litem contestandam. Responsio autem negativa ad contestationem jure decretalium non necessario debet esse specialis, sed sufficit generalis, qua reus intentioni actoris contradicit, & litem de principe controversia suscipit. Recte vero Pontifices habent, per positiones & responsiones litem non contestari: positiones enim, quæ ab actore offeruntur, continent meram narrationem, non petitionem; & quamvis sequatur rei responsio, non tamen inducitur contestatio, quia deficit in jure petitio. Cæterum ad litem contestandam saltem jure decretalium utriusque partis præsentia opus esse non videtur; petitio enim & responsio etiam inter absentes haberi potest.

Positionibus lis plene contestatur.

§. III. Quoniam vero generalis contradictio, qua jure decretalium lis videtur contestata, non proprie statum controversiæ finiebat, sed tantum rei intentionem de judicio suscipiendo declarabat; interrogationes & responsiones partium de negotio controverso inductæ sunt, idque ab jure Romano descendere glossatores crediderunt (*b*). Interrogationes istæ *positiones* dictæ sunt, erantque quædam propositiones ex libello deductæ, & judici ab actore oblatæ, ut reus ad singula libelli momenta speciatim responderet. Oblatis positionibus jurejurando interrogabatur actor, an vera crederet, quæ proposuisset: deinceps etiam sacramento interrogabatur reus, an crederet esse vera, quæ interrogationibus comprehensa essent. Facta responsione causæ status distincte erat constitutus, & lis perfecte contestata. Quo fortasse spectavit Innocentius III., qui facta actoris petitione & secuta responsione ait, adhibitas interrogationes & responsiones, & litem *plenissime* fuisse contestatam. (*c*). Effectus positionum erat, ut si confiteretur reus, haberetur pro confesso; si vero negaret quod propositum erat, negata probandi onus actori incumberet. Hinc recte observavit Clemens V., positiones ad faciliorem expeditionem litium & clariorem probationem obtinendam longævo usu in causis fuisse admissas (*d*). Neque enim probationem directo constituunt, sed ad clariorem probationem viam pandunt, ut sciri possit quid probari, aut non probari debeat.

Con-

(*a*) Cap. 2. de Litis contest. in 6.
(*b*) Conf. Boehmer. Jur. eccles. lib. 2. tit. 5. §. 7. & seq.
(*c*) Cap. 6. ext. de Juram. calumn.
(*d*) Clement. *Sæpe* de V. S.

Contestatio litis judicii fundamentum.

§. IV. Litis contestatio ex principiis juris principium & fundamentum judiciorum est, & ante negotium non proprie lis, sed controversia censetur. Per contestationem enim status causæ finitur: & nondum constituto causæ statu quî judicium esse potest? aut quî in causa recte proceditur? Inde docuit Paulus, stipulationem *amplius non peti* non committi sola in jus vocatione, qui enim in jus vocat, non petit, sed petere vult (*a*). Ergo nulla est sententia, si litis contestatio non præcesserit (*b*). Interim sunt quædam causæ, quæ expressam litis contestationem non desiderant, quales summariæ, causæ appellationis, item quæ sine libello recte expediuntur, & ubi jus agentis contra certam personam non dirigitur. Sed ubi litis contestatio requiritur, eam ultra viginti ab oblato primo libello dies actor differre non debet.

Effectus contestationis litis.

§. V. Ex litis contestatione plures insignesque effectus oriuntur. Principio malam fidem inducit (*c*); inde enim omnino incipit reus super jure possessionis dubitare (*d*). At mala fides tribuitur etiam controversiæ motæ (*e*), imo soli etiam denuntiationi (*f*): quæ omnia non male cohærent. Scilicet proprie scientia rei alienæ, non litis contestatio malam fidem inducit, scientia autem rei alienæ, modo per denuntiationem, modo per controversiam motam, modo per litis contestationem ingeneratur. Item litis contestatio interrumpit usucapionem & præscriptionem (*g*), hoc saltem effectu, ut si usucapio post litem contestatam impleatur, reo non proficiat, si condemnetur, quod post motam controversiam usucapio in præteritum æstimatur (*h*). Fructus quoque à lite contestata desinunt adquiri, & adversario incipiunt deberi (*i*). Porro litis contestatio exceptiones dilatorias præcidit, judicisque recusandi potestatem adimit (*k*), nisi postea causa suspicionis emerserit, & mandatam jurisdictionem facit perpetuam (*l*). Et demum litis contestatione quasi contrahitur, & novatio fit (*m*): qui enim in judicium consenserunt, etiam præsumuntur velle stare judicis sententiæ, atque adeo qua-

(*a*) L. 15. D. Rem ratam haberi.
(*b*) L. 4. de Sentent. & interlocut.
(*c*) L. 25. §. 7. D. de Hæred. petit.
(*d*) L. 10. C. de Adquir. poss.
(*e*) Cit. l. 35 §. 7.
(*f*) L. 20. §. 11. D. de Hæred. petit.
(*g*) L. 10. C. de Præscript. long. temp., l. 3. C. de Præscript. triginta annorum, Can. IX. c. 16. q. 3.
(*h*) L. 26. C. de Rei vindic.
(*i*) L. 15. §. 7. de Hæred. petit.
(*k*) L. ult. C. de Exceptionib.
(*l*) Cap. 19. ext. de Off. deleg.
(*m*) L. 9. §. 1. D. de Novationib.

quasi contrahere. Hinc actio temporalis fit perpetua, morte peritura transit in hæredes, & pœnalis fit rei persecutoria (*a*).

CAPUT XXIV.

De jurejurando propter calumniam.

Jurisjurandi propter calumniam descriptio.

§. I. Quod facile poterat evenire, ut fraudibus & deceptionibus litigantes in litibus exercendis uterentur, seu potius abuterentur, è republica visum est, Sacramenti religione adstringere litigantium fidem, ut divinæ ultionis metu à calumniosis consiliis abstinerent. Hinc jure Romano & deinceps decretalium auctoritate institutum & receptum est jusjurandum propter calumniam, quo litigantes ipso judice deferente profitentur, se in causa ex fide bona procul deceptionibus & fraudibus procedere, & ideo litigare, quod causam suam bonam esse putant. Hinc actor primum jurat, *non calumniandi animo litem se movisse, sed existimando bonam causam habere*: inde jurat reus, *putantem se bona instantia uti, ad reluctandum pervenisse*, ut Justinianus habet (*b*). Utrique porro eodem sacramento promittunt, se nullam probationem exacturos, nisi eam, quam pro causa adstruenda necessariam duxerint (*c*). Ita sacramentum calumniæ magis opinionis, quam assertionis censetur, nec perjurus, dicitur, qui non obtinuit.

Jusjurandum malitiæ.

§. II. Sic descriptum propter calumniam sacramentum generale est, spectat enim totam causam, & in singulis articulis repetitum censetur. At datur præterea calumniæ jusjurandum speciale, quod in singulis actis judiciariis, prout judici videbitur, defertur, eoque jurans promittit, se non ex calumnia petere damni infecti cautionem, aut describendi testamenti facultatem. Speciale calumniæ sacramentum Bonifacius VIII. *malitiæ juramentum* appellat (*d*), quod factum videtur ad ea duo sacramenta melius distinguenda, nam alias calumnia & malitia non admodum inter se differunt (*e*). Antiquo Romano jure etiam speciale calumniæ sacramentum usurpabatur, quoties suspicio malitiæ lite pendente superveniret (*f*). Verum Justinianus satis esse duxit, in una causa semel de calumnia ge-

(*a*) L. 6. §. ult. D. de Re judic.
(*b*) L. 2. C. de Jurejurando propt. calumn.
(*c*) Auth. *In isto* C. eod.
(*d*) Cap. 2. §. 2. de Juram. calumn. in 6.
(*e*) Cujac. in c. 5. ext. de Juram. calumn.
(*f*) Conf. Boehm. Jur. eccles. lib. 2. tit. 7. §. 1.

generaliter jurari (*a*), atque adeo sacramentum calumniæ speciale videtur sustulisse; saltem controversum fuit inter antiquos interpretes, num Justinianus calumniæ speciale jusjurandum aboleverit. Quidquid vero hujus rei sit, Bonifacius VIII. malitiæ sacramentum probavit, illudque à partibus exigi voluit, quoties judex expedire judicaverit (*b*): qua jurisprudentia summus Pontifex contra Christi doctrinam sacramenti usum reddit frequentiorem.

Sacramentum de calumnia an necessario præstandum?

§. III. Jusjurandum propter calumniam non pro commodo privatorum, sed pro communi utilitate introductum est (*c*), ut nempe injecta sacramenti religione captiosa consilia & versutiæ à foro procul arcerentur. *Sic enim non lites solum*, inquit Justinianus (*d*), *sed etiam calumniatores minuentur: sic pro judiciis putabunt sese homines in sacrariis sisti*: quando nimirum fora in singulis causis undique sacramentis personabant. Hinc jure civili jusjurandum hoc per judicem exigi necessitatis est (*e*), eoque omisso judiciarium ordinem vitiari boni legum interpretes docent. Verum jure decretalium non absolutæ necessitatis est propter calumniam jusjurandum; tacite enim omitti potest, eoque tacite omisso ordo judiciarius viribus constat (*f*). Quod si litigator id urgeat, ut adversarius juret, etiam jure decretalium remitti jusjurandum sine vitio judicii non potest. Nisi velit actor jurare, protinus causa cadit, nisi velit reus, confessi & judicati loco est, in quam sententiam & leges & decretales conveniunt (*g*). Moribus præsentibus in multis provinciis veluti Gallia & Belgio de calumnia non juratur (*h*). Et præstaret profecto generatim in litibus aboleri ejusmodi sacramenta, quæ summam pietatem & religionem in jurantibus requirunt. Nec injuria dici potest, jamdiu litigantes jurare potius de calumnia committenda, quam vitanda: tantum abest, ut multiplicatis sacramentis homines in sacrariis se positos putent.

Qui jurant de calumnia.

§. IV. Præstant autem calumniæ sacramentum non modo ipsi litigatores, verum etiam eorum administri, ut advocati, procuratores, defensores, tutores & curatores (*i*). Clerici ubi apud magistratum litigabant, jure veteri etiam de calumnia jurasse videntur, etsi alias vetus disciplina eos facile jurare non pateretur: lege enim

(*a*) Novell. XLIX. cap. 3.
(*b*) Cit. cap. 2.
(*c*) L. 2. §. 4. C. de Jurejurand. propt. calumn.
(*d*) Cit. l. 2. §. 8.
(*e*) Cit. l. 2. §. 4.
(*f*) Cap. 1. §. 1. eod. in 6.
(*g*) Cit. l. 2. §. 6. & 7., cap. ult. §. 1. ext. de Juram. calumn.
(*h*) Conf. Esp. part. 3. tit. 7. cap. 4.
(*i*) Conf. Gonzalez ad cap. ult. ext. de Juram. calumn.

enim publica hoc jusjurandum erat institutum, & Clerici legibus publicis tenebantur. Primus Marcianus Imperator Clericos Constantinopolitanos ex ecclesiasticis regulis jurare vetuit (*a*): inde Henricus II. Imperator, qui sanctus dictus est, Clericis & Monachis occidentis concessit, ut in quacunque controversia, sive civili, sive criminali sacramentum subire non cogantur, sed advocatis suis id officium debeant delegare (*b*). Ita, si recte capio, Henrici privilegio cogi vetantur Clerici per se jurare, at si ipsi velint, non prohibentur; si vero nolint, vicarios ad jurandum debent constituere. Probavit Henrici privilegium Honorius III. ea tamen moderatione, ut Episcopi inconsulto Romano Pontifice, cæteri Clerici inconsultis suis Prælatis non jurent (*c*). Videtur vero necessaria superioris venia, si Clerici per se jurare velint, non item si jurandi officium aliis demandent. Hoc distant à Clericis laici, quod hi *tactis*, illi *propositis* tantum Evangeliis jurant (*d*). Clericos enim Evangelia aut reliquias Martyrum tangere Canones vetuere. Verum moribus jamdiu receptis advocati & procuratores de calumnia non jurant.

De sacramento in alterius animam.

§. V. Nec tantum in nova disciplina receptum, ut Clerici sacramento promittant, se in litibus calumnia non usuros; verum etiam inductum, vicaria alterius opera jurare possunt (*e*), quod sacramenti genus *in alterius animam* in decretalibus appellatur. Jurandi per alios facultatem Clericis Henricus II. Imperator concessit (*f*), idque fortasse de more ejus ætatis, qua sacramenta in alterius animam concepta usurpari cœperant, quod constat exemplo Regum Siciliæ, qui etsi præsentes vicaria alterius opera jurare solebant (*g*). Hinc male Jo. Barbeyracius originem jurandi per alios tribuit Clericis, qui vicariis manibus, quam suis jurare maluerunt (*h*): quod enim privilegio Clericis concessum est, ab iisdem inventum quî dici poterit? id tamen verum est, in decretalibus probari sacramenta per vicarios à Clericis præstita: quæ jurisprudentia non bene sacramentorum sanctitati videtur convenire, etsi Pufendorfius non invitus admittat sacramenta ab ipsis principalibus scripto concepta, quæ postea per vicarios recitentur (*i*). Sane jusjurandum talis actus est, qui nisi ab ipso jurante peragatur, vim omnem suam & auctoritatem amittit; solemnia enim, quibus præstatur, jurantes percellunt,

(*a*) L. 25. §. 1. C. de Episc. & Cleric.
(*b*) Lib. 2. leg. Longobard. tit. 47.
(*c*) Cap. 1. ext. de Juram. calumn.
(*d*) Cap. ult. ext. eod.
(*e*) Cap. 6. ext. eod., cap. ult. §. 1. eod. in 6., cap. 2. de Testib. in 6.
(*f*) L. 2. leg. Longobard. tit. 47.
(*g*) Conf. Cangius v. *jurare in animam alterius*.
(*h*) Barbeyrac. in Pufendorf. lib. 4. de Jure nat. & gent. cap. 2. §. 16.
(*i*) Pufendorf. loc. cit.

lunt, iisque Numinis religionem instillant. Hinc sapienter leges civiles per calumniam ab ipsis principalibus jurari statuerunt (*a*), nec unquam admiserunt, ut vicaria alterius opera sacramenta præstarentur, quamvis alias in legibus occurrant sacramenta de probabili alterius intentione (*b*), quod late Oldekopius adstruit (*c*). Et si in Romanis monumentis proditum sit, C. Valerium Flaccum vicaria fratris opera in leges jurasse (*d*), sacramentum hoc in re necessaria plebiscito admissum fuit, ut Flaccus ædilis creatus magistratum posset retinere; debebat nempe jurare in leges, quod tamen tanquam flamen dialis facere vetabatur. Quidquid vero hujus rei sit, ubi jure decretalium recepta sunt sacramenta in animam alterius, speciali mandato opus esse cœpit, ut Clerici vicariis manibus de calumnia jurent (*e*).

Quibus in causis de calumnia juratur.

§. VI. Jurari debet de calumnia *in omnibus causis*, in quibus probationes requiruntur (*f*), quod ad integritatem judiciorum sacramentum hoc jure civili spectet. Sunt vero multi juris interpretes, in primis Cujacius (*g*), qui causas criminales à generali regula excipiunt, quia in criminalibus sufficit inscriptio accusatoris in crimen, & reo conservandæ salutis omnia honesta sunt. In causis spiritualibus olim de calumnia juratum non videtur, eo quod ejusmodi causæ non ex legum præscripto, unde jusjurandum calumniæ habet originem, sed ex sacris Canonibus finiri & judicari debent, quod Eugenius III. aperte docet (*h*). Sed deinceps crescente hominum malitia Bonifacio VIII. placuit, etiam in spiritualibus de calumnia jurari, quod experientia constaret, etiam in spiritualibus calumnias frequenter usurpari (*i*). Porro de calumnia etiam in causis appellationis jurandum, etsi alias primo judicio juratum fuerit, quod idem Bonifacius statuit (*k*); quamvis enim judicium appellationis non aliam causam, quam quæ in primo judicio agitata est, contineat; tamen diversa instantia instituitur: solentque præsertim victi majore contentione appellationes persequi, atque adeo novum religionis vinculum necessarium visum fuit.

Qua

(*a*) L. 2. C. de Jurejur. propt. calumn.
(*b*) L. 13. §. 13. D. de Damno infecto.
(*c*) Oldekop. de Jurejur. in alterius animam.
(*d*) Ap. Livium lib. 21. c. 50. & ult.
(*e*) Cap. 3. de Juram. calumn. in 6.
(*f*) L. 1. C. de Jurejurando propter calumn.
(*g*) Cujac. in cap. 1. ext. de Jur. calumn.
(*h*) Cap. 2. ext. eod.
(*i*) Cap. 1. §. ult. eod. in 6.
(*k*) Cap. 2. eod. in 6.

Qua parte litis de calumnia jurandum.

§. VII. Ex principiis juris civilis inter exordia litis propter calumniam jurandum est (*a*), hoc est statim post litem contestatam: ordinato enim judicio & statu controversiæ definito, litigantes opinionem bonæ causæ poterant habere. Consentiunt decretales, quæ demum contestata lite de calumnia jusjurandum præstitum exhibent (*b*). Verum jure decretalium non necessario post litem contestatam jurandum est; initio enim litis hoc sacramentum exhiberi non pertinet ad ordinis judiciarii naturam. Et hinc si primo litis exordio juratum non sit, postea in qualibet litis parte jurari potest (*c*). Cæterum moribus præsentibus, ubi adhuc hoc sacramentum usu viget, satius esset, ante litem contestatam de calumnia jurari: in ipsa enim litis contestatione litigantes malitiæ suæ documenta edere solent, id liberius se facere posse putantes, quod de calumnia adhuc juratum non sit.

CAPUT XXV.

De probationibus.

Probationis descriptio, ejusque species.

§. I. Lite contestata, & sacramento calumniæ utrinque præstito probationes faciendæ sunt, quibus de veritate facti controversi constet, nec enim judici sententiam ferre licet, nisi cognita factorum veritate (*d*). Est in hac causa probatio actus judicialis, quo judici facti controversi per argumenta idonea veritas demonstratur. Passim probatio in plenam seu perfectam, & semiplenam seu imperfectam dividitur. Plena facti veritatem evincit & extra dubium ponit, quatenus tamen in judiciis sufficit, nec enim ut probatio plena sit, desideratur mathematica evidentia, quum etiam instrumenta & testes fallere possint, imo etiam ipsa *inspectio ocularis peritorum* (*e*). Semiplenam dubiam rem relinquit, potestque esse major vel minor, prout magis minusve ad plenam probationem accedit. Hinc ubi plena non est probatio, sacramenti religione in causis civilibus probationis defectus suppletur, & inde sententia fertur: in causis vero criminalibus jure civili non est locus sacramento ad supplendas probationes, sed jure canonico in dubiis criminibus juratur in probationem, qua de re inferius dicendum est.

Se-

(*a*) L. 2. C. de Jurejurando propter calumn., auth. *Hoc sacramentum* C. eod.
(*b*) Cap. 6. ext. de Juram. calumn.
(*c*) Cap. 1. eod. in 6.
(*d*) Can. X. c. 30. q. 5.
(*e*) Cap. 14. ext. de Probationib.

Semiplenæ probationes non rejiciendæ.

§. II. Ex recentioribus eruditis multi, præsertim Duarenus, Ant. Faber & Donellus (*a*) semiplenas probationes tanquam omnino nullas & vanas rejiciunt, atque adeo tenent, omnino probatum non esse, quod perfecte probatum non est; quemadmodum vitiose cautum non videtur cautum, & stipulatio, emptio, venditio, testamentum nisi jure perfecta, nihil sunt. Verum semiplenæ probationes immerito traducuntur tam inclementer; quamvis enim solæ legitimam judici fidem non faciant; tamen non sunt omnino nihil, & deferendi jurisjurandi necessitatem imponunt; certo enim jure cavetur, *in dubiis causis*, & ubi est *inopia probationum*, jurejurando litem decidi oportere (*b*). Et dubiæ causæ, & quæ inopia probationum laborant, non aliæ videntur esse, quam illæ ubi semiplene probatum est. Nec recte Donellus & Faber dubias causas interpretantur, in quibus pares utrinque probationes allatæ sunt; nam in hac specie reus absolvendus est (*c*), tantum abest, ut res exacto sacramento decidi debeat: nec recte inopia probationum ibi esse dicitur, ubi nihil ab actore probatum est; vulgata nimirum est juris regula, reum absolvendum, si reus nihil probet (*d*). Frustra vero sunt exempla cautionis, stipulationis, emptionis, testamenti; actus enim isti sunt individui, probatio vero dividua, plus nempe minusve evidens, quandoque etiam luce clarior desideratur (*e*): quod argumento est, gradus suos inesse probationi.

Quæ in judiciis probanda.

§. III. Probari vero debent facta dubia, hoc est quibus ab adversario contradicitur, quæque juris præsumptione non nituntur, facta enim juris præsumptione innixa censentur vera, donec contrarium probetur (*f*). Et quoniam notoria seu manifesta dubium omne excludere videntur, ea non esse probanda multis decretalium locis cavetur (*g*). Sed in hypothesi an factum sit notorium, sæpe controvertitur, quia plerumque notorium negatur, quo casu ipsum factum adhuc probatione indiget; quamvis non desint, qui ubi de facto manifesto excitatur controversia, non tam ipsam facti veritatem, quam ipsum notorium probandum esse teneant. Probanda est facti quæstio, si controversiæ finiendæ inserviat; frustra enim probantur, quæ ad causam non pertinent, ejusque statum, sive ve-

(*a*) Duaren. lib. 2. Disp. cap. 33. A. Faber. dec. 19. err. 1. Donel. lib. 24. Comment. cap. 19.
(*b*) L. 31. D. de Jurejur., lib. 3. C. de Reb. cred.
(*c*) L. 128. D. de Regul. jur., cap. 65. de R. I. in 6.
(*d*) L. 4. C. de Edendo.
(*e*) L. ult. C. de Probationib.
(*f*) L. 25 §. 4. D. de Probationib., l. 13. C. de Non numer. pec.
(*g*) Cap. 10. ext. de Filiis Presbyter., cap. 8. ext. de Cohabit. Clericor. & mulier. cap. 60. ext. de Accusat.

vera, sive falsa sint, non mutant (*a*). Et quamvis facta in quæstionem deducta alias judici nota sint; tamen etiam probari necesse est: nam quæ judex tanquam privatus novit, judiciis publicis non sufficiunt, nisi jure probata sint & publice manifesta. Contra quæ juris sunt, allegari debent, non probari (*b*), hæc enim sunt, vel saltem esse debent judici cognita; quod adeo verum est, ut si à litigantibus omittantur, officio judicis contineatur, omissa supplere, & ex legibus judicare.

Negantes propositiones quî probantur.

§. IV. Facta vero dubia, quibus innititur judicium, probari debent, sive affirmentur, sive negentur; etenim non minus probare debet, qui asserit sibi centum ex mutui causa, quam substitutus, qui petit hæreditatem, quod scriptus hæres eam non adierit. Sed quî probari possunt negantes propositiones? Non quidem directo, quia negationi nulla subest causa, atque adeo *per rerum naturam rei factum negantis probatio nulla est*, quod ex recta ratione proponunt Imperatores (*c*), & in decretalibus Pontificum toties inculcatur (*d*). Itaque probari possunt negantes propositiones tramite quodam occulto, & ex adjunctis ducto argumento. Nimirum negantes propositiones sæpe temporis, loci, aut qualitatis habent adjuncta, ex quibus erui possunt argumenta, unde per indirectum constet de negationis veritate, veluti si negetur, Titium certo die Romæ crimen admisisse, nullo negotio veritas hujus negationis apparebit, ubi demonstretur, Titium eo die longe à loco criminis abfuisse. Porro negantibus propositionibus sæpe insunt affirmantes, veluti si negetur, filium esse in patris potestate, inest huic negationi affirmatio, filium fuisse emancipatum: & ita probata emancipatione etiam probatum habetur, filium non esse in potestate (*e*). Tantum negatio pura, quam vocant *indefinitam*, seu quæ nullis loci, temporis, aut alterius adminiculi adjunctis circumscribitur, natura sua omnem probationem videtur excludere; qui enim generaliter negat, nihil ponit, quo negationis ratio reddi possit. Hæc omnia ex principiis legum & decretalium proponere placuit; nam alias non me latet, contendere Coccejum & Boehmerum propositiones negantes etiam directo probari posse (*f*), dicamque adeo ignorantiæ Romanis Pontificibus impingere quod negantes propositiones directo probari non posse tenuerint. Sed doctrinam hanc de directa negationum probatione nunc expendere non vacat.

Cui

(*a*) Cap. 36. in f. ext. de Off. deleg.
(*b*) Conf. Gonzalez ad cap. 22. ext. de Probationib.
(*c*) L. 13. C. de Probationib., l. 10. C. de Non numer. pec.
(*d*) Cap. 11 & seq. ext. de Probationib., cap. 23. ext. de Elect., cap. 5. ext. de Renunt.
(*e*) Conf. Gonzalez in cap. 12. ext. de Probationib.
(*f*) Coccejus dissert. de Directa probat. negativæ, Boehmer. lib. 3. Jur. eccles. tit. 19.

Cui probandi onus incumbit.

§. V. Jam vero probandi onus illi incumbit, qui asserit, proponitque quæstionem facti dubiam, cui veluti stabili fundamento petitio & conclusio innititur: quisque enim suæ petitionis fundamentum probare debet. Hinc regulariter actor, non reus probare debet: quæ regula, & jure civili & canonico consecrata est (*a*). Nimirum actor plerumque est, qui affirmat, seu tanquam vera proponit dubia facta, quibus sua innititur petitio; reus vero sæpe proposita facta negat. Quin actoris est probare non tantum quæ affirmaverit, verum etiam quæ negaverit, si negatio fundamentum petitionis contineat, veluti si quis repetat beneficium, cui non sponte renuntiasse affirmat, renuntiationem non spontaneam probare debet (*b*). Quod si reus simpliciter negat, sed simul contra actoris petitionem excipiat, ejus est exceptionem probare (*c*); reus enim excipiendo etiam aliquid affirmat, quod suæ exceptionis constituit fundamentum, veluti si negat se solvere debere, quod metu promiserit, metum probare tenetur. Et quemadmodum actoris est probare etiam negationem, cui innititur actio: ita etiam ad reum pertinet probatio negationis, cui innititur exceptio, veluti si ex testamento agenti reus opponat, illud non jure conditum, testamentum non jure factum legitimis modis probare debet. Quæ quum ita sint, ubi utraque pars facta contraria tanquam suæ petitionis fundamentum proponit, utrique probatio incumbit, quod evenit in judiciis duplicibus, ut communi dividundo, familiæ erciscundæ, interdicto retinendæ possessionis.

Propria oris confessio plene probat.

§. VI. Probationes autem in judicio per argumenta idonea faciendæ sunt, quæ argumenta totidem probationis species constituunt, eaque vulgo censentur confessio alterius partis, testes, instrumenta, jusjurandum, præsumptiones, & inspectio ocularis. Et confessio quidem sive rei, sive actoris potissima est probationum species; quid enim expressius optabiliusque esse in judicio potest, quam eum confiteri, quem negare oportebat? Hinc confessum pro judicato esse, seque sententia sua quodammodo damnare Paulus affirmat (*d*). Ut vero confessio legitima sit, & plene probet, debet fieri coram judice competente (*e*), ex certa scientia, & ex libertate; per errorem enim facta, probato errore, revocatur (*f*); &

(*a*) L. 2. D. de Probationib., l. 23. C. de Probationib., Can. I. c. 6. q. 5. cap. 23. 5. 2. ext. de Elect.
(*b*) Cap. 5. ext. de Renuntiat., cap. ult. ext. de Præsumptionib., cap. 3. ext. de Successionib. ab intest.
(*c*) L. 19. D. de Probationib.
(*d*) L. 1. de Confessis.
(*e*) Cap. 4. ext. de Judic.
(*f*) Cap. 3. ext. de Confessis.

& si minis injustis extorta sit, vim confessionis amittit (*a*). Probat tantum confessio contra ipsum confitentem, nec tertium gravat confessio criminis (*b*), nisi aliunde suspectus sit: quin confessio procuratoris sine speciali mandato nec principali nocet (*c*).

Litigantes positionibus debent respondere.

§. VII. Quoniam vero propria oris confessio major censetur quacunque probatione, jure decretalium invaluit, ut lite contestata litigantes se mutuo interrogarent de præcipuis rei controversæ factis, ut ex responsionibus constaret, quo reduceretur status controversiæ, & quæ facta probationibus indigerent (*d*). Ita introductæ *positiones* ut vocantur, seu breves quædam propositiones, quibus actor & reus scripto exprimit facta in judicio allegata, ut super iis pars adversa jurejurando respondeat. Conceptæ positiones judici exhibentur, qui ubi id exhibens petit, prævia citatione jubet partem adversam respondere. Dicto judicis parendum est, nisi legitima obsit causa (*e*), puta quod positiones sint obscuræ, captiosæ, dubiæ, aut ad causam non pertinentes: judicisque profecto est videre, num positiones admittendæ sint, vel potius rejiciendæ. Quod si qui jussus est respondere, recuset, seu per contumaciam absit, super articulis, in quibus noluit respondere, pro confesso habetur (*f*). Facta responsione qui positiones exhibuit, ab onere probandi ex parte levatur, prout pars adversa affirmaverit vel negaverit; nam illa tantum probare necesse est, quæ adversarius negavit.

Numerus testium ad probandum necessarius.

§. VIII. Frequentissimo judiciorum usu ad probanda facta à partibus allegata testes adhibentur, personæ nempe fide dignæ, quæ facti controversi veritatem possint manifestare. Ad probandum in judicio ad minimum duo testes sufficiunt (*g*), modo idonei sint & concordes. Plures ad probandum regulariter non desiderantur, nec quod in ultimis voluntatibus ad actus solemnitatem receptum est, ad judicia recte trahitur: nam etiam testamentum rite confectum esse, duobus testibus probari potest; utut plures ad ejus ordinationem requirantur. Unus testis, quamvis omni exceptione major sit, fidem non facit. Vox unius tanquam vox nullius censetur. Excipiebatur in veteri disciplina Episcopus, cujus testimonium etiam singulare admittebatur propter summi Sacerdotis præ-

(*a*) Can. I. c. 15. q. 6., cap. 16. ext. de Offic. judic. deleg.
(*b*) Cap. 1. ext. de Confess.
(*c*) L. 6. §. 4. D. de Confessis.
(*d*) Conf. superius dicta cap. 24. § 3.
(*e*) Cap. 2. de Confessis in 6.
(*f*) Cit. cap. 2.
(*g*) L. 12. D. de Testib., cap. 23. ext. de Testib. & attestationib.

rogativam & honorem (*a*). Tantum unius testimonium recte facit, ne quid fiat, quod temere fieri sine flagitii periculo non potest (*l*), veluti si agatur de contrahendo matrimonio, & unus testificetur, desponsos esse consanguineos; at si agatur de infirmando, quod actum est, aut de probando, quod alter negat, duo saltem testes requiruntur. Quod si leges & Canones in aliquibus causis majorem testium numerum requirant, præscriptus numerus adhibendus (*c*), veluti si agatur de probanda solutione debiti chyrographo comprehensi, quinque testes jure civili requiruntur (*d*). Cæterum quod testium fides ex parte potest debilitari, prohibitum non est, immo sæpe expedit ad firmiorem probationem plures testes adhibere, modo tamen superflua multitudo testium non producatur, quo adversarius sumtibus fatigetur. Hinc jure civili judices numerum testium pro prudentia sua debent moderari (*e*): & Innocentius III. vetuit, ne ex utraque parte testes supra quadraginta producantur (*f*).

Qui omnino vetantur esse testes.

§. IX. Testes tum plene probant, si idonei sint & fide digni, quod inde judicatur, si possint & velle præsumantur dicere veritatem. Quod si fide digni non sint, jure ad dicendum testimonium prohibentur, integrumque est litigantibus contra productos testes excipere, eosque reprobare. Et quidem multi vetantur in judiciis esse testes tanquam absolute & omnino inhabiles in omnibus causis, alii vero in certis tantum causis & contra quasdam personas. Tanquam omnino inhabiles repelluntur amentes, impuberes, & minores viginti annis in criminalibus (*g*); item Judæi, ethnici, hæretici contra catholicos (*h*), excommunicati (*i*), perjuri (*k*), item infames, qui nimirum publico judicio damnati sunt (*l*), aut alias facti infamia, seu turpitudine pristinæ vitæ diffamati & notabiles (*m*). Quin jure decretalium à testimonio repelluntur etiam qui tempore dicendi testimonii criminibus sunt obnoxii, etsi nondum damnati, sive quod accusati sint, sive quod de crimine convinci possint (*n*). Servi quoque, & liberi fortuna tenues prohibentur esse testes (*o*): servis enim non facile credendum, & paupères pretio facile corrumpuntur, nisi vitæ integritas & boni mores

aliud

(*a*) L. 1. C. Theod. de Episc. audient.
(*b*) Can. CXII. D. 4. de Consecr., cap. 22. ext. de Testib. & attestationib.
(*c*) Cit. l. 22. D. de Testib., & cit. cap. 23.
(*d*) L. 18., & Auth. *Rogati* C. de Testib.
(*e*) L. 1. §. 2. D. de Testib.
(*f*) Cap. 37. ext. de Testib. & attestationib.
(*g*) L. 3. § 5., & l. 20. D. de Testib.
(*h*) L. 21. C. de Hæret., Can. XXV. c. 2. q. 7., cap. 1. ext. de Hæret.
(*i*) Cap. 8. de Sententia excomm. in 6.
(*k*) Cap. 7 ext. de Testib. & attestationib.
(*l*) Cit. l. 3. §. 5., & l. 21. D. de Testib., l. 7. D. de Publ. judic.
(*m*) Cap. 7. & ult. ext. eod.
(*n*) Cap. 10. 54. & ult. ext. eod.
(*o*) L. 5. & 7. D. de Testib.

aliud suadeant. Mulieres jure civili testes in judicio esse non prohibentur (*a*), tantumque in criminalibus excluduntur, si corpore quæstum faciant (*b*); at jure decretalium in causis civilibus admittuntur, non vero in criminalibus, nisi veritatem alias eruere non licet, & nisi agatur de criminibus atrocioribus, qualia hæresis, simonia, in quibus alias inhabiles ad testimonium admittuntur (*c*).

Intestabiles in certis causis.

§. X. Præterea multi vetantur esse testes in certis causis & contra quasdam personas, quod eorum testimonia ex amore vel odio profecta nullius ponderis sunt, saltem in dubium merito vocantur. Ita nemo idoneus testis esse potest in causa propria (*d*), seu unde sperat emolumentum: quocirca Clerici in causa Ecclesiæ non aliter admittuntur, quam si eam non procurent, aut ei non præsint (*e*). Vetantur quoque esse testes, qui sunt de familia, nisi probatæ sint fidei & opinionis (*f*), & nisi agatur de re, cujus veritas vix per alios possit haberi, veluti si agatur de probanda cognatione, legitimis natalibus, ætate, sponsalibus. Nec porro dicunt testimonium amici & inimici in causis amicorum & inimicorum (*g*), in quibus tamen amicitiæ & inimicitiæ gradus & personarum qualitas spectanda sunt. Laici quoque à dicendo contra Clericos testimonio in causis criminalibus jure decretalium repelluntur (*h*), quod ex receptis jamdiu moribus solent esse Clericis infesti (*i*). Procuratores & advocati testes esse vetantur in causis, quibus operam & patrocinium suum exhibuerunt (*k*). Item Clerici & Monachi in rebus profanis testimonia coram laico judice non dicunt, nisi alias veritas commode demonstrari non possit, quo casu ex sui Antistitis venia testes admittuntur, aut eorum testimonia ecclesiasticus judex recipit (*l*).

Odia inter Clericos & laicos quando cœperunt.

§. XI. Sed illud mirum videri possit, jure decretalium repelli laicos à dicendo testimonio contra Clericos in re criminali, quod mutua inter eos simultas sit, quum contra mutuus inter eos amor esse deberet, qui utrosque conciliaret. Certe docet Bonifacius VIII., laicos ab antiquis usque temporibus infestos Clericis fuisse: *Clericis laicos infestos oppido tradit antiquitas* (*a*). Et tamen per plura sæcula inter Clericos & laicos mira fuit concordia, mutuus inter utrosque amor: nec alias poterat evenire, quamdiu Clerici spiritualis curæ laicorum tantum solliciti fuerunt. In falsis decretalibus ab Isidoro Mercatore sub nomine primorum Pontificum evulgatis primum fortasse occurrit, Clericos quibusdam laicis odio esse (*b*). Quo tempore putidæ Mercatoris merces prodierunt, hoc est IX. sæculi initio, odia inter Clericos & laicos cœperant, propter malos Clericorum mores, & fortasse etiam ob ecclesiastica bona jure quodam feudi à laicis possessa, quæ ubi nullæ erant reipublicæ necessitates, Ecclesiis restitui debere æquum videbatur. Labentibus annis irarum causæ & odia increbuerunt, præsertim ubi inter sacerdotium & imperium non bene convenire cœpit, & jura sua à Clericis usurpata laici repetere cœperunt. Tum Episcopi minis & censuris contra laicos pugnabant, tantum abest, ut exortas controversias humilitate, sui abnegatione & rerum temporalium contemptu componere studerent. Contra laici Clericos capiebant, verberibus afficiebant, carceri mancipabant, & quandoque etiam occidebant (*c*). Item odii materiam suppeditavit fastus Episcoporum & beneficiariorum, qui res Ecclesiæ tanquam proprium patrimonium procurabant, & in pauperes parum aut nihil conferebant. Verum receptis moribus odia ista refrixerunt, & Clerici plerosque laicorum sibi devictos habent.

Testes citato adversario recipiendi.

§. XII. Fide digni testes legitime examinandi sunt, quo eorum testimonia fidem in judicio mereantur. Ergo probaturus testes producit, quos inde competens judex debet advocare, ultroneo enim testi non creditur. Citanda insuper pars ex adverso (*d*), cui etiam articuli communicandi, & nomina productorum testium aperienda. Quod si testes non citato adversario recepti sint, nihil probant, nisi de novo & citato adversario recipiantur (*e*). Interest vero adversarii se inscio & absente productos testes non recipi, ut videat eos jurare, & exceptiones proponat, quibus vel à dicendo testimonio repellantur, vel eorum dicta infirmentur, ut excipiat contra articulos, quos impertinentes animadvertit, & ut interrogatoria judici exhibeat, quibus petit, ut producti testes interrogentur, quomodo sciant, quæ deponunt, an præsentes fuerint,

(*a*) L. 18. D. eod.
(*b*) L. 3. §. 5. D. eod.
(*c*) Conf. Gonzalez in cap. 3. ext. de Testib & attestationib.
(*d*) L. 10. D. eod.
(*e*) Cap. 6. & 12. ext. eod.
(*f*) L. 3. C. de Testib., cap. 24. ext. eod.
(*g*) L. 3. D. de Testib.
(*h*) Cap. 14. & 33. ext. de Testib. & attestationib.
(*i*) Can. V. c. 2. q. 7.
(*k*) Cap. ult. eod. in 6.
(*l*) Conf. Reinffest. de Testib. & attestationib. §. 6.

(*a*) Cap. 3. de Immunit. Eccles. in 6.
(*b*) Can. V. & XIV. c. 2. q. 7.
(*c*) Conf. Fleuryus disc. 7. in Histor. eccles. num. 12.
(*d*) Cap. 2. ext. de Testib. & attestationib.
(*e*) Conf. Passerin. de Regul. tribunal. q. 15. art. 2. n. 28.

rint, an ipsi viderint, & de similibus adjunctis, quæ ad factum spectant. Cæterum exhibitæ interrogationes producenti testes dari non solent, ne testes suos bene instructos mittat ad interrogationes eludendas; sed judex ipse eas expendit, & si quas reperiat superfluas aut impertinentes explodit (*a*). Interrogationes in judicio exhiberi necesse non est, iisque non exhibitis judicis officio continetur, testes de præcipuis dispositionis adjunctis interrogare. Sufficit vero adversarium citatum esse, nam si per contumaciam in judicium non veniat, testes etiam producuntur, & sacramentum præstant (*b*).

Jurati testes apud judicem dicunt testimonia.

§. XIII. Testes producti & citati ab ipso judice interrogari & examinari debent, nisi ex justa causa ad judicem venire impediantur, quo casu mittetur ad eos, qui interroget (*c*). Ipsa enim judicis præsentia falsi audaciam cohibet, vel id ex vultu & titubatione judex deprehendit. Antequam vero testes dicant testimonium, judice deferente jurare tenentur, se non ex amore, aut odio, aut commodo aliquo veritatem dicturos (*d*); injuratis enim testibus non creditur, nisi eis jusjurandum adversarius remittat (*e*). Et hæc jurisjurandi necessitas fecisse videtur, ut in veteri disciplina testes jejuni testimonia dicerent (*f*). Nempe testes tactis altaribus, vel reliquiis Sanctorum, vel Evangeliis jurare solebant (*g*); & sacra nonnisi à jejunis tractari habet vetus disciplina. Sic vero citati testes tam in causis civilibus, quam criminalibus præsente, aut saltem legitime citato adversario interrogabantur (*h*): & merito quidem, nam præsente adversario testium audacia retunditur, & ex vultu & gestibus testium facile dignoscitur, an ex animi sententia loquantur. At jamdiu obtinet in utroque foro, ut testes clam ab judice interrogentur, tantumque prius citatur adversarius, ut adsit, quando jurant. Fortasse hic abnormis usus originem habuit ex male intellecta Imperatoris Zenonis constitutione (*i*), quæ habet *intrare* testes *judicantis secretum*, hoc est tribunal & judicii locum, ut bene Polletus interpretatur (*k*); at interpretes ignorantia latini sermonis inde concluserunt, testes secreto interrogandos & examinandos. Quidquid vero hujus rei sit, testes sigillatim & diligenter examinandi, & interim judex prudenter ab ipsis exquirit tem-

(*a*) Glossa in cap. 2. de Testib. & attestationib in 6.
(*b*) Cap. 2 ext. Ut lite non contest., cap. 2. ext. de Testib. & attestationib.
(*c*) L. 15. D. de Jurejur., cap. 8 ext. eod.
(*d*) L. 9. C. de Testib., cap. 5. ext. eod.
(*e*) Cap. 31. & 51. ext. eod.
(*f*) Burchar. Decr. lib. 12. cap 12., cap. 1. ext. eod.
(*g*) Conf. Gonzalez in cap. ult. ext. de Juram. calumn.
(*h*) L. 19. C. de Testib., l. 18. C. de Fide instrum., novell. XC. cap. 9., cap. 2. ext. de Testib. & attestationib., Conf. Cujac. in cit. cap. 2.
(*i*) L. 14. C. de Testib.
(*k*) Pollet. Hist. fori Rom. lib. 5. cap. 12.

tempus, locum, causam scientiæ aliaque adjuncta, quæ præsenti negotio videntur convenire (*a*). Examine peracto omnia in publica monumenta redigenda (*b*), alias vetatur judex ex depositis quidquam judicare.

Testes inviti ad testificandum coguntur.

§. XIV. Testes ad dicendum testimonium citati, si testificari recusent, cogi possunt. Veteri Romano jure in causis criminalibus testes ad dicendum testimonium cogebantur: in civilibus vero sponte sua deponere solebant (*c*). Inde Justinianus Imperator statuit, ut etiam in causis pecuniariis testes cogi possint (*d*). Quod vero vim facere proprium erat civilis imperii, Romana Ecclesia testes hortari & monere consuevit, non cogere (*e*). Tantum ecclesiasticus judex invito testimonium denuntiat, si is *odio, vel gratia, vel timore* testari renuat (*f*), atque alia probatio deficiat (*g*). Cogit autem judex ecclesiasticus laicos invitos ad testimonium per excommunicationem (*h*), Clericos vero per suspensionem ab officio & beneficio, quam, si adhuc venire recusent, sequi excommunicationis aut depositionis sententia potest (*i*). Quod si quis non dicturum testimonium juratus promiserit, nulla sacramenti vis est (*k*). Cæterum jure civili non recte coguntur ad testificandum illustres, qui supra illos sunt, qui nec in judicio præsentes, nec ex scripto absentes, sine sacra, seu Principis jussione ad dicendum testimonium compelli possunt (*l*): item advocati ratione eorum, quæ eis à cliente revelata sunt, inviti testimonium non dicunt (*m*). Et jure decretalium jure non cogitur Sacerdos, qui confessionibus præest, ut de auditis in confessione testificetur (*n*).

Instrumenta alia publica, alia privata.

§. XV. Instrumentis quoque in judiciis probatio fit, quæ ubi legitime confecta sunt, æqualem cum testibus vim probandi habere censentur (*o*). Nomine *instrumenti* generaliter veniunt omnia, quibus causa instrui possit, atque ideo etiam testimonia (*p*); at in specie instrumenta sunt scripturæ ad fidem faciendam idoneæ. Sunt ve-

(*a*) Cap. 37. ext. de Testib. & attestationib.
(*b*) Cap. 41. & 43. ext. eod.
(*c*) L. 4. & 19. D. de Testib.
(*d*) L. 16. & 19. C. de Testib.
(*e*) Cap. 1. & 3. ext. de Testib. cogend.
(*f*) Cit. cap. 1.
(*g*) Cap. 5. & ult. ext. eod.
(*h*) Cap. 1. 5. & ult. ext. eod.
(*i*) Cap. 2. ext. eod.
(*k*) Cap. 18. ext. de Testib. & attestationib., & cap. ult. ext. de Testib. cogend.
(*l*) L. 16. C. de Testib.
(*m*) Conf. Huber. prælect. tit. in Pandect. de Testib.
(*n*) Cap. 12. ext. de Pœnit. & remissionib.
(*o*) L. 15. C. de Fide instrum.
(*p*) L. 1. D. de Fide instrum.

vero instrumenta seu scripturæ aliæ publicæ, aliæ privatæ. Publicæ proprie sunt, quæ publica auctoritate à personis ad id deputatis conficiuntur, quales censuales tabulæ, acta judicialia auctoritate judicis per hominem ab actis conscripta, item instrumenta rite per publicos tabelliones seu notarios confecta, scripturæ ex publico archivo desumptæ, & à persona publica scriptæ (*a*). Publica quoque censentur instrumenta, quæ sigillo publico & authentico signata sunt, veluti Episcopi, capituli, universitatis: in quem censum etiam referuntur tituli lapidibus, columnis, monumentis inscripti (*b*); & libri parœciales, in quibus baptizatorum nomina & contracta matrimonia describuntur (*c*). Contra privatæ scripturæ à privatis conficiuntur, quales chyrographi debitorum, apochæ, antapochæ, codices rationum à mercatoribus confecti, epistolæ.

Quæ instrumenta in judicio probant.

§. XVI. Publica instrumenta ex forma & solemnitate juris confecta plenam faciunt probationem, & si falsi non arguentur, facile adversus ea testes non recipiuntur, modo authentica ipsa seu originalia producantur (*d*); exemplo enim non facile creditur, nisi legitime cum authentico conferatur, constetque cum eo probe convenire (*e*). Contra privatæ scripturæ tantum contra scribentem probant, modo de scriptura constet, & causa debiti expressa sit (*f*): causa enim obligationis non expressa, nec contra scribentem probant. Excipitur ab hac regula liberatoria confessio, ubi creditor profitetur sibi fuisse solutum, hæc enim probat, etsi causa adjecta non fuerit (*g*). Sed si privata scriptura trium vel plurium testium subscriptionem contineat, etiam pro scribente probat, plenamque fidem facit, quasi publice confecta fuerit (*h*), modo testes subscripti adhuc vivant, ut subscriptiones suas possint recognoscere. Porro libri mercatorum ex receptis hodie moribus etiam pro scribentibus saltem minus plene probant, (quod ad faciliorem commerciorum explicationem inductum est) si utique qui illos producunt viri sint integri & incorruptæ existimationis & famæ, & rationes propria ipsorum manu conscriptæ, & causa obligationis expressa sit (*i*).

Qui

(*a*) Cap. 13. ext. de Præscript.
(*b*) Conf. Espen part. 3. tit. 7. c. 7.
(*c*) Trid. sess. XXIV. de Reform. matr. cap. 1.
(*d*) Cap. 2. ext. de Fide instrum.
(*e*) Cap. 1. ext. eod.
(*f*) L. 25 §. ult. D. de Probationib., cap. 14. ext. de Fide instrum.
(*g*) L. 40. D. de Pactis.
(*h*) L. 11. C. Qui potior. in pignore, cap. 2. ext. de Fide instrum.
(*i*) Conf. Perez. in C. lib. 4. tit. 21. num. 4.

Qui publica instrumenta falsa demonstrantur.

§. XVII. Fides vero instrumentis etiam publicis subtrahi potest ex pluribus causis, veluti si ea minime legi possint (*a*), si contradictoria contineant (*b*), rasa appareant in locis præcipuis (*c*), & si falsa per testes evidenter probentur (*d*), qua falsitate probata sententia intra viginti annos potest retractari (*e*). Præcipue vero diplomata antiqua, quæ sæpe supposititia & adulterina sunt, ex capite falsi hodie in dubium vocari solent, postquam κρίσιμα multa ab eruditis proposita sunt, quibus diplomata genuina & legitima à spuriis distingui queant. Notum omnibus est & omni laude superius Mabillonii opus *de re diplomatica*, ubi summo studio & diligentia quæcumque ad vetera diplomata dignoscenda spectant, exhibentur, nec tacendi Jo. Michael Heineccius *de veteribus Germanorum aliarumque nationum sigillis*. Hertius *de fide diplomatum*, Jo. Eisenhart *de jure diplomatum*, & ex Italis Muratorius in duabus dissertationibus, una *de diplomatis & chartis antiquis dubiis, aut falsis*, altera *de sigillis medii ævi*. Ipse Innocentius III. exemplum adfert diplomatis de falso suspecti, illudque variis ex capitibus veluti spurium rejecit (*f*). Cæterum non omnes, qui in foro versantur, antiqua diplomata falsi possunt arguere; non nisi artis criticæ & diplomaticæ peritia censeantur, ab hoc sacrario, tanquam profani, repelluntur.

Definitio & variæ species præsumptionis.

§. XVIII. Species quoque probationis habentur præsumptiones, quibus accurate perpensis, etiam ubi alia desunt argumenta, judex litibus finem potest imponere. Venit nomine præsumptionis antecedens de re dubia opinio ex causarum adjunctis & indiciis plus minusve evidentibus desumpta. Ejus duæ sunt species, una *hominis* seu *judicis*, altera *juris*. Præsumptiones hominis nulla certa lege consignatæ sunt, sed pro hominis recte judicantis judicio ex factis & indiciis hauriuntur: qua in re latissimus eloquentiæ campus olim situs erat, quod ex Ciceronis orationibus constat. Contra præsumptiones juris certa lege seu Canone consignatæ sunt, & extra judicis arbitrium positæ: sed pro diversa ratione qua proponuntur, aliæ *juris tantum*, aliæ *juris & de jure* esse dicuntur. Præsumptiones juris tantum per leges & Canones probantur, & tanquam veræ proponuntur, donec contrarium probetur, atque hinc

ver-

(*a*) Cap. 6. ext. de Fide instrum., Conf. Boehm. diss. de Script. non legibili c. 4.
(*b*) Cap. 13. ext. de Fide instrum.
(*c*) Cap. 3. ext. eod.
(*d*) Cap. 4. & 10. ext. eod.
(*e*) L. 12. C. ad L. Cornel. de Falsis., cap. 6. ext. de Exceptionib.
(*f*) Cit. cap. 6. ext. de Fide instrum.

verbis *videri*, *existimari*, *intelligi*, *haberi* proponi solent: cujus generis est, filios ex justis nuptiis natos censeri legitimos (*a*), itemque, quod Episcopo ab extraneo relictum est, intuitu Ecclesiæ, non personæ legatum videri (*b*). At juris & de jure præsumptiones ita certæ reputantur, ut in contrarium probationem non admittant; qualis jure decretalium est præsumptio de jam contracto matrimonio, ubi quis concubuit cum muliere, cum qua prius sponsalia contraxerat (*c*).

Vis probationum ex præsumptionibus desumptarum.

§. XIX. Quemadmodum vero plures sunt præsumptionum species, ita ex iis desumptæ probationes non omnes eandem vim habent. Præsumptiones hominis tantum argumenta suppeditant, ad veritatem eruendam, suntque ejusmodi argumenta leviora, vel vehementiora, prout sunt indicia, quibus innituntur; plenam vero probationem ferme non efficiunt, quin contrariis probationibus sæpe solent enervari. Contra præsumptiones juris interim plene probant, eas enim Canones & leges tanquam veras proponunt, donec contrarium probetur. Ita qui præsumptiones mititur probare non tenetur, onusque probandi in adversarium devolvitur (*d*), nullaque est vis præsumptionis veritate demonstrata. Habet vero præsumptio juris suos gradus, sicut quævis alia judicialis probatio, ut aliquando rarius, aliquando sæpius fallere possit, quod Thomasinus docet (*e*). Hinc quo violentior & gravior est præsumptio, eo evidentior in contrarium debet esse probatio. Urgentissima est præsumptio, filios esse legitimos, qui ex justis nuptiis nati sunt, ut nec matri contrarium asserenti, & adulterio convictæ credatur, nisi evidentissime contrarium probatum fuerit (*f*). Majori vi pollent juris & de jure præsumptiones, quæ omnino tanquam certæ in jure reputantur, hactenus ut probationes in contrarium excludant, idque ex communi utilitate, quam leges supponunt. Quoniam vero præsumptiones juris & de jure proprie sic dictæ veritates non sunt, hinc post alios Espenius tenet, etiam in his præsumptionibus veritati locum dandum esse, easque regulariter elidi confessione illius, cui præsumptio favet (*g*).

De jurejurando, quo probatio semiplena suppletur.

§. XX. Præterea vim probandi in judicio habet jusjurandum, quod jure civili maximum remedium ad expediendas lites existimatur,

(*a*) L. 6. D. De his, qui sui vel alieni juris sunt.
(*b*) Cap. 15. ext. de Testamentis.
(*c*) Cap. 30. ext. de Sponsalib.
(*d*) L. 25. D. de Probationib., l. 13. C. De non num. pec., c. 2. & 12. ext. de Probationib.
(*e*) Thomas. diss. de Fide jurid. c. 1.
(*f*) L. 6. D. De his, qui sui vel alien. juris sunt.
(*g*) Espen. part. 3. Jur. eccles. tit. 7. c. 5. n. 23. & seq.

tur, idque propter summam religionem, quem gentes ferme omnes, in primis Romani, sacramentis exhibuerunt. Dirimuntur jure civili lites jurejurando vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel judicis auctoritate uni ex litigantibus delato sacramento (*a*). Huc vero pertinet jusjurandum, quod nulla litigantium pactione præcedente ab judice defertur, quod sacramenti genus *suppletorium* passim dicitur, nam eo delato semiplena probatio suppletur & justa evadit. Nimirum si dubiæ sint causæ, seu inopia probationum laborent, ex scitis juris civilis delato jurejurando finiri debent (*b*), quod sacramentum dubiæ probationi accedens eam sustentat, & justam efficit. Dubiæ vero causæ ex saniore sententia sunt illæ, in quibus semipiene probatum est, puta quod testes omni exceptione majores non sint, aut graves præsumptiones adsint, quæ tamen non bene concludunt (*c*). Nullus in veteri Ecclesiæ disciplina in causis pecuniariis dirimendis sacramenti ad probationes supplendas usus videtur fuisse, atque idcirco quidquid hujus rei est ex jure civili una cum tricis forensibus in forum ecclesiasticum irrepsit. Defertur jusjurandum ei, qui semiplene probavit, modo tamen personarum & causæ ratio habeatur (*d*): constituitur enim probaturus hoc modo testis in propria causa sine adversarii consensu & dilatione: & hinc non facile viles homines ad supplendas sacramento probationes admittendi, præsertim si causæ graviores sint, quæ sacramenti religione decidi non debent (*e*). Quod si actor æque atque reus semiplene probent, jusjurandum reo deferri oportet, quod in re dubia rei causa potior censetur (*f*). Cæterum usus sacramenti in litibus decidendis homines religiosos supponit: ut hinc facile cognoscas, in tanta sæculi corruptione è republica esse, usum sacramenti suppletorii omnino aboleri.

Probatio per ocularem inspectionem.

§. XXI. Probationes in judicio aliquando ipsa judicis inspectione constant, quod nempe alias de re dubia certum judicium ferri nequeat. Ejus præcipuus usus est in iis, quæ oculis subjiciuntur, veluti in judicio finium regundorum, in novi operis nuntiationibus, in ætate ex aspectu corporis finienda, aut ubi de vi conjugum ad rem uxoriam tractatur. Sed in his causis judex non solus rem ipsam oculis lustrat, sed viros ejus rei, de qua agitur, peritos adhibet, aut iis solis judicium committit. Quin judicium de conjugum impotentia necessario peritis viris & matronis bonæ opinionis & in ope-

(*a*) L. 1. de Jurejur.
(*b*) L. 31. D. de Jurejur., l. 3. C. de Reb. cred.
(*c*) Conf. Boehm. Jur. eccles. lib. 2. tit. 24. §. 70.
(*d*) Cap. ult. ext. de Jurejur.
(*e*) Conf. Espen. part. 3. tit. 7. cap. 8.
(*f*) L. 125. D. de R. I.

opere conjugali expertis committendum est; atque ideo virum medici, uxorem honestæ matronæ & obstetrices inspiciunt (*a*). Inspectio ista in causa matrimonii præcipue juri canonico debetur, quo omnino stabiles & firmas nuptias esse præcipitur. Jus enim Romanum magis dissolutioni nuptiarum indulget, nec tam accuratam impotentiæ certitudinem requirit, quam decretales postulant: & hinc ex legibus Romanis ad solvendas nuptias præcise inspectione opus non est.

Probationes certo termino faciendæ.

§. XXII. Jam ad faciendas in judicio probationes certa dilatio seu terminus dari consuevit, qui jure decretalium determinatus non est, sed ab judice finiendus inspectis causarum, personarum & locorum adjunctis (*b*). Ergo qui probare intendunt, intra terminum in eam rem datum nomina testium una cum articulis judici debent exhibere. Sunt articuli facta præcipua ex petitione deducta, quæ claris & conceptis verbis expressa probari debent: tantumque in eo distant à positionibus, quod super istis ipsi litigantes interrogantur, super illis vero testes deponunt. In causis ecclesiasticis & civilibus super iisdem articulis produci novi testes possunt etiam tertia vice: quarta vero productio non aliter admittitur, quam si tres priores publicatæ non sint, & præterea juraverit, qui quarta productione utitur, se priora testimonia comperta non habere, & citra fraudem quarta productione uti (*c*). Productiones vero istas alii volunt æstimari ex vicibus, quibus testes producti sunt, alii ex dilationibus datis testium exhibendorum causa, alii ex singulis diebus, ut nempe unaquæque productio diem unum occupet (*d*). Verum instrumentorum productio post litem contestatam usque ad conclusionem in causa fieri potest (*e*).

De actorum publicatione.

§. XXIII. Absoluto ab utraque parte testium examine, recepta testimonia citatis partibus & die præfixo publicari debent, quæ deinceps litigantibus communicantur. Facta publicatione non licet amplius super iisdem articulis, vel directo contrariis novos testes producere (*f*), nec contra personas testium excipere, eosque veluti criminosos aut infames rejicere; hæ enim exceptiones ante publicationem opponendæ sunt; nisi quis jurato affirmet, se non ex dolo & malitia reprobationem suscipere, vel nisi demonstret, se post

(*a*) Cap. 4. & 14. ext. de Probationib., cap. 6. & seq. ext. de Frig. & malef.
(*b*) Can. IV. c. 3. q. 3., c. 24. ext. de Off. deleg., c. 15. ext. de Sent. & re judic.
(*c*) Novell. CX. c. 4., Auth. *At qui semel* C. de Probationib., c. 15. ext. de Testib. & attestationib.
(*d*) Conf. Cujac. in cit c. 15.
(*e*) Cap. 9. ext. de Fide instrum.
(*f*) Cap. 6. ext. de Probationib., & c. 26. ext. de Testib. & attestationib.

post aperta testimonia defectus testium didicisse, vel alias tempore idoneo protestatus sit, se velle contra testium personas excipere (*a*). Nimirum apertis testimoniis per malitiam exceptiones contra eorum personas videntur opponi. Integrum vero est litigantibus post publicationem de veritate, aut falsitate testimoniorum disputare (*b*): in quam rem adjuncta loci, temporis, scientiæ, quibus illa circumscribuntur, argumenta suppeditant. Verum moribus hodiernis hoc jus non servatur, atque adeo apertis testimoniis conceditur partibus, testes ipsos veluti parum idoneos, aut omnino intestabiles reprobare (*c*).

Causæ conclusio.

§. XXIV. Actorum publicationem sequitur *conclusio in causa*, quæ *ultima cognitio* jure civili dicitur, si vera Cujacius observat (*d*), eaque judex decernit, causam satis instructam esse, nec aliud requiri, quam ut sententia proferatur. Hinc facta conclusione clauduntur acta, nec novæ probationes admitti debent; recipiuntur vero instrumenta noviter reperta, si sacramento firmaverit producens, se ea noviter reperisse (*e*). Sed conclusio differenda est, quousque partes ulteriori disquisitioni renuntient: etenim publicatis actis ante sententiam audiendæ sunt utriusque partis allegationes: quin ipse judex id etiam curare debet, ut causa plene instruatur, nihilque omittatur, quod ad demonstrandam factorum veritatem conducat (*f*): quo facto causa concludenda est. Quod si unus litigantium ulteriori disceptationi renuntiaverit, alter vero sine probabili ratione conclusionem in longum differat, judicis officio in contumaciam causa conclusa declaratur (*g*). Cæterum in hoc nostro regno forum civile conclusionem amplius non usurpat (*h*).

Regulæ servandæ per judicem in dissidio probationum.

§. XXV. Dicturus sententiam judex diligenter factas probationes debet expendere, & de earum viribus judicare. Nimirum sæpe contingit, ut ingens dissensus inter probationes oriatur, & judex in ferenda sententia anceps hæreat. Si inter testes utrinque productos dissensus intercedat, & nihil est, quod testibus objici queat, spectanda est præsertim testium qualitas, & idcirco eorum testimonia præferenda, qui moribus & vitæ integritate cæteris præstant (*i*). Plus quoque ponderis habent testimonia, quæ negotio aptiora & ve-

(*a*) Cap. 31. ext. de Testib. & attestationib.
(*b*) Cap. 15. ext. eod.
(*c*) Conf. Espen. part. 3. tit. 7. c. 6.
(*d*) Cujac. in c. 9. ext. de Fide instrum.
(*e*) Cap. 5. ext. de Exceptionib.
(*f*) L. 9. C. de Judic.
(*g*) Novell. CXV. c. 2.
(*h*) Pragm. ann. CIↃIↃCCXXXVIII. §. 1. art. 28.
(*i*) L. 21. §. 3. D. de Testib., cap. 32. ext. de Testib. & attestationib.

veritati proximiora esse videntur, quam quæ negotio parum congruunt (*a*). Quod si non constet, quænam testimonia præferenda sint, testes possessoris præferendi sunt; nam potius ad absolvendum, quam ad damnandum leges feruntur (*b*), nisi in certis causis, quibus jura impense favent, nam in his speciebus is vincit, qui favorabiliorem causam fovet (*c*). Censentur vero favorabiliores causæ matrimoniales, Ecclesiarum, rerum piarum, libertatis, alimentorum, dotis, miserabilium personarum, testamentorum. Si dissensus intercedat inter testimonia & instrumenta, ubi agitur de rebus antiquis, de iis quæ regulariter scriptura perficiuntur, qualia sunt privilegia, & de rebus fluxæ recordationis, veluti de ætate probanda, testimoniis instrumenta præferenda (*d*). Quod si scripturæ sibi invicem adversentur, & ab una eademque parte productæ sint, regulariter nihil probant (*e*): si vero utrinque pugnantia instrumenta producantur, & omnia æqualis ponderis videntur, standum instrumento, quod verisimiliora & negotio conformiora continet: & si ne hoc quidem appareat, contra eum pronuntiandum, qui probare debuit, nisi causa favorem legum meruerit. Pluribus provinciam hanc de probationum dissensu doctores proponunt, sed eorum regulæ non semper probæ sunt, ut videre est apud Boehmerum, qui diligenter regulas istas persequitur.

CAPUT XXVI.

De summario judicio ecclesiastico.

Definitio summarii judicii.

§. I. Multo brevius ordinario est summarium judicium, in quo ferme omnia, quæ tanquam solemnia in judiciis reputantur, omittuntur, tantumque adhibentur, quæ judiciis intrinseca sunt. Dictum videtur *summarium*, quod jure Digestorum multæ causæ *summatim* cognosci, & finiri debent (*g*), hoc est ab ipso prætore omissis ordinariæ cognitionis formulis & solemnibus. Summarium hoc judicium exprimit formula in Clementinis usurpata, & in Pontificum & Principum rescriptis adhiberi solita, qua potestatem judicandi delegatis faciunt *simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura judicii* (*h*). Sed cave putes, apud Romanos idem fuisse *de plano* &

(*a*) Cit. l. 21. in fine, cit. c. 32.
(*b*) Cap. 3. ext. de Probationib.
(*c*) Conf. Boehm. lib. 2. Jur. eccles. tit. 19. §. 23.
(*d*) Conf. Boehm. loc. cit. §. 26. & seqq.
(*e*) L. 14. C. de Fide instrum.
(*f*) Boehm. loc. cit. §. 14. & seqq.
(*g*) L. 5. §. 8. D. de Agnosc. & alend. liber., l. 15. §. 4. D. de Re judic., l. 3. §. 4. D. de Carbon. edicto.
(*h*) Clement. II. de V. S.

& *summatim* cognoscere. De plano cognoscebat prætor de tribunali descendens, & in *plano*, seu æquo solo consistens, ubi summatim desideria civium expendebat & finiebat. Tribunal erat locus elevatus, & spectabilis in foro ferme in hemicycli speciem introrsum curvatus, in quo in sella curuli præsidens Prætor causas cognoscebat. Contra multa, quæ *summatim* cognoscebantur, non de plano, sed pro tribunali, quamvis extraordinaria cognitione, erant explicanda, atque ideo causæ cognitionem & decretum desiderabant, quod Gerardus Noodt pluribus probat (*a*).

Acta necessaria in judicio summario.

§. II. Integram ferme summarii judicii formam, qualis nunc usurpatur, Clemens V. paucis complectitur (*b*), plenius vero Strychius proponit (*c*): quæ quidem forma ea continet omnia, quæ judiciorum essentiam constituunt. Principio judici exhibenda qualiscunque actoris petitio, quam excipit rei conventi citatio; petitio enim & partis adversæ citatio judiciis omnibus sunt intrinseca. Inde si reus per contumaciam absit, contumaciæ incusantur, & judicium ulterius procedit, & idcirco singuli actus absenti ad valvas curiæ nuntiantur. Veniens reus exceptiones pro jure suo proponit, nec eidem vetatur in ipso litis exordio contra actorem mutuo agere. Adhibetur calumniæ jusjurandum, præsertim si à partibus petatur. Probationes inde faciendæ sunt, præmissis positionibus & articulis: daturque in eum finem certa dilatio, nisi aliud inter partes placuerit. Judex etiam sive ad instantiam partium, sive ex officio, quandocunque id æquitas suadeat, partes interrogare potest, & testium reprobationem partibus petentibus jure concedit (*d*). Deinceps citatis partibus, licet nullo expresso peremptorio, judex stans vel sedens in scriptis sententiam profert, idque etiam, si ei videbitur, non facta conclusione.

Quæ acta in judicio summario omittuntur.

§. III. Contra quæ ad solemnitatem judiciorum pertinent, in summario judicio omittuntur, atque ideo non desideratur libellus solemnis & in scriptis, sed sufficit qualiscunque petitio, quæ actis inseritur. Nec desideratur litis contestatio, solemnis utique & ordinaria, nam alias audiendus est reus, ejusque qualiscunque responsio pro contestatione est. Porro tempore feriarum, quæ ob hominum necessitates institutæ sunt, judicium licet agitare, ut exceptio feriarum nihil obturbet. Amputanda dilationum materies, quæ

(*a*) Gerard. Noodt lib. 1. de Jurisd. c. 10.
(*b*) Clement. *Sæpe* II. de V. S.
(*c*) Strych. dissert. de Judicio Principis juxta solam facti veritatem §. 18. & seqq.
(*d*) Cap. 9. ext. de Probationib., Conf. Gonzalez in cit. cap. 9. n. 4.

quæ ordinarium judicium in longum trahit. Lis quatenus fieri potest abbreviatur, & inde exceptiones altioris indaginis excluduntur, nec admittuntur dilatoriæ appellationes. Solemnis quoque testium citatio omittitur, eorumque superflua multitudo per judicem cohibetur: nec necessaria est solemnis actorum publicatio, nec conclusio in causa: nec requiritur, ut judex sedens sententiam ferat (*a*). Cæterum sic solemnia judiciorum in summario judicio non adhibentur, ut tamen officio judicis contineatur pro ratione adjunctorum aliqua adhibere, vel omittere.

Causæ summario judicio tractandæ.

§. IV. Quod vero spectat ad causas, quæ summario judicio tractari debent, eæ vel jure tales sunt, vel extrinsecus tales fiunt. Et jure quidem summariæ causæ habentur, quæ moram ferme non admittunt, & idcirco extraordinaria cognitione finiendæ, quales jure civili sunt causæ alimentorum, missionis in possessionem, sive ex edicto Carboniano, sive ventris nomine, sive rei servandæ causæ, sive legatorum, & fideicommissorum, sive damni infecti, item de testamentis exhibendis, de adeunda suspecta hæreditate, de vilibus rebus, aut personis, aliæque multæ in libris juris recensitæ (*b*). Jure decretalium summario judicio tractandæ causæ electionum, postulationum, beneficiorum, nuptiarum, decimarum, usurarum (*c*), quamvis recepto fori usu in aliquibus locis & præsertim in foro Ecclesiæ Neapolitanæ ejusmodi causæ ferme ordinario judicio tractari soleant (*d*). Extrinsecus ordinarii juris causæ summatim tractantur Pontificis, seu Principis rescripto: nec enim dubium esse potest, quin Principes juri scripto possint derogare, & summarias facere causas, quæ alias ordinarii juris erant (*e*). Cæterum ipse summariæ causæ ordinario judicio tractari possunt ex partium consensu, quod Clemens V. habet expresse (*f*).

CAPUT XXVII.

De veteri judicio criminali ecclesiastico.

Criminale judicium olim accusatione institutum.

§. I. Ordo judiciarius ecclesiasticus in re criminali, quousque vetus disciplina stetit, ferme idem fuit cum eo, qui jure Romano ob-

(*a*) Clement. *Sæpe* II. de V. S.
(*b*) L. 1. & 2. D. de Feriis & dilat., l. 3. §. 4. D. de Carbon. edicto, l. 1. §. 15. D. de Ventre in possess. mittendo.
(*c*) Clement. II. de Judiciis.
(*d*) Conf. Gagliard. Instit. jur. can. lib. 3. tit. 18. §. 13.
(*e*) Conf. Strychius diss. de Judicio Principis juxta solam facti veritatem §. 11. & seqq.
(*f*) Cit. Clement. *Sæpe*.

obtinebat, iis tamen exceptis, quæ meram solemnitatem spectabant, quæque ab Ecclesia in usum verti non poterant. Principio accusatio omnino erat necessaria; quæ libello scripta Episcopo vel Synodo pro accusati conditione erat exhibenda: vetus enim Ecclesia sine accusatore ferme criminalia judicia non exercuit. *Nos*, inquit Augustinus (*a*), *à communione prohibere quenquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi utrunque audeat assumere, ut cuique ipse sit & accusator & judex.* Et longe ante Optatus Milevitanus rationem reddens, cur Macarius atrociorum criminum reus ab Ecclesiæ communione abstentus non esset, id dicit evenisse, quod nullus eum accusasset (*b*). *Si fuit reus accusatore silente, à nobis non licuit abstineri. Scriptum est enim, ante cognitam causam neminem esse damnandum. Dicite, quis eum accusavit, & auditus non est? Dicite, Macarium confessum fuisse, & nostram siluisse sententiam?* Eadem disciplina passim in aliis antiquitatis monumentis proponitur: nec aliter habent falsæ decretales opera Isidori Peccatoris in Ecclesiam invectæ, quæ constanter inculcant, neminem sine accusatore esse damnandum (*c*). Tantum si crimina publica essent, aut criminosi sponte sua delicta faterentur, & se deferrent Ecclesia sine accusatore procedebat.

Accusatoris conditio moresque inquisiti.

§. II. Summa vero cautione & judicio accusationes Ecclesia accipiebat, nec enim quivis idoneus & legitimus accusator censebatur. Quamquam enim jure ecclesiastico delicta omnia fidelium publica essent, quatenus debitis pœnitentiis deberent expiari, aut in contumaciam excommunicatione puniri; non tamen idcirco Ecclesia accusatoribus omnibus præbebat aures, ad calumniarum occasiones præcidendas: qua in re disciplina ecclesiastica cum legibus civilibus conveniebat. Nimirum salus reipublicæ apud Romanos in criminibus publicis accusare omnibus permisit; at interim leges privatorum utilitati consuluerunt, multisque denegarunt accusandi potestatem; nec enim è republica erat cuique accusationes concedere (*d*). Itaque Ecclesia de personis accusantium subtiliter quærebat, inquirebatque cujus conditionis essent, qua fide, qua intentione ad accusandum prodirent: idque præsertim fieri solebat, si Episcopi & reliqui Clerici accusarentur, nec enim eorum existimatio temere in controversiam erat adducenda. Atque huc spectare videntur Concilii Toletani VI. verba, quibus præcipitur, in re criminali ante omnia accusatorem præsentandum, *ac legum & Canonum sententiam exqui-*

(*a*) August. homil. L. libri quinquaginta homiliar.. Can. XVIII. c. 2. q. 1.
(*b*) Optat. lib. 7. in fine.
(*c*) Can. IV. c. 2. q. 1., Can. V. & seqq. c. 3. q. 9.
(*d*) L. 8. & seqq. D. de Accusationib.

quirendam (*a*), ut nempe cognosceretur, qualis esset accusator, & an delatio admitti deberet.

Accusator in crimen inscribebat.

§. III. Porro accusatio non recipiebatur, nisi scripto proposita & inscriptione & subscriptione in crimen instructa, non secus ac jure civili de accusatoribus cavebatur. Jure civili inscriptio erat solemnis accusatoris professio, qua testabatur, se Titium ex hac vel illa lege deferre, cavebatque, se perseveraturum in accusationem usque ad sententiam (*b*). Qui facta accusatione usque ab executione criminis desistebat abolitione non impetrata, *tergiversator* audiebat, & ex senatusconsulto Turpiliano infamia notatus, extra ordinem puniebatur (*c*). Simili jure utebatur Ecclesia, quæ in tergiversatores etiam animadvertebat: equidem Gregorius M. Paulum quendam Diaconum, qui ab accusatione Anastasii Episcopi sui destiterat, criminis notat: & quamvis ei Gregorius ignoscat, tamen id ex indulgentia se facere testatur (*d*). Idem quoque Gregorius animadvertit in Euphemium atque Thomam, qui ab ejusdem Anastasii Episcopi sui accusatione recesserant, & quidem inita pactione, ut sacris ordinibus initiarentur; eos enim in ordinem & locum, unde ad sacros ordines promoti fuerant, voluit revocari (*e*).

Accusator in crimen subscribebat.

§. IV. Jure item Romano non recipiebatur accusatio sine subscriptione in crimen, qua accusator se ad talionis pœnam, seu supplicii similitudinem, adstringebat, nisi delata crimina probaret (*f*). Summa sapientia per leges Romanas subscriptio inducta est, ubi enim ferme omnibus licebat accusare, pœnæ metu cives deterreri debebant, ne facile ad accusandum prosilirent (*g*). Pari ratione in Ecclesia placuit subscriptionis & ejusdem pœnæ objecto metu accusatores admonere, ne fratres temere accusarent. Ita Eusebius Doryleensis Episcopus Eutychetis accusator in Synodo Constantinopolitana I. Sancti Flaviani Patriarchæ paratum se libello professus est, *illum convincere falso habere catholicum nomen, & alienum omnino esse à recta fide* (*h*): idemque etiam vereri se non obscure ostendit, ne per fraudem Eutychetis pœnam talionis subeat (*i*). Et in Synodo Chalcedonensi Paschasinus Leonis M. legatus de Theo-

(*a*) Can. IX. c. 3. q. 9.
(*b*) Conf. Ant. Matth. de Criminib. ad lib. 48. D. tit. 13. cap. 6.
(*c*) L. 11. C. ad SC. Turpil.
(*d*) Greg. M. l. 4. ep. 51. vet. edit.
(*e*) Greg. M. loc. cit.
(*f*) Conf. Breneman. de L. Remmiæ exitu cap. 9.
(*g*) L. 7. D. de Accusationib.
(*h*) Conc. Constantinop. I. S. Flaviani act. I.
(*i*) Cit. Concil. act. V.

Theodoro Diacono, qui Dioscorum accusaverat, ait, *si confidit probare ea, quæ ingerit adversus reverendissimum Episcopum Dioscorum, proprio ore confiteatur, si non vult regularem adversus se converti sententiam* (*a*). Inscriptione excludebatur procurator, atque ideo accusator ipse præsens accusationem peragere debebat, in quo etiam forum ecclesiasticum cum civili conveniebat.

Rei citatio.

§. V. Recepta accusatione delatus vocandus erat, nec enim quenquam non vocatum damnare licebat, qua in re Canones etiam cum jure civili conveniunt. Et quidem jure Romano reus per apparitorem semel, iterum atque tertio in jus vocatur; in causis vero, unde sequi solet gravior pœna usque ad relegationem, prænditur (*b*). Sic jure ecclesiastico tribus vicibus accusatus in judicium vocari solebat, ne quis inauditus damnaretur. Et sane Eutyches, Dioscorus aliique tribus vicibus ad Synodos vocati sunt: quin, quod est placidum Ecclesiæ ingenium, aliquando etiam quarta vocatio decreta est, ut videre est in Synodo Ephesina, quæ quater Nestorium evocavit (*c*). Vocabantur Episcopi per Episcopos, saltem duos, Clerici per Clericos, laici per laicos (*d*). Quæcunque vero pœna accusatis Clericis immineret, prehensio non decernebatur; Ecclesia enim imperio destituta nec jus prehendendi, nec carceres ad custodiam reorum habebat. Hinc quum Eusebius accusator Eutychetem invitum Synodo sibi postulasset, ab ea vi S. Flavianus abhorruit.

Procurator pro reo non admissus.

§. VI. Delatus reus ipse judicio se sistere tenebatur, nec admittebatur procurator, qui ejus vices ageret. Jure Romano in causis criminalibus ad persequendum frustra procurator intervenit, multoque magis ad defendendum; sed excusationes absentium ex senatusconsulto judicibus allegantur, & si justam rationem habeant, sententia differtur (*e*). Hæc quoque jurisprudentia obtinebat in Ecclesia, quum enim Eutyches ad Synodum citatus Abrahamium aliosque Monachos, qui pro se responderent, miserit, S. Flavianus sic Abrahamium adlocutus est (*f*): *quomodo, rogo te, possibile est altero accusato alterum dicere*? Quin in secunda S. Flaviani Synodo, quam à Theodosio juniore post damnationem Eutyches non bonis artibus

(*a*) Conc. Chalced. act. III.
(*b*) Arg. L. 1. D. An per alium causæ appell. reddi possunt.
(*c*) Conc. Ephes. act. I.
(*d*) Conf. Christian. Lupus diss. de Conc. Ephes. cap. 3. & append. ad Ephes. Latrocin. act. l. tom. 2. E. V.
(*e*) L. 13. §. 1. D. de Publ. judiciis, l. 1. D. An per alium causæ appell. reddi possunt.
(*f*) Conc. Constantinop. I. S. Flaviani act. IV.

bus impetravit, ubi postulatum est admitti Eutychetis procuratores, quod Princeps ejus rei veniam fecisset, Meliphtongus Juliopolitanus Episcopus graviter intercessit, aitque, ad Principem referri debere. Facile vero admittebantur absentium excusationes, & interim judicium differebatur. Ita quum Abrahamius in Synodo dixerit, Eutychetem ægrotare, inducias ei S. Flavianus concessit.

Absentes in contumaciam damnati.

§. VII. Quod si reus jure evocatus, sui copiam non præstaret, seu judicio non se sisteret, per contumaciam etiam absens damnari solebat: qua in re non per omnia inter ecclesiasticum & civile forum videtur convenisse. Jure civili suscepta cognitione, hoc est lite contestata, si reus per contumaciam abesset, damnari solebat, quod Papinianus docet (*a*). At si lite non contestata reus aufugeret, vel evocatus omnino sui copiam non faceret, regulariter nemo absens & inauditus damnabatur, pœna utique graviori veluti in metallo, aut capitali; nam alioquin pœnis mitioribus usque ad relegationem procedi poterat (*b*). At in ecclesiastico foro absentes & contumaces etiam pœnis gravioribus damnantur. Sane Nestorium *ad Synodum non audentem accedere depositionis sententiæ.* Ephesini Patres subjicerunt, ut Cyrillus loquitur (*c*). Et in Synodo Chalcedonensi Dioscorus absens per contumaciam episcopatus dignitate & omni sacerdotali ministerio dejectus est (*d*). Quin licet Dioscorus ex variis causis damnatus sit, tamen decretum damnationis ei insinuatum unicam causam exprimebat, contumaciam adversus trinam Synodi vocationem. *Ea enim*, inquit Christ. Lupus (*e*), *ad damnationem plene sufficit*; ex Christi enim doctrina qui, vocatus Ecclesiam non audierit, tanquam ethnicus & publicanus haberi debet.

Judicii instructio.

§. VIII. Jam præsente reo, aut in contumaciam absente judicium instruebatur, in quem finem recipiebantur testes, instrumenta & concurrentia indicia. Etiam hac in re judicium ecclesiasticum cum forensi conveniebat, siquidem Imperatores instrui debere edicunt causam idoneis testibus, vel apertis documentis, vel indiciis ad probandum indubitatis & luce clarioribus (*f*). Præsens reus de criminibus, quorum delatus erat, interrogabatur, respondebatque: si quid vero versutiæ responsio contineret, interrogabatur ite-

(*a*) L. 10. D. de Public. judic.
(*b*) L. 5. D. de Pœnis.
(*c*) Cyrill. Alexand. ep. ad Cler. & popul. Alexandr.
(*d*) Conc. Chalced. act. III.
(*e*) Lup. append. ad Synod. Chalced. act. III. t. 2. E. V.
(*f*) L. ult. C. de Probationib.

iterum pressiusque, ut ita clarius de rei veritate constaret (*a*). Reus quoque præsens contra se productos testes audiebat, instrumenta inspiciebat, & si quid excipiendum haberet, libere proponebat. Inde ubi satis instructa erat causa, ferebatur sententia, quæ solemniter publicari solebat, & reo absenti per litteras insinuabatur. Ita lata per Synodum Ephesinam contra Nestorium sententia ei absenti insinuata est per litteras synodales, quarum hæc erat epigraphe, *Synodus Nestorio, novo Judæ* (*b*). Interim dum instruebatur judicium præsentes notarii omnia dicta sive à judicibus, sive à partibus distincte suis ipsorum verbis, ne interpretationibus quidem aut exclamationibus omissis per notas conscribebant: quæ acta apud Episcopum adversabantur, ut apud posteros de judicii integritate constaret.

Numerus testium ad probationem necessarius.

§. IX. Quod ad numerum testium, qui ad damnandos Clericos etiam Episcopos erat necessarius, observandum, veterem Ecclesiæ disciplinam cum jure Romano convenisse. Isto jure in qualibet causa etiam criminali duo, aut tres testes integræ fidei & concordes sufficiebant, nisi in quibusdam causis majorem testium numerum leges præscriberent (*c*). Non mere civilis ea definitio est, sed & æquitate naturali constat, & auctoritate sacrarum litterarum munitur (*d*). Similiter secundum veteres Ecclesiæ regulas duobus aut tribus idoneis testimoniis plena probatio constabat, & ad irrogandam pœnam sufficiebat. *In testimonium adversus Episcopum*, inquit unus ex sic dictis Canonibus apostolicis (*e*), *hæreticus ne admittatur, sed nec unus solus fidelis; in ore enim duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Et Synodus Bracarensis II. edixit (*f*), crimen fornicationis objectum duobus, aut tribus testibus probari, idque ex Apostoli doctrina, qua Timotheum admonuit, ne contra Presbyterum accusationem acciperet, nisi duobus, aut pluribus testibus instructam (*g*). Sed regula ista de numero testium non adeo stricte accipiebatur, quin posset judex ex justa causa recipere plures, puta si testes auriti non oculati, aut alias non omni exceptione majores producerentur.

Testium numerus qui inde prodigiosus evasit.

§. X. Quæ quum ita sint, mirum profecto videri debeat, cur Synodus Romana sub Silvestro Pontifice & Leo IV. abnormen in dam-

(*a*) Conc. Constantinop. I. S. Flaviani act. VII.
(*b*) Conf. Christ. Lupus diss. de Conc. Ephes. cap. 3. tom. 2. operum E. V.
(*c*) L. 12. D. de Testib. Conf. Ant. Matth. de Criminib. lib. 50. D. tit. 15. cap. 3.
(*d*) Deuter. cap. XIX. 15., Matth. cap. XLVIII. v. 16.
(*e*) Can. apost. LXXV.
(*f*) Can. I. c. 2. q. 4.
(*g*) 1. ad Timoth. c. V. v. 19.

damnandis Clericis testium numerum requirant; edicunt enim, Episcopum nisi septuagintaduobus testibus, Presbyterum nisi quadraginta quatuor, Diaconum Cardinalem urbis Romæ nisi vigintiseptem, reliquos vero Clericos nisi septem damnari non debere (*a*). Similiter in actis Sinuessanæ Synodi ad damnandum Marcellinum Papam, qui idolis thus adolevisse dicebatur, septuaginta duos testes adhibitos memoriæ proditum est. Verum non minus Concilium Romanum sub Silvestro, quam Sinuessanæ Synodi acta commentitia sunt, & à falsariis posterioris ætatis consarcinata, qua de re convenit inter criticos. Unde vero falsarii miscelliones eam abnormen disciplinam hauserint, non facile dictu est. Si detur locus conjecturis, crederem, septuagintaduos testes contra Episcopos ex numero septuagintaduorum judicum, qui ad Episcopos damnandos in veteri disciplina aliquando adhibiti sunt (*b*), desumtos fuisse. Falsarii scilicet veterem disciplinam non intelligentes (quod suo tempore viderent, Episcopos in Synodis provincialibus etiam minori judicum numero damnari) ex numero septuagintaduorum judicum numerum testium ad Episcopos damnandos interpretati sunt, & inde habita proportione de numero testium ad reliquos Clericos damnandos edixerunt. Quidquid vero hujus conjecturæ sit, ubi Isidorianæ merces veluti indubia monumenta habebantur, Leo IV. requisitos per Silvestri Romanam Synodum testes bona fide probavit, & ita invaluit disciplina, ad damnandus Clericos duorum, aut trium testimonia non sufficere.

Veteris Ecclesiæ judicia defensa.

§. XI. Antequam hinc habeamus, notam oportet eluere, quam per summam injuriam antiquis Ecclesiæ judiciis Jo. Clericus, Boehmerus aliique inurunt (*c*), quasi quæ fuerint iniquitatis & perfidiæ plena, quod in iis judices sederent ipsi reorum accusatores, hostes, inimici, adversarii, idque multis exemplis probant, in primis vero producunt Synodos Alexandrinam & Tyriam, in quarum prima Arius, in altera Athanasius ab inimicis & suspectis judicibus damnati sunt. *Idem factitatum*, addit Clericus, *in omnibus Episcoporum cœtibus, qui ab illo ævo sunt coacti; nam singulari jure præ laicis gaudent ecclesiastici, quo simul adversarii & legitimi judices esse possunt.* Sed ab exemplis velle omnia judicia ecclesiastica diffiare, nec jus, nec ratio ulla patitur, nec profecto licet vitia hominum ipsis legibus appingere. Fac hanc illamve Synodum inique se gessisse, & nullam veritatis, nullam innocentiæ rationem habuisse, an mox omnes sunt damnandæ, rejiciendæ, exterminandæ (*d*)! Cur non potius damnentur

(*a*) Can. II. & seq. eod.
(*b*) Conf. Jac. Gothof. in l. 20. C. Th. Quorum appellat. non re.
(*c*) Cleric. Biblioth. univers. tom. 10. p. 468. & Art. crit. tom. 3. ep. 6., Boehm. Jur. eccles. lib. 5. tit. 1. §. 9. & seqq.
(*d*) Conf. Gulielm. Cave epist. apolog. advers. Cleric.

tur ipsa peculiaria judicia & Synodi, quæ contra ecclesiasticas regulas habitæ sunt, ut ipsa fecit Ecclesia? Aperte quoque regulis ecclesiasticis prohibetur, aliquem simul esse accusatorem & judicem: qua ratione docet Augustinus, damnari criminosos non posse, nisi sponte confessos, aut per accusationem in judicio convictos (*a*). *Quis enim sibi utrunque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & accusator & judex?* Et Innocentius Papa improbato judicio per Theophilum Alexandrinum injuria in Chrysostomum lato, id urgebat, cogi debere irreprehensibilem Synodum occidentalium & orientalium, à qua tam amici, quam inimici secederent, quod Palladius testatur (*b*).

CAPUT XXVIII.

De purgatione canonica & vulgari.

Definitio & species purgationis.

§. I. Recepta apud veteres judiciorum ecclesiasticorum in criminibus eruendis & puniendis methodus labentibus annis novas crimina probandi rationes admisit, *purgationes*, nimirum, sive *canonicas*, sive *vulgares*. Purgatio rhetoribus erat status, sive constitutio, in qua reus negabat, se consulto fecisse, atque ita facto concesso culpa removebatur (*c*). At in jure canonico & mediorum sæculorum monumentis eo nomine venit innocentiæ propriæ super objecto crimine facta demonstratio, qua non tantum culpa removetur, verum etiam factum ipsum negatur, & falsum esse ostenditur. Ejus duplex species, alia *canonica*, alia *vulgaris*. Et canonica quidem purgatio sic dicta, quod sacrorum Canonum & Ecclesiæ auctoritate probata fuerit, est solemnis præstatio jurisjurandi adhibitis sacramentalibus, quo in inopia probationum innocentia ab objecto crimine probatur. Vulgaris vero erat demonstratio innocentiæ aut alterius facti controversi, quæ modis vulgi auctoritate receptis peragebatur, veluti duello, ferro candenti, & inde vulgaris dicta est. Primum de canonica, deinceps de vulgari purgatione dicemus.

Jure civili sacramentum suppletorium *in criminibus ignotum.*

§. II. Jure Romano in causis criminalibus usurpatum non videtur fuisse jusjurandum, quo casu plena probatio deerat, ut ejus pondere semiplena probatio suppleretur: quod obloquentibus multis

(*a*) August. in libro quinquaginta homiliar. hom. L., Can. XVIII. c. 2. q. 1.
(*b*) Pallad. dial. de vita Chrysost.
(*c*) Auctor ad Heren. lib. 1. tit. 2. de Inven., Cicero.

tis glossatoribus, multisque etiam ex recentioribus interpretibus Ant. Matthæus, Jo. Zangerius, Boehmerus aliique jure meritoque amplexi sunt (*a*). Sane prætor in edicto, quo jusjurandum tuetur tantum de actione, non de accusatione loquitur: præterea nullum ejus sacramenti exemplum apud veteres Romanos occurrit. Quin nec ratio Romani fori patiebatur, ut in causis criminalibus dubiis jurejurando accusatio finiretur: accusatoris namque erat crimen objectum probare, & quidem evidenter, perspicue, plene: crimine non probato reus dimittebatur, verum accusator ex vinculo subscriptionis talionem subibat: existentibus vero indiciis & argumentis verisimilibus reus torquebatur, modo personarum conditio id pateretur. Ecqua ergo species reliqua erat, ubi deficiente plena probatione jusjurandum judex deferret? Præterea ex regulis civilis sapientiæ non erat, reos publicorum criminum in propria causa judices constituere; facile enim adducebantur ad pejerandum, qui facinus perjurio par admiserant, ut se à pœna liberarent. Uno tantum casu in re criminali ex legibus Romanis jusjurandum defertur, nempe judici, cui litigator dedisse, aut promisisse aliquid se dicit, si id probare non possit (*b*). Sed hoc jus novum est & singulare, & vix est, ut in consequentiam produci possit.

Purgatio canonica ex moribus christianorum instituta.

§. III. Quæ quum ita sint, mos probandi innocentiam sacramento in causis criminum à christianis videtur cœpisse, unde ad gentes, quæ quinto & sequentibus sæculis in Occidente Christum amplexi sunt, una cum religione pertransiit: nec audiendus Gonzalez (*c*), qui contraria omnia tenet, à moribus gentium ejusmodi purgationes in Ecclesiam permeasse. Et quamvis Canones deficiant, qui primam originem sacramenti in demonstrationem innocentiæ usurpari demonstrent; non desunt tamen argumenta, quibus constare possit, ex christianorum doctrina canonicas purgationes derivasse. Nimirum inde à quarto sæculo sepulchra & reliquiæ Martyrum etiam miraculis cœperunt celebrari, sensimque communis percrebuit opinio, Deum ad Martyrum reliquias mira operari, præsertim vero occulta quævis vi majori detegi & palam fieri (*d*): quin quidam Sancti peculiari quadam ratione perjuros odisse, ac statim punire credebantur, quod de S. Hervæo traditum est (*e*). Hac opinione undique diffusa & in dies crescente facile christianis fuit, ad veritatem occultam detegendam, ad Sanctorum reliquias sacramenta usurpare: quem usum Episcopi & Pontifices de vi miraculorum non dubitantes probarunt, & late produxerunt. Ipse Augustinus de vi mirabili sepulchri S. Felicis Nolensis conscius, eo misit Bonifacium Presbyterum & Spetium, qui sibi mutuo quoddam crimen objiciebant, ut patrati criminis veritas elucesceret (*a*). Sic inter christianos recepta sententia de vi sacramenti ad detegendam in occultis veritatem, mirum non est, si Alemani, Franci, Angli, Frisiones, Longobardi, qui nova Christo progenies accesserant, receptum usum adoptarint, & in suas leges transtulerint (*b*); qui enim ritus ex religione descendunt, facile mentes occupant, & in usum deducuntur. Cæterum labentibus annis sine reliquiis Sacramenta præstari cœperunt: quod generatim videtur invaluisse, ubi opinio de vi reliquiarum decreverat.

(*a*) Ant Matth. de Criminib. lib. 48. D. tit. 15. cap. 7. Jo. Zanger. orat. subjecta tract. de Quæstione, Boehmer. Jur. eccl. lib. 5. tit. 34 §. 3. & seqq.
(*b*) Auth. *Novo jure*, C. de Pœna jud. qui male judic.
(*c*) Gonzalez in cap. ult. ext. de Purgat. canon.
(*d*) August. ep. LXXVI. novæ edit. Paris., Greg. M. hom. 32. in Evang., Conc. Meld. ann. 845. Can. XXXIX.
(*e*) Albert. le Grand. in vita S. Hervæi cap. 3. in actis SS. die 17. Junii.

Purgatio canonica velut divinum judicium habita.

§. IV. Recepta apud christianos ad probandam innocentiam sacramenta tanquam divina judicia, quibus Deus veritatem demonstraret, haberi cœperunt, idque ea profecto ratione, quod vi reliquiarum divina jurantes veluti inviti ad occulta aperienda cogebantur. *Nos novimus*, inquit Augustinus (*c*), *Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad ejus locum venerat, ut falsum jurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat, reddere.* Et apud Gregorium Turonensem litigantium unus ad exortam inter eos litem finiendam ita alterum provocat (*d*): *usquequo uterque contendimus? sub judicio omnipotentis Dei ponamus. Eamus ad tumulum Martyris, & quod sub sacramenti interpositione dixeris, discernat virtus Sancti patroni.* Quod si religione reliquiarum jurantes nihil perculsi, pejerarent, ex malis, quæ inde in jurantes ingruebant, divinum hauriebant judicium; persuasum enim erat, Sanctos, ad quorum reliquias jurabatur, mox perjuriorum vindices futuros: & reapse permulta in vitis Sanctorum, qui ante sæculum X. floruerunt, exhibentur eorum exempla, qui divinitus puniti credebantur, quod pejerassent. Hac de causa jusjurandum, quod ad innocentiæ demonstrationem jurari consueverat: *verum* & *justum judicium*, item *divinum judicium* in antiquis monumentis appellatur (*e*).

Clerici etiam canonicæ purgationi subjecti.

§. V. Principio soli laici de criminibus accusati ad innocentiam suam

(*a*) August. ep. cit. LXXVI.
(*b*) Conf. Cangius v. *Juramentum.*
(*c*) August. cit. epist.
(*d*) Greg. Turon. lib. 2. de Mirac. c. 19.
(*e*) Can. 1. c. 33. q. 1., cap. 1. & 5. ext. de Frigid. & malef.

suam sacramento demonstrandam adstricti fuisse videntur, non item Clerici, qui ex veteris Ecclesiæ institutis, nec sæculo V. jurare solebant: sed deinceps etiam Clericis necessitas imposita est, ubi injecta crimina sacramentis eluere. Nimirum ex veteribus regulis Clericos vitæ integritate & puritate conspicuos esse oportebat, hactenus ut nedum aperta vitia, sed ne criminis quidem suspicionem in iis Ecclesia toleraret (*a*). Itaque ubi Clerici alicujus criminis infamia adspergebantur, nec convicti erant, demonstratione innocentiæ opus erat, ut sine aliorum offensione sacris vacarent. In hoc rerum statu oportunum visum est, eos jurare ad Sanctorum reliquias, quo jurejurando divinum judicium exhiberi credebatur: quem usum Gregorius M. probavit (*b*), deinceps vero Canones & Pontifices confirmarunt, promoveruntque (*c*). Quin non tantum inferiores Clerici, verum etiam Episcopi, & ipse summi Pontifices de criminibus suspecti adspersam notam sacramentis eluebant; licet Pontifices id sponte sua, non aliquo Canone jubente, facere solerent (*d*). Cæterum non semper Clerici macula criminis adspersi jurabant, sed aliquando mera responsione ad tumulos Martyrum facta se criminis infamia liberabant (*e*).

Purgatio canonica indicta crimine non probato.

§. VI. Jam ut esset locus sacramento ad innocentiæ demonstrationem, non requirebatur aliqua criminis, licet imperfecta, probatio, sed sufficiebat vel solus sinister rumor, vel accusatio. *Presbyter vel quilibet Sacerdos*, inquit Gregorius M. (*f*), *si à populo accusatus fuerit, & certi non fuerint testes, qui crimini illato approbent veritatem, jusjurandum in medio erit, & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia.* Idem quoque Gregorius Episcopum Leonem, cui sinister rumor crimina quædam appinxerat, subjecit sacramento, quamvis ex diligenti inquisitione constitisset, nulla criminis culpa eum teneri (*g*). Ita procedebat judicium ex recepta doctrina de vi divina, quæ in sepulchris Sanctorum reos ad crimina aperienda cogebat. Quo spectare videtur illud ejusdem Gregorii, qui ubi retulit, Leonem Episcopum, etsi culpa vacuum, ad beati Petri corpus jurasse, addit: *Quibus præstitis magna sumus exultatione gavisi, quod hujusmodi experimento innocentia ejus evidenter enituit.* Concinunt leges gentium, quæ sacramenta dari jubent, ubi nulla aderat probatio (*h*).

In

(*a*) Cap. 2. ext. de Purgat. canon.
(*b*) Can. V & VII. c. 2. q. 5.
(*c*) Cap. 5. & 10. ext. eod.
(*d*) Can. X. c 2. q. 5.
(*e*) Can VIII & seq. eod.
(*f*) Can. V. c. 2. q. 5.
(*g*) Can. VI. eod.
(*h*) Tit. 8. c. 16. §. 3. Leg. Bajuvar.

In canonica purgatione adhibiti compurgatores.

§. VII. Quoniam vero qui jurejurando se à criminis suspicione eluebant, veluti in propria causa sedebant judices, ac propterea facile erat, ut ad debitas pœnas evadendas pejerarent, mos inductus est, ut etiam alii testes adhiberentur, qui jurarent, se credere infamatum vera jurasse. Usus iste jam sæculo VI. receptus erat (*a*), qui labentibus annis longe lateque percrebuit, præsertim ubi non ad reliquias Martyrum sacramenta præstari cœperunt, aut ubi opinio de miraculis reliquiarum decreverat. Adhibiti testes, qui cum diffamato ipso jurarent, dicebantur *compurgatores*, *conjuratores*, *sacramentales*, ejusdemque cum reo ordinis, conditionis & viciniæ esse debebant, ac porro viri boni & honesti, ut verisimile videretur, eos nolle amore, odio, aut lucri spe pejerare (*b*). Compurgatores autem erant tres, quinque, aut septem; interdum etiam plures, si qui se purgabat, laicus esset, aut Clericus magni alicujus criminis infamia laboraret (*c*): quo spectant illæ formulæ in antiquis monumentis frequentes, *tertia*, *quinta*, aut *septima manu jurare*, hoc est, adhibitis tribus, quinque, aut septem sacramentalibus (*d*). Manus denominatio numero testium attributa inde ducta est, quod vel porrectis manibus, vel tactis sacrosanctis Evangeliis, aut Sanctorum reliquiis jurarent, ut recte Hieronymus Bignonius observat (*e*). Jurantes vero sacramentales non innocentem esse infamatum adseverabant, sed potius se credere, illum vera jurasse (*f*).

Canonica purgatio per Eucharistiam.

§. VIII. Canonicus quoque innocentiam probandi modus erat per sanctam Eucharistiam, quæ præsertim usurpari solebat ad detegenda occulta Clericorum crimina & furta in monasteriis à Monachis admissa (*g*). Si accusatus, aut suspectus de crimine Episcopus, aut Presbyter erat, ipse Missam in purgationem celebrare solebat, & Eucharistiam ad innocentiæ probationem sumere: si vero non Sacerdos innocentiam suam erat probaturus, ad altare adducebatur, ubi in Missa Eucharistiam manducabat, intentionemque suam conceptis verbis aperiebat, se corpus Domini in purgationem sumere. Addebatur aliquando execratio, qua suspectus sibi imprecabatur, ne Eucharistiam posset deglutire, vel eodem momento periret, nisi verum diceret, quod constat ex formula per Trithe-

(*a*) Greg. Turonen. lib. 8. Hist. Francor. c. 9. & 40.
(*b*) Can XII. & seq. c. 1. q. 5., c. 7. 9. & 11. ext. de Purgat. canon.
(*c*) Cap. 1. & 10 eod.
(*d*) Conf. Cangius v *Jurare*.
(*e*) Bignon. not. ad Marculf. lib. 1. c. 38.
(*f*) Can. XVII. c. 2. q. 5., cap. 5. ext. de Purg. canon.
(*g*) Can. XXIII. & ult. c. 2. q. 5.

themium relata (*a*). Usus hujus purgationis ab Ecclesia probatus est, quin ipse Gregorius VII. simoniæ insimulatus, celebrata Missa sumptaque Eucharistia, seipsum ab objecto crimine insontem probavit (*b*). Etiam apud gentes furti suspicio probari consuevit per crustum panis carmine infectum, & à Sacerdote datum eis, qui ea suspicione notati erant, quod Acron vetus Horatii interpres, testatur (*c*).

Canonicæ purgationis hodie rarior usus est.

§. IX. Purgationis canonicæ, sive juratæ, sive eucharisticæ hodiernis moribus ferme nullus usus est. Et jurata quidem in foro civili omnino defecit: at in foro ecclesiastico rarior evasit (*d*), non tamen in omnibus Ecclesiis videtur desuevisse. Interim ubi adhuc superest, summa cautione & prudentia in dubiis criminibus videtur indicenda (*e*); est namque demonstratio innocentiæ per jusjurandum omnino fallax & incerta. Etenim in tanta morum corruptione non adeo christiani jurisjurandi religione tangi solent, præsertim quando opinio de vi divina sacramenti omnino defecit. Hinc qui scelera admiserunt, crimen crimini addere, & pejerare facile inducuntur, tantum ut debitas sceleri pœnas & infamiam evadant. Purgatio vero eucharistica nec in foro ecclesiastico amplius usurpatur, impiumque videtur, Deum tentare, ut editis signis innocentiam demonstret.

Species vulgarium purgationum.

§. X. Canonicam purgationem excipiunt vulgares, modi nimirum vulgi auctoritate recepti, nulla vero ratione suffulti, ad veritatem in causis dubiis detegendam, quales præcipui fuerunt duellum, ferrum candens, aqua calida & frigida. Per duellum innocentia demonstrari credebatur, si quis se innocentem dicebat, indicto duello victor remaneret; contra reus habebatur, si victus cecidisset. In judicio ferri candentis suspectus de crimine nuda manu ferrum ignitum stringebat, quæ si illæsa ab igne remaneret, innocens; si adusta, nocens habebatur. Parum ab judicio ferri candentis distabant purgationes per vomeres ignitos, & per rogum accensum, in quorum primo qui reus dicebatur, supra vomeres ignitos longa serie digestos nudis pedibus ambulabat; at in altero per rogum accensum medius transibat; eratque in utroque innocentiæ indicium, si ignis nulla indicia relinqueret, contra adustio crimen admissum demonstrabat. In judicio aquæ ferventis suspectus de cri-

(*a*) Trith. in chron. Hirsaugiensi.
(*b*) Conf. Murator. diss. XXXVIII. Antiq. Italic.
(*c*) Acron ad Horat. lib. 1. ep. X. v. 50.
(*d*) Zypæus in Jure novo de purg. canon. n. 1.
(*e*) Conf. Espen. part. 3. tit. 8. cap. 4.

crimine nudum brachium in aquam ferventem immitebat, quod si illæsum extraheret, innocens: si contrarium, reus pronunciabatur. Probatio per aquam frigidam hoc modo fiebat, accusatus in aquam magna copia conclusam mergebatur; & si enataret, reus; contra si in imum devolveretur, omni culpa vacuus censebatur. Nero in aquam mersis periculum vitæ crearetur, probandi fune ligabantur, ut si in imum descenderent, tempestive extrahi possent (*a*). Hæc & alia hujus furfuris judicia Baluzius, Martene, Muratorius aliique pluribus exponunt & illustrant (*b*).

Apud ethnicos receptæ miræ probationes.

§. XI. Vulgaria ista judicia ethnicam sapiunt superstitionem, qua inter ethnicos ad occulta detegenda miræ prorsus rationes receptæ & consecratæ erant, idque fortasse non sine sacerdotum machinis, quorum erat sacra & mysteria populo proponere & explicare. Testis est Eusthatius, seu Eumathius, Attycomide & Daphnopoli fontes fuisse, quibus virginum pudicitia probabatur (*c*). Similis quoque fons erat apud Ephesum, *stygis* nomine dictus, quo mulieres impudicitiæ suspectæ descendebant, præstito tamen prius sacramento, quod in tabella descriptum collo alligatum gerebant: immota usque ad crura manebat aqua, si pudicæ essent; sin minus, aqua intumescebat, & usque ad collum se attollens, tegebat tabellam, quod Achiles Tatius tradit (*d*). Celtæ quoque judicia per aquam usurpabant, quod Fridericus Heinius pluribus docet (*e*): præsertim vero Rhenensis tractus accolæ in more habuisse dicuntur, infantes recens natos fluvio imponere, qui si natare scirent, vel enatassent alveum, legitimi habebantur, illegitimi vero, si aquis & fluvio cederent, quod ex Claudiano Barthius observat (*f*). Cognita etiam & usurpata gentibus erant judicia per ignem; constat enim ex Sophocle, occulta scelera per ferrum candens manibus impositum detegi consuevisse (*g*), quod quidem ferrum Græcis μύδρος dictum est, ut Sophoclis scholiastes testatur. Receptissima quoque erant apud Germanos aliasque septemtrionis gentes ad veritatem occultam detegendam judicia per duellum: Germani etiam ex antiquis institutis, teste Vellejo (*h*), consueverant lites armis dirimere, non jure terminare: qua de re Basnage multa congessit (*i*).

Ori-

(*a*) Hincmar. Rhemens. de Divortio Lotharii.
(*b*) Baluz. in Capitular., Cangius in Glossar. mediæ & infim. Latinit., Martene de Antiq. Eccles. ritib., Murator. diss. XXXVIII. & seq. Antiq. Italic.
(*c*) Eusthat. lib. 8 & 2. de Amorib. Ismeniæ & Ismenes.
(*d*) Achill. Tatius de Amorib. Clitoph. & Leucippes lib. 9.
(*e*) Frid. Heinius de Probat quæ olim fieri solebat per iguem & aquam.
(*f*) Barthius not. in Claudian. lib. 2. in Rufin. v. 110.
(*g*) Sophocl in Antigone.
(*h*) Vellejus lib. 2. cap. 118.
(*i*) Basnage Traité historique sur les duels.

Origo vulgarium probationum apud christianos.

§. XII. Barbaræ gentes, quæ V. sæculo & deinceps imperium Romanum Occidentis occuparunt, miras occulta probandi rationes usurpabant, easque ad Christum conversæ non deposuerunt, quin potius ex moribus tum apud christianos receptis auxerunt, & certiores reputarunt. Nimirum ea tempestate Occidentis provincias tetra ignorantiæ nox occupabat, jamque christiani miraculis supra modum tangebantur. Illud tum erat sapere, fidem Deo habere, omnem spem in illo collocare, ab eo expectandam rerum occultarum revelationem, quod ex miraculis constat, quæ ad Martyrum & Sanctorum sepulchra passim edita circumferebantur. Hinc novi christiani ex patriis institutis plura retinuerunt ipsius Christi doctrinæ parum convenientia, quæ sensim ex genio sæculi magis magisque propagata sunt, & à rudibus populis veluti manifesta signa, quibus Deus occulta manifestaret, haberi cœperunt. Inde vulgares omnes purgationes *judicia Dei* dicta sunt, etiam ipsum duellum, quod à Christi doctrina quam maxime abhorret, idque pluribus congestis monumentis Cangius probat (*a*). His moribus instructæ barbaræ gentes, deinde scriptis legibus vulgares purgationes confirmarunt, easque tum in occultis criminibus eruendis, tum in civilibus causis decidendis adhiberi voluerunt: quo factum, ut judiciorum omnium explicatio apud gentes Occidentis, quæ jure Romano non viverent, tota ferme vulgaribus probationibus, & præsertim duellis constaret. Et ne quid deesset ad barbariem & superstitionem confirmandam, accessit peculiarium Synodorum & multorum Episcoporum auctoritas, qua deliramenta illa probata sunt (*b*).

Systema Montesquii de vulgaribus probationibus confutatur.

§. XIII. Quæ quum ita sint, rem acu tetigisse non videtur Montesquius (*c*), vir alias quavis prædicatione major, qui tenet, gentes judicia vulgaria non ulla vi divina, non ullis miraculis recepisse & æstimasse, sed potius ex patriis moribus & institutis, quæ cum illis deliramentis conveniebant. Nimirum gentes septentrionales armis tractandis & laboribus assuetæ vim & corporis fortitudinem contrahebant. Hinc, judice Montesquio, duellum in rebus dubiis indictum, eoque de veritate controversiæ indicatum; quod qui duello caderet, credebatur non ex gentis moribus educatus, atque inde ignavia & vilitate sua potuisse crimen objectum admittere. Simili ratione opinatur, judicia ferri candentis & aquæ ferventis moribus Germanorum, non ullis miraculis vim probandi habuisse. Gens enim

(*a*) Cangius v. *Judicium Dei*.
(*b*) Can. XV. c. 2. q. 5.
(*c*) Montesquieu de l'Esprit des loix livre 28. chap. 17.

enim armis & laboribus assueta manus & membra indurabat: ac proinde, qui contactu ferri candentis, & aquæ ferventis judicia ignis suscipiebat, mollitiem suam patriis moribus adversam indicabat, ac porro facile erat concludere, ipsum objectum crimen admisisse. Sanctis ingeniosa est philosophia: at valde vereor, ut probari possit: nec enim qui aquæ ferventis judicium subibat, idem dictum puta in ferri candentis judicium, illam summis digitis tangebat, & statim manum retrahebat; sed nudam manum brachiumque in imum vasis aquam ferventem continentis immittere debebat, & inde lapidem vel lignum extrahere. Et deinde in vulgaribus probationibus, etiam in duello, veteres, qui ea deliramenta usurpabant, semper divinam virtutem & miracula prædicabant (*a*); tantum abest, ut aliquando ex moribus patriis earum vim & inde deductas probationes æstimaverint.

An Eugenius II. auctor probationis per aquam frigidam?

§. XIV. Porro viri eruditi Mabillonius & Hertius tenent (*b*), judicium aquæ frigidæ ab Eugenio Papa II. fuisse institutum, idque probant ex Remigianis membranis, quæ IX. sæculo scriptæ dicuntur, & ex veteri Canonum collectione in monasterio S. Mariani apud Altissiodorum adservata, in quibus institutio judicii per aquam frigidam huic Pontifici tribuitur. Verum non facile admittendum, Romanum Pontificem vulgarem & superstitiosum ritum invexisse, quod Nat. Alexander & Boehmerus pluribus adstruunt (*c*). Etenim tam in Remigianis membranis, quam in codice Altissiodorensi memoriæ proditum est, Eugenium judicium per aquam frigidam instituisse, quod ob perjurii periculum sacramentum super altare & Martyrum reliquias abrogaverat. Credibile vero non est, Eugenium ob perjurii metum antiquam & receptam per sacramentum probandi rationem abrogasse, ejusque loco superstitiosum ritum, cui sacrilegii periculum inerat, substituisse; subiturus enim aquæ frigidæ judicium Eucharistiam sumere tenebatur. Deinde Ludovicus Pius, Eugenio admodum deditus, judicium aquæ frigidæ abrogavit (*d*), non vero facile abrogasset, si ab Eugenio institutus scivisset. Nullo quoque idoneo argumento demonstrari potest, Pontifices probationes vulgares unquam probasse, quas potius strenue damnarunt, & sacramento omnem divini judicii auctoritatem tribuerunt. Hæc & alia facile persuadent, membranas Remigianas sæculo IX. opera Monachi alicujus in Gallia sub nomine Eugenii scriptas fuisse, ut majus pondus probationi per aquam frigidam, quæ in Gallia & Germania usurpabatur, conciliaret.

In

(*a*) Conf. Cang. v. *Judicium Dei*, & Boehm. lib. 5. Jus eccles. tit. 35. §. 21.
(*b*) Mabill. in Veter. analect., Hertius de Inspect. ocul. §. 18.
(*c*) N. Alexander Hist. eccles. sæc IX. & X. c. 1. art. 4., Boehm. loc. cit. §. 13. & seq.
(*d*) Conc. Aquisgr. ann. DCCCXXIX. Can. XII.

In vulgaribus probationibus sacri ritus adhibiti.

§. XV. Quoniam vero per vulgares probationes Deum ipsum editis signis veritatem demonstrare credebatur, facile earum usus sacer evasit, & ante judicium varii sacri ritus adhiberi cœperunt, tanquam si purgationes istæ ex Dei voluntate susciperentur; qui mores in illis Ecclesiis obtinuerunt, quæ judicia Dei receperant & usurpabant. Itaque judicio aquæ, aut ignis innocentiam suam probaturus post trium dierum jejunium ad Ecclesiam adducebatur, ibique super eum in genua provolutum & orantem plures per Sacerdotem recitabantur preces: tum Missa celebrabatur in hanc rem propria quæ *Missa judicii* dicebatur, & peculiaribus orationibus, præfatione & adjurationibus ipsi judicio opportunis erat instructa. Inde judicium subituro corpus & sanguis Christi dabatur, & quidem speciali formula, quæ habebat, corpus & sanguinem Christi ei purgationem esse. Expleta Missa Sacerdos aquam benedicebat; pergebatque ad locum, ubi judicium fieri debebat, & ex illa probaturus bibebat. Tum aquæ, aut ferri fiebat adjuratio, qua illa adjurabantur ad fugandam & frangendam omnem diaboli potestatem, & vim divinam adquirendam, qua veritas & innocentia demonstraretur. Finita adjuratione probaturus propriis vestibus se exuebat, evangelium & Christi crucem exosculabatur, aqua benedicta aspergebantur omnes præsentes & judicium fiebat. Suis etiam consimilibus sacris ritibus instructa erant reliqua Dei judicia, etiam ipsum duellum: quos ritus & orationes Delrio, Stephanus Balutius, Martene, Goldastus aliique collegerunt.

Vulgarium probationum vanitas.

§. XVI. Vulgares probationes in judiciis mediæ ætatis receptæ nedum vanæ erant, & rebus controversis nulla ratione conjunctæ; verum etiam religioni christianæ adversabantur, utpote quæ Deum ad edenda miracula, ubi nulla erat necessitas, tentabant & veluti cogebant. Et quamvis circumferantur exempla quibus reapse editis miraculis per vulgares probationes veritas demonstrata dicatur; tamen quod in certis casibus Deo ob justas causas facere placuit, ad casus ordinarios non recte traducitur: ne quid dicam de veritate illorum signorum, quæ aliquando machinis hominum videntur evenisse, vel vulgi in rebus naturalibus ignorantia tanquam mira habita sunt. Hinc ea ipsa ætate, qua christiani his deliramentis capiebantur, non defuerunt, qui judicia Dei tanquam vana exploserunt. Certe Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus edito peculiari opere purgationum vulgarium usum damnavit, eodemque teste tantum *vani homines nominabunt ista judicia Dei.* Luitprandus quoque Rex Longobardorum vanitatem duellorum ad detegendam veritatem

&

& causas finiendas agnovit (*a*); & Ludovicus Pius judicium aquæ frigidæ omnino reprobavit, nec ulterius adhiberi voluit (*b*). Extant quoque apud Gratianum fragmenta sub nomine Gregorii M. & Stephani V. Pontificum, quibus judicia per aquam calidam & frigidam & ferrum candens tanquam superstitiosa & vana reprobantur, nec amplius usurpari permittuntur (*c*). Sunt quidem monumenta ista falso Pontificibus adscripta; at interim demonstrant, non defuisse viros in religione instructos, qui recepta deliramenta rejicerent.

Vulgares probationes desuetæ.

§. XVIII. Verum nec ratio, nec religio, nec hominum gravissimorum de vulgaribus probationibus judicia tanti fuerunt, ut sæculis IX., & duobus sequentibus christianos devios in viam reducerent, & recepta deliramenta relinquerent; longo enim tempore & satis claro multumque diffuso rationis lumine opus est, ad fugandos mores, quos non minus ignorantia, quam superstitio consecravit. Ipse Luitprandus Rex Longobardorum quamvis duellorum in dirimendis causis vanitatem agnosceret; ea tamen ob mores gentis non potuit abolere. Sed sæculo XII. & sequentibus, ubi litterarum studia & legum Romanorum florescere cœperunt, majori vi ad extirpandas vulgares probationes Romani Pontifices Alexander III., Innocentius III. & Honorius III. incubuere, easque variis editis decretalibus, tanquam superstitiosas & vanas omnino damnarunt (*d*). Ita sensim desierunt christiani vanas & superstitiosas probandi rationes adhibere, cœpitque in judiciis, qua criminalibus, qua civilibus nova judicandi & procedendi methodus rationi & legibus Romanis conformior. Hinc Raymundus, qui Gregorianas decretales compilavit, non integrum retulit Canonem Concilii Triburiensis, quo vulgaria judicia probabantur (*e*); omisit scilicet verba *ferventi aqua, aut candenti ferro* (*f*), quæ sæculi XIII. jurisprudentiæ adversabantur, & vulgi jam abolitis deliramentis favebant. Cæterum etiam post tot Pontificum decreta, & quod magis est, post tot litterarum & rationis undique diffusa lumina supererant adhuc in Germania, quo tempore Delrio scribebat (*g*), judiciorum Dei vestigia: adeo difficile est, vulgi præjudicia radicitus extirpare.

CA-

(*a*) L. 65. lib. 6. Leg. Longobard.
(*b*) Addit. 4. ad Capitul. c. 113.
(*c*) Can. VII. & XX. c. 2 q. 5.
(*d*) Cap. 10. ext. de Excess. prælat., c. 3. ext. de Purgat. vulg.
(*e*) Can. XV. c. 2. q. 5.
(*f*) Cap. 1. ext. eod.
(*g*) Delrio lib. 4. Disquisit. magic. c. 4. sect. 4.

CAPUT XXIX.

De hodierno judicio criminali ecclesiastico.

Accusationis descriptio.

§. I. Jure decretalium tribus ferme modis judicia criminalia instituuntur, *accusatione* nempe, *denuntiatione* & *inquisitione* (*a*). Accusatio est criminis alicujus apud competentem judicem ad publicam vindictam scripto facta delatio. Scriptura, qua rei deferuntur, libellus accusatorius audit, tantumque in criminibus levioribus, quorum persecutio de plano procedit, scripturæ necessitas & solemnis accusatio remittitur. Accusatio autem clare & distincte instituenda est, ideoque libello comprehendi debent judicis, accusatoris & delati nomina, itemque criminis species, locus & dies, quo delatus se crimine obstrinxit. Nec omittenda inscriptio & subscriptio in crimen (*b*), quarum illa ex forma veterum legum, quæ in decretalibus etiam confirmantur, accusator profitetur, se Cajum vel Titium alicujus criminis deferre, eumque peracturum reum; hac vero se ad talionis, seu reciproci pœnam obstringit, nisi objectum crimen probaverit. Cæterum moribus præsentibus subscriptio & pœna talionis desueverunt, tantumque calumniosis accusatoribus & tergiversatoribus pro arbitrio judicis pœna solet irrogari.

Qui vetantur accusare.

§. II. Accusatio etiam jure decretalium publica censetur, & inde omnes, qui expresse per leges & Canones non prohibentur, possunt accusare. Prohibentur vero accusare in primis infames (*c*), criminosi, sive jam accusati sint, & nondum se purgaverint (*d*), sive nondum accusatio præcesserit; sufficit enim jure decretalium, ut quis ab accusatione, præsertim Episcoporum, repellatur, ut crimen objici possit (*e*): item repelluntur ab accusando excommunicati (*f*), impuberes, mulieres (*g*). Excommunicatis accedunt hæretici, ethnici, Judæi, quibus fideles accusare, eisque infamiæ notam inurere omnino non licet (*h*). Nec porro liberi adversus parentes, nec fratres adversus fratres & sorores ad instituendam accusationem admittuntur (*a*). Item jure decretalium ab accusando arcentur inimici capitales (*b*), ne irati nocere cupiant: itemque laici Clericos accusare prohibentur (*c*), idque demum auditum est, ubi invalescere cœpit doctrina, laicos Clericis infestos esse (*d*). Porro status conditio Clericis & Monachis accusare non sinit, præsertim in criminibus gravioribus, quæ pœna sanguinis puniuntur (*e*), ne morte aut mutilatione secuta à Canone sint alieni. Omnes vero, quibus accusare non licet, tum maxime accusatione repelluntur, si vindictam publicam intendant; nam ad injurias sibi suisque illatas persequendas omnes, alias inhabiles, non tamen excommunicati, ad accusandum admittuntur, modo si Clerici sint, expresse edicant, se sanguinis pœnam non intendere.

(*a*) Cap. 24. ext. de Accusationib.
(*b*) Cap. 16. ext. eod., & cit. c. 24.
(*c*) L. 8. D. de Accusationib, Can. XVII. c. 6. q. 1.
(*d*) Cap. ult. ext. de Testib. & attestationib.
(*e*) Can. XV. & XVIII. c. 2 q. 7.
(*f*) Can. VII. c. 3. q. 4., c. 7. ext. de Judic.
(*g*) Can. XIV. c. 2. q. 1.
(*h*) Can. XXIV. c. 2. q. 7.

Accusatio non fit per procuratorem.

§. III. Quicumque vero sit qui accusat, etiam jure decretalium per se reum deferre tenetur, non per procuratorem. Jure Romano in causis criminalibus ad persequendum frustra procurator intervenit, multoque magis ad defendendum; idque verum est, non solum si causa sit capitalis, verum etiam ea, ex quo irrogari solet pœna usque ad relegationem (*f*). Nimirum per contestationem procurator fiebat dominus litis (*g*), & hinc tanquam principalis accusator in crimen inscribere tenebatur, & talionis pœna se obstringere, si crimen non probaret: quod in bene constituta republica non videbatur admittendum. Hæc jurisprudentia obtinuit in veteri Ecclesia, probatur in falsis decretalibus (*h*), & in jure canonico novo repetita est; aperte enim Innocentius III. habet, accusationem ab ipso principali, non vicaria alterius opera fieri debere ob vinculum inscriptionis & talionem, cui accusator se debet addicere (*i*). Quod si de crimine non ad vindictam publicam, sed civiliter agatur accusatio procuratorem non excludit (*k*): idque etiam locum habet, si per denuntiationem crimen deferatur; denuntiatio enim non ad ordinarias pœnas irrogandas, sed ad emendationem instituitur, nec requirit subscriptionem (*l*). Moribus præsentibus quod subscriptio in crimen desuevit, & fictio dominii litis per contestationem adquisiti nullius effectus est, accusatio per procuratorem recipi solet.

Mi-

(*a*) L. 13. & 18. c. De his, qui accusare.
(*b*) Cap. 7. ext. de Accusationib.
(*c*) Can. I. & seqq. c. 2. q. 7., c. 14. ext. de Testib. & attestationib.
(*d*) Conf. superius dict. c. 26. § 11.
(*e*) Can. VI. c. 2. q. 7., c. 9. ext. ne Clerici vel Monachi.
(*f*) L. 1. D. An per alium causæ appellat. reddi possint.
(*g*) L. 22. & seq. C. de Procurat.
(*h*) Can. III. c. 2. q. 8., Can. VIII. c. 3. q. 9.
(*i*) Cap. 5. ext. de Procuratorib., c. 13. & seq. ext. eod.
(*k*) Cit. cap. 5.
(*l*) Cap. 16. ext. de Accusat.

Minister fiscalis hodie in vindictam publicam accusat.

§. IV. Moribus præsentibus non promiscue omnibus licet in publicam vindictam accusare, sed in utroque foro publicum accusandi munus minister fiscalis, qui in foro ecclesiastico *promotor* dicitur, sustinet, & institutas accusationes exequitur. Etiam jure Romano cogniti erant, qui ex officio accusare tenebantur (*a*), dum interim integra stabat jurisprudentia, qua cuilibet de populo in publicis criminibus accusandi facultas erat: videturque officium illud institutum, quod ob periculum inscriptionis non facile privati ad accusandum prodirent. Verum stabile & generale fiscalis officium, quo facultas accusandi omnibus concessa sublata est, & uni in publicam vindictam accusare conceditur, posterioris ætatis legibus & moribus debetur: mutata enim reipublicæ forma, & vulgaribus probationibus foro omnino dejectis, vix erat, ut stare possent leges Romanæ, quæ ex principiis democratiæ derivatæ omnibus accusandi potestatem faciebant: & satius visum est, publici accusatoris munus instituere, quam singulis civibus, quibus non adeo cordi est publica utilitas, accusationes relinquere. Accusat vero pro jure suo minister fiscalis in omnibus criminibus, tantumque jure municipali nostro excipiuntur stuprum & adulterium, in quibus ex officio sine partis offensæ quærela judicium aliumve judicialem actum institui vetitum est (*b*), ne familiarum status perturbetur. Quod vero fiscalis ex officii necessitate accusat, cessat in crimen subscriptio, & pœna talionis, tantumque extra ordinem punitur, si commissa sibi potestate in privatorum perniciem abutatur (*c*). Sed nec potest fiscalis accusare, nisi ex prævia inquisitione constet, vel conjiciatur, aliquem crimen admisisse: factaque accusatione nihil in criminali judicio fieri debet, nisi eo citato & audito. Cæterum quod in foro ecclesiastico promotoris præcipue est inquirere in crimina, & excessus Clericorum, recte in Synodis cautum, ut nonnisi Clerici eo officio fungantur.

Denuntiatio ejusque natura.

§. V. Alter in criminalibus procedendi modus jure decretalium denuntiatio est (*d*), qua occulti criminosi ad Episcopum deferuntur, non ad pœnam irrogandam, sed ut ejus admonitionibus & increpationibus ad bonam frugem & pœnitentiam convertantur. Conveniunt hac in re decretales cum veteri Ecclesiæ disciplina, qua occulti peccatores ad Ecclesiam deferebantur, Episcopi vero delatos conveniebant, eosque clam ad bonam vitam adhortabantur, ulterius vero in contumaces non procedebant (*a*). Et quoniam denuntiatio ad emendationem spectat, hinc secreto fit & sine libello, quisque potest denuntiare, etsi alias accusare vetetur: delator ad criminis probationem non adstringitur, & solemnis in crimen inscriptio cessat (*b*). Inde etiam est, quod denuntiationem privata & christiana admonitio præcedere debet (*c*): si enim privata exhortatione frater tuus emendetur, ut quid eum ad Episcopum deferas? Recepta denuntiatione Episcopus causa cognita non procedit, sed clam denuntiatum corripit, increpatque, nec ultra procedit, si ille in negando persistat. Tantum jure decretalium judex denuntiatione verum judicium instituit, si agatur, ne crimen admittatur (*d*), non si admissa crimina punienda sint: quo casu judicium ad denuntiationem novi operis accedit. Verum moribus receptis etiam judicia criminalia denuntiatione instituuntur; ubi enim recepta sunt judicia per inquisitionem, denuntiatio haberi cœpit loco diffamationis, eaque accepta judici via aperitur ad inquirendum ex officio contra aliquem (*e*). Sic mutata scena denuntiatio accedit ad accusationem, & fieri debet à personis haud suspectis, & quidem de ipso delicto, additis in specie adjunctis & argumentis, quæ gravare possunt denuntiatum.

(*a*) L. 6. D. de Custod. & exhibit. reor., l. 7. C. de Accusationib.
(*b*) Conf. Gagliard Inst. jur. can. lib. 4. tit. 2 §. 8.
(*c*) Conf. Damhauder. in Prax rer. crimin. c. 6.
(*d*) Cap. 24. ext. de Accus., cap. 31. ext. de Sim.

Quî judicia criminalia per inquisitionem instituuntur.

§. VI. Tertius jure decretalium causas criminales instituendi modus *inquisitio* est, qua judex ecclesiasticus sine ullo accusatore ex officio inquirit in veritatem criminis admissi, cujus quis per publicam famam insimulatur. Ita in inquisitione deficit accusator, & simul etiam inscriptio in crimen; judex vero totam scenam instruit, causamque ex officio exequitur, modo tamen publica fama, quæ accusatoris loco sit, præcedat. *Sicut accusationem*, inquit Innocentius III. in Concilio generali (*f*), *legitima debet præcedere inscriptio, sic & denuntiationem charitativa monitio, & inquisitionem clamosa insinuatio prævenire.* Per inquisitionem institutum judicium jure decretalium extraordinarium erat, & inde mitior pœna irrogabatur per inquisitionem, quam si per accusationem judicium instituebatur (*g*). Ignota hoc sensu inquisitio veteribus Patribus fuisse videtur, vetus enim Ecclesia non facile quenquam sine accusatore damnabat (*h*), nisi crimen esset manifestum, aut sponte ab ipsomet reo delatum.

For-

(*a*) Can. XIX. c. 2. q. 1.
(*b*) Cap. 16. ext. de Accusat.
(*c*) Cit. cap. 24.
(*d*) Cap. 13. ext. de Despons. impub.
(*e*) Conf. Jul. Clarus pract. crim. l. 5. §. fin. q. 7. n. 1.
(*f*) Cap. 24. ext. de Accusationib.
(*g*) Cit. cap. 24.
(*h*) Can. XVIII. c. 2. q. 1.

Fortasse primus Innocentius III. inquisitionem invexit, eique causam dedisse videntur corrupti Clericorum mores, contra quos non facile accusatio poterat institui, tum propter subscriptionis discrimen, tum etiam quod laici Clericos accusare vetarentur. Cæterum moribus hodiernis modus procedendi per inquisitionem in utroque foro censetur ordinarius, quod publici accusatores non solent, nisi prævia inquisitione, accusationem instituere (*a*).

An jure Romano sola inquisitione de criminibus quæsitum?

§. VII. Num vero judicia criminalia per inquisitionem, quæ ex officio judicis sine accusatore instituitur, legibus Romanis cognita fuerint, non una est eruditorum sententia. Ant. Matthæus tenet, saltem extra ordinem ejusmodi judicia, tum in urbe, tum in provinciis fuisse usurpata (*b*), à qua sententia Franc. Balduinus alienus non est (*c*). Contra ex meliore ratione Thomasius & Boehmerus contendunt (*d*), jure Romano criminalia judicia tantum per accusationem fuisse instituta, ignotas vero fuisse inquisitiones sine ullo accusatore. Sane non minus Ciceronis, quam legum auctoritate constat, neminem sine accusatore damnari (*e*). Nec huic sententiæ obstant jurisconsulti, dum referunt, mandatis Principum cautum fuisse, *ut præsides sacrilegos, latrones, plagiarios conquirant, & ut quisque deliquerit, in eum animadvertent* (*f*). Etenim ex Principum mandatis non ipsi magistratus facinorosos conquirere debebant, sed potius Irenarchæ, Nuntiatores, Curiosi, Stationarii, quibus ubi privatæ accusationes propter inscriptionis & talionis periculum rariores actæ erant, officium conquirendi facinorosos, ut pacata & quieta esset respublica, demandatum est. Nuntiatores autem, & si qui eo munere aucti erant, à se inquisitores inde accusare tenebantur, quod indicat Marcianus jurisconsultus, qui ait, solis Irenarchæ epistolis non esse credendum, sed ipsum venire oportere, & *quod scripsit, exequi* (*g*), per accusationem nimirum & probationes. Conquisitio igitur facinorosorum jure Romano non officio magistratus continebatur, sed potius in eam rem certi officiales erant deputati, qui tamen à se conquisitos inde accusabant, tantumque in hoc judicio inscriptione & subscriptione opus non erat (*h*). Illud interim verum videtur, Innocentium III. ex legibus Romanis de conquirendis facinorosis, in quarum studio pro modo ejus ætatis versatissimus erat, judicia per inquisitionem invexisse, quamvis veram earum sententiam fortasse assecutus non sit.

(*a*) Conf. Espen. part. 3. tit. 8. c. 1.
(*b*) Ant. Matth. de Criminib. ad lib. 48. D. tit. 20. cap. 1.
(*c*) Balduin. Comment. ad edict. veter. Princip. de christianis.
(*d*) Thomas. de Origine process. inquisit. §. 35. & seqq., Boehm. lib. 5. Jur. eccles. tit. 1. §. 81.
(*e*) Cic. pro Roscio Amerino c. 20., l. 6. §. 2. D. de Munerib. & honorib., l. 38. §. 7. D. ad l. Jul. de Adulter.
(*f*) L. 4. §. 2. D. ad l. Jul. pecul., l. 13. D. de Off. præsid.
(*g*) L. 6. D. de Custod. reor.
(*h*) L. 7. C. de Accusat.

Probatio delicti in genere, & in specie.

§. VIII. Jure accusatione, aut alias criminis delatione recepta, seu alias patrati criminis fama existente, judex, audito fisci promotore, in crimen inquirit, quod forensi voce *informatio* audit. Hac prævia inquisitione duo ad liquidum judex redigere debet, delictum nempe fuisse admissum, & quisnam illud admiserit, quorum illud *delictum in genere*, hoc *in specie* forenses dicunt. Sunt hæc duo judicii criminalis fundamenta & bases præcipuæ, quorum unum si deficiat, judicium nullum esse potest. Nisi enim constet, crimen fuisse admissum, nihil est, quod judex judicium instituat (*a*): quin nec locus pœnæ esse potest, etsi reus crimen fateatur (*b*): & deinde crimine probato, nisi ejus auctor innotescat, frustra judex ulterius procedet. Adhibentur ad hæc duo probanda testes, tabulæ & judicia seu argumenta (*c*): & procul dubio falluntur quotquot in re criminali tabulis & argumentis probandi vim esse negant: quem errorem Anton. Matthæus late confutavit (*d*). Jam sive in crimen admissum, sive quisnam illud admiserit, inquiratur, summo studio & diligentia adjuncta omnia personarum, ætatis delinquentis, temporis, loci, causæ, & quæ sunt ejus generis alia adnotanda sunt: nam inde pendet rectum de crimine judicium, inde defensiones reis suppeditantur, inde pœnæ augentur, aut minuuntur.

De rei captura.

§. IX. Præviis inquisitionibus expletis judicis est decernere, utrum reus citari simul & in carcerem detrudi debeat, aut fidejussoribus vel sibi committi, an potius tantum citari, ut se in judicium exhibeat (*e*). Id vero judex decernet spectatis criminis objecti & probationum qualitate, rei ipsius dignitate, & fortunarum modo. *Hoc autem*, inquit Ulpianus (*f*), *vel pro criminis, quod objicitur, qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate ejus, qui accusatur, judex facere solet.* Consentiunt decretales, rescripsit enim Bonifacius VIII. Clericos, qui de parendo fidejussores dederint, non esse detinendos, *nisi excessus enormitas vel alia causa rationabilis eos suaserit detinendos* (*g*). Nimirum prehensio & custodia reorum ea ratione necessaria est, ne pœnæ metu illi perculsi aufugiant, & judi-

(*a*) L. 1. §. 24. D. ad SC. Silanian., cap. 13. ext. de Desponsat. impuber.
(*b*) L. 24. D. ad l. Aquil.
(*c*) L. ult. C. de Probationib.
(*d*) Ant. Matth. de Criminib. lib. 48. DD. tit. 15. cap. 5. & seq.
(*e*) L. 3. C. de Exhibend. reis.
(*f*) L. 1. D. de Custodia reor.
(*g*) Cap. 15. de Sent. excomm. in 6.

dicia elusoria fiant, quod non obscure etiam Tridentina Synodus expressit (*a*). Hinc si fugæ metus absit, nec agatur de atrociore crimine, prehensio præsertim contra Clericos facile decernenda non est; captura enim sine gravi incommodo & infamia fieri vix potest; nec incommodum aut infamia reis creanda, si nullus fugæ & evadendi judicii metus subsit. Uno tantum casu sine judicis decreto licet reos capere, & suo judici statim exhibere, si nempe in ipso crimine reperiantur, idque etiam à privatis hominibus fieri potest ad quietem & tranquillitatem reipublicæ tuendam (*b*).

De rei citatione.

§. X. Quod si ex criminis & personæ qualitate aliisve adjunctis judici videatur, reum non esse capiendum, tùm decernitur citatio, quæ usu fori alia *personalis*, alia *simplex* est. Et personalis quidem est, si reus ipse coram judice comparere teneatur, qua de causa vi publica in custodiam detruditur. Hinc citatio ista affinis est ipsi capturæ, & usu fori ea formula expeditur, *citetur ad informandum, & capiatur*. Tum vero locum habet, si crimen semiplene probatum sit, & pœna corporis relegationem excessura infligi debeat; itemque in levioribus delictis plene probatis. Simplex vero citatio est, si accusatus non vi publica ad judicem venire cogitur, sed tantum vocatur, ut veniat *ad deponendum tanquam principalis*, vel simpliciter *ad deponendum*, ut fori receptæ formulæ habent: quarum citationum illa decernitur in criminibus gravioribus, si admodum levia contra citatum adsint indicia, itemque in levioribus delictis non plene probatis (*c*): hæc vero si factum prorsus est ambiguum, & præsertim si citandus bono nomine fruatur, vel saltem mala fama non laboret. Simplex quoque est citatio *ad dicendum causam quare*, quæ in foro ecclesiastico decerni solet, si excommunicatio vel alia censura irroganda sit. Omnis vero citatio ut valeat jure cogere citatum ad parendum, continere debet nomen judicis citantis, judicii locum, quo reus se præsentem sistat, competentem ad comparendum dierum terminum, & causam propter quam citatio decreta est. Quin jure nostro municipali prohibentur ecclesiastici judices in causis fidei tam laicos quam Clericos, in reliquis vero fori ecclesiastici criminibus laicos citare, aut in carcerem detrudere, nisi acta originalia Regi offerant, & inde ab eodem Rege concedatur, ut ad citationem & capturam, & ad ulteriora procedere possint: quod ad sanctam inquisitionem prorsus abolendam Carolus olim Rex noster anno CIↃIↃCCXLVI. statuit.

Ab-

(*a*) Trid. sess. XXV. de Reform. cap. 6.
(*b*) L. 54. C. de Episc. & Cleric., l. 7. C. de Defensorib. civit., l. ult. C. de Malef. & mathem.
(*c*) Conf. Regens de Rosa prax. crimin. lib. 1. c. 9.

Absentis rei procurator fere non admittitur.

§. XI. Reus jure citatus intra terminum ei datum in judicio se præsentem sistere debet, nec admittitur, si velit per procuratorem respondere. Ex principiis Romani juris procurator litis contestatione fit dominus litis (*a*), atque adeo in eum sententia profertur (*b*): quod à judiciis criminalibus, ubi pœna criminum auctores tenere debet, omnino alienum est. Similiter jure decretalium procurator contestatione fit dominus litis (*c*), nec pro reo in causis criminalibus admittitur (*d*). Non tamen repellendus, si quis etiam sine mandato veniat absentium excusationes allegaturus, puta quod infirmitate aut alia justa causa, ne sui præsentiam faciant, impediantur (*e*). Quin jure Romano in causis, quibus absentes damnari poterant, quilibet audiendi erant, qui eorum innocentiam vellent ostendere, eosque tueri (*f*), non quidem tanquam veri procuratores, sed potius ratione communis officii, quod singulis incumbebat (*g*). Tantum illustribus personis jure civili concessum est, ut in causis injuriarum accusare, & se tueri possint per procuratores (*h*). Et jure regni nostri in causis criminalibus licet universitatibus & mulieribus nuptis sive ad accusandum, sive ad se tuendum vicaria alterius opera uti (*i*): itemque recte ad defensionem procurator intervenit, si plures, quam decem de eodem crimine accusentur, exceptis tamen hæresis & læsæ majestatis criminibus (*k*). Quod vero moribus nostris dominium litis, quod contestatione adquirebatur, ferme nullum est, non denegatur reis in custodia detentis post litem contestatam procuratoris opera exceptiones proponere, & seipsos tueri.

An absentes in contumaciam damnari possint?

§. XII. Jure citatus reus, nisi intra condictos dies sui præsentiam faciat, nec interim excusetur, contumax evadit, & in contumaciam punitur. Jure Romano in contumaciam absentibus pecuniariæ pœnæ, vel quæ existimationem contingunt, decerni poterant usque ad relegationem; non vero si quid gravius irrogandum fuisset, veluti in metallo, vel capitis pœna, quod totidem verbis Ulpianus habet (*l*). Verum jure ecclesiastico absentes per con-

(*a*) L. 11. D. de Doli mali & metus except.; l. 22. & seq. C. de Procuratorib.
(*b*) L. 1. C. de Sentent. & interlocut.
(*c*) Cap. 3. ext. de Procuratorib., cap. 1. & 6. eod. in 6.
(*d*) Cap. 5. ext. eod.
(*e*) L. 13. § 1. D. de Public. judic.
(*f*) L. 33. §. 2. D. de Procuratorib.
(*g*) Conf. Boehm. jur. eccles. lib. 5. tit. 1. §. 32.
(*h*) L. ult. C. de Injuriis.
(*i*) Const. *Generalia jura* tit. ut universitas accusata.
(*k*) Capit. Regni *eodem studio*.
(*l*) L. 5. D. de Pœnis.

contumaciam instar præsentium damnari consueverunt, quod Gratianus observat (*a*). Et jam moribus invaluit, ut in causis fidei & reliquis fori ecclesiastici rei citati, si per contumaciam absint, excommunicentur (*b*) etiam pro ipsa causa principali, quum deficientem in eos probationem contumacia suppleat (*c*).

De rei examine.

§. XIII. Reus in judicio constitutus legitimum examen subire, suoque judici jure interroganti debet respondere: nec enim quamvis præsentem, vel manifesti criminis reum, damnare licet, nisi prius illum judex audiat (*d*). Ante examen reo jusjurandum de veritate dicenda ab judice deferri solet, etsi multi hunc usum minus probent, quod perjuriis viam adaperiat. Instituitur examen præsente fiscali ministro: reus vero singulis interrogationibus sine mora tenetur respondere, neque datur dilatio ad deliberandum; usuque obtinet, ut reus examinetur, antequam dentur defensiones, aut indicia in eum congesta manifestentur (*e*). Dum vero reus respondet, maxima diligentia judici inspiciendum est, utrum constans sit in deponendo, an vacillet, an aliquod timoris indicium voce, vultu, trepidatione præbeat; an contraria sibi & repugnantia imprudens proferat. Et qui est ab actis, seu notarius omnia non solum responsa & verba, verum etiam animi motus, quos reus prodit, scripto consignat. Quod si crimen admisisse reus neget, & graviora in eum indicia urgeant, ea omnia ei deteguntur, quibus mendacii & perjurii coarguitur, & simul monetur, non minus humano, quam divino jure adstringi ad veritatem suo judici aperiendam. Absoluto examine fit solemnis inter fiscum & reum litis contestatio, quorum ille coram judice affirmat, reum constitutum crimen admisisse, hic vero negat, ambo veluti consertis in jure manibus contendentes.

Testium contra reum productorum repetitio.

§. XIV. Lite per examen rei & criminis negationem contestata, testes qui in inquisitionibus præviis auditi sunt, rursus debent examinari, & quidem ex integro tanquam si alias testimonium non dixissent. Etenim testes, qui in informatione prævia inscio reo auditi sunt, nullam fidem faciunt, nec ad irrogandam aliquam pœnam idonei censentur, utpote qui reo non citato testimonia sua deposuerunt; quod non minus civili quam canonico jure cavetur (*f*). Ergo iterum testes citantur, & inde coram ipso reo, vel coram alio ab ipsomet substituto jurant de dicenda veritate, & inde cum reo sua testimonia deponunt. Quin in foro ecclesiastico reus advocatus ad videndum testium sacramenta, potest capita sibi ingestæ criminationis petere, & inde interrogationes conficere, ad quas intra statos dies exhibitas testes, antequam sua testimonia proferant, respondere debent. Sed fit aliquando, ut testes coram ipso reo debeant sua testimonia instaurare, idque forensi voce dici solet *confrontatio*, veluti si testes rei nomen & cognomen ignorent, quem tamen affirmant, se in delinquendo vidisse. Possunt vero testes in secunda depositione, quæ negligentia aut dolo ex minatorum de primo examine desiderantur, addere vel supplere (*a*), item obscura vel ambigua dicta declarare (*b*). Quod si priora dicta correxerint, vel mutaverint, subornati præsumuntur, fidem non faciunt, & crimine falsi & perjurii se adstringunt. Et in foro sæculari ad eluendam perjurii suspicionem torqueri solent, ut in tortura declarent, quæ ex contrariis depositionibus vera sit, nisi novæ depositionis justa & probabilis causa subsit (*c*). Cæterum licet reo sine judicii vitio testium repetitioni renuntiare: quod in foro ecclesiastico *salvo jure repetendi* fieri consuevit (*d*).

Reo danda dilatio ad defensionem.

§. XV. Post depositiones testium instauratas, reo concedendum, ut seipsum tueatur, ne enim quemquam indefensum damnare licet: in quem finem certe dilatio datur: & simul etiam publicantur acta judicialia in reum congesta, eique communicantur, ut inde possit capita suæ defensionis instruere (*e*). Deinceps articulos suæ defensionis testesque examinandos producit. Jussu judicis citantur producti testes, uti & privatus accusator & minister fiscalis, ut testes jurare videant. Pars reo adversa jus habet postulandi articulos defensionis ad concipiendas interrogationes, quibus examinandi testes cogantur respondere. Quin promotori & privato accusatori in termino reo ad defensionem dato licet suas probationes augere: & hinc alii testes producuntur, quos judex advocat, & simul reum ad eorum videnda sacramenta citat. Concedenda vero reo defensio est, etiamsi crimen ultro fateatur; poterit enim contra suam confessionem excipere, eamque tanquam erroneam & falsam traducere (*f*), vel probabiles ad minuendum crimen afferre excusationes, veluti si dicat necessitate adactum, vel fortuito & præter voluntatem crimen perpetrasse.

No-

(*a*) Gratian. post Can. XIII. c. 3. q. 9.
(*b*) Cap 43. ext. de Rescript.
(*c*) Conf. Genuensis in Praxi Curiæ Neapol cap. 26. n. 4.
(*d*) L. 6. §. 1 D. de Custod reor., Can. LXXVI. c. 11. q. 3.
(*e*) Conf. Jul. Clar. in Pract. crimin lib. 5. § fin. q 45. n 7. & seq.
(*f*) Novell. XC. cap. 9., cap. 2. ext. de Testib. & attestationib.

(*a*) Cap. 58. ext. eod.
(*b*) Cap. 53. ext. eod.
(*c*) Conf. Julius Clarus Pract. crim. lib. 5 §. fin q. 53. n. 15., & Reg. de Rosa Prax. crim. lib. 1. cap. 1. n. 9 & seqq.
(*d*) Conf. Ambrosin. de Process. inform. lib. 3 cap. 2.
(*e*) Cap. 24. §. Debet ext. de Accusationib.
(*f*) L. 23. §. 11. D. ad l. Aquil., l. 1. §. 17. D. de Quæstionib.

Nova dilatio ad defensionem reo non deneganda.

§. XVI. Testibus jure examinatis, sive tantum ad defensionem super articulis à reo præsentatis, sive etiam ad offensam pinguiorem, si alii à fisco vel ab accusatore sint producti, acta decreto judicis publicantur, & utrique parti eadem inspiciendi facultas datur. Si reus deficientes suas animadvertat probationes, licet ei novas addere, ac proinde super adhibitis antea articulis novos testes producere: in judiciis enim criminalibus quocunque tempore facultas se defendendi reo deneganda non est. *Defensionem*, inquit Paulus jurisconsultus (*a*), *quocumque tempore postulante reo negari non oportet.* Hinc in causis criminalibus nulla est causæ conclusio; & si in aliquibus locis fieri solebat contrariis moribus sublata est. At fisco & privato accusatori non licet alios testes post defensionum publicationem ad offensam producere, nisi super novis maleficiis aut capitulis: quamvis quo termino post publicatas defensiones reus repulsam testium fiscalium peragit, & fiscus & privatus accusator possint à reo productos testes repellere.

Tormenta in foro sæculari quando adhibentur.

§. XVII. Jam audito in suis defensionibus reo, qui crimen se admisisse negaverit, si adhuc gravia contra eum indicia urgeant, in sæculari foro quæstiones, seu tormenta adhibentur, quibus adductus reus, vel invitus veritatem fateri cogitur. Usus tormentorum jure Romano veteri tantum in servis, qui personam in civitate non habebant, videtur probatus, inde ubi democratiæ jura omnino desierunt, ad liberos extensus est: tandem vero una cum Romanis legibus per Justinianum digestis apud omnes ferme Europæ gentes receptus est. Adhibentur vero quæstiones non promiscue in omnibus criminibus, sed tantum in gravioribus (*b*), quæ pœna ultra relegationem punienda sunt, si in reum argumenta & suspiciones urgeant (*c*), saltem semiplenam probationem exæquentes, quas reus auditus in defensionibus non diluerit (*d*). Quæstiones enim dolores ingerunt acerbissimos, ac propterea tantum in gravioribus criminibus, quæ urgentibus indiciis probata sunt, adhibendæ. Jure tamen nostro municipali Magna Curia Vicariæ in gravioribus criminibus quæstiones decernit, adhibetque ex solis præviis informationibus, & reo non audito, quod singulari jure Rex Robertus statuit (*e*). Cæterum multi, etsi graviorum criminum rei, jure Romano tormentis eximuntur, quales milites, nobiles & illustres

(*a*) L. 23. § 9. de Quæstionib.
(*b*) L. 1. 8 & 9 D. de Quæstionib.
(*c*) Cit. l. 1. §. 4., l. 18. §. 1. & seq. D. eod.
(*d*) Conf. Ant. Matth de Criminib. ad lib. 48. D. tit. 16. cap. 4.
(*e*) Cap. *Si cum sceleratis.*

tres viri, decuriones civitatum, eorumque filii usque ad pronepotes, nisi majestatis aut alterius criminis atrocissimi rei sint (*a*), item impuberes (*b*), & mulieres prægnantes, quandiu prægnantes sunt (*c*).

Quæstiones reorum oppugnatæ.

§. XVIII. Non desunt viri, alioquin gravissimi, qui tormentorum usum ad eruendam ab ipsis reis veritatem, tanquam iniquum & à ratione omnino alienum traducunt, quales ex veteribus S. Augustinus, & ex recentioribus Ludovicus Vives, Ant. Matthæus, Montesquius, & novissime auctor libelli Itala lingua scripti *de criminibus & pœnis*, auctor vere doctus, & de universo humano genere benemeritus. Et profecto à naturali æquitate & pactis socialibus omnino abhorret, cruciari quemquam antequam constet, nocentem esse. Omnis enim cruciatus corporis pœna est, etiamsi ante sententiam inferatur: pœna vero esse non debet, ubi nescitur, an peccatum sit, quum peccati sit animadversio. Porro quæstiones falsum dicendi plerumque causam præbent, sive robustus, sive infirmus torqueatur: nam corpore robusti facile tormenta sustinent, & in negando persistunt; contra infirmi doloris impatientes facile crimina, quæ non admiserunt, confitentur: qua ratione evenit, ut criminosi liberentur, innocentes vero duplici pœna puniantur. Ipsi quoque Romani jurisconsulti fatentur, quæstionem esse rem fragilem & periculosam, quæ veritatem fallat; ut enim observat Ulpianus, plerique duritie tormenta contemnunt, alii tanta sunt impatientia, ut quidvis mentiri, quam pati tormenta velint (*d*). Nec est quod quæstionum fautores opponant, interesse reipublicæ crimina puniri; nam ut id omnino verum sit, admittendum tamen est, media ad crimina detegenda opportuna esse debere, non fallacia, non incerta, non talia, quæ dum ad veritatem à reis eruendam adhibentur, certas & exquisitas illis pœnas irrogent.

Vetus Ecclesia quæstiones in judiciis ignoravit.

§. XIX. Vetus Ecclesia ad eruendam in dubiis criminibus veritatem quæstiones non usurpavit; erant enim ab humanissimo in Ecclesiæ ingenio omnino alienæ, nec potestate gladii spiritualis comprehensæ. Et certe Augustinus quæstionum usum, qui in foro civili obtinebat, gravissimis rationibus improbavit (*e*): quod argumento est, veterem Ecclesiam à quæstionibus omnino abhorruisse. Ad rem Hildebertus Cenomanensis (*f*), qui post sæculi XI. medie-

(*a*) L. 4. C. ad l. Jul. majest., l. 8. C. de Quæst., l. 11. & 16. C. eod.
(*b*) L. 1. §. 32. & seq., D. de Senatusc. Silanian.
(*c*) L. 3. D. de Pœnis.
(*d*) L. 1. § 32. D. de Quæstionib.
(*e*) August. de Civit. Dei lib. 19. c. 6.
(*f*) Hildeb. Cenoman. ep. XXX.

dietatem scribebat, *reos tormentis afficere, vel suppliciis extorquere confessionem, censura curiæ est, non Ecclesiæ disciplina.* Quod si Augustinus probet virgarum verbera, quæ Marcellinus comes ad eruendam in gravibus criminibus à Donatistis contra catholicos admissis veritatem, adhibuerat, addatque, virgas à magistris artium liberalium & ab ipsis parentibus, & sæpe *in judiciis ab Episcopis* usurpari (*a*), verbera ista ab extendente aculeo, sulcantibus ungulis & urentibus flammis omnino distabant. Quin verbera, quæ Augustinus dicit in judiciis ecclesiasticis usurpata, non adhibebantur in criminum probationem, sed potius in pœnitentiam, ubi de crimine constaret. Eodem quoque sensu Gregorius M. hypodiaconum calumniatorem verberibus castigari jussit (*b*), in pœnitentiam nempe, crimine probato. Et certe supposititia est decretalis sub nomine Eusebii Papæ apud Gratianum (*c*), qua tormentorum usus contra testes suspectos probatur.

Quæstiones qui in foro ecclesiastico receptæ.

§. XX. Quis vero crederet! labentibus annis etiam in ecclesiastico foro quæstiones ad eruendam à reis veritatem, adhibitæ sunt, idque canonica jurisprudentia omnino invita, quæ ubi agebatur de dubiis criminibus media ætate canonicam purgationem indicebat, non ulla tormenta ad eruendam veritatem usurpabat. Tantæ innovationis causam præsertim dedit Alexandri III. auctoritas, qui Clericum furti pecuniæ depositæ reum *duris quæstionibus* subjiciendum respondit (*d*). Et quamvis summus Pontifex non proprie de quæstionibus ad eruendam veritatem loquatur; (siquidem liquido constabat, Clericum pecuniam depositam surripuisse) tamen interpretes potius ex jure Romano, quam ex sacris Canonibus sapientes, inde concluserunt, quæstiones etiam in foro ecclesiastico locum habere. Cui interpretationi robur addidit ficta Eusebii Papæ decretalis, qua edicitur, à testibus suspectis contra Episcopos productis veritatem *diversis cruciatibus* erui oportere (*e*). Sic receptis in foro ecclesiastico quæstionibus plerique interpretes tenuerunt, etiam Clericos posse torqueri: quæ jurisprudentia in foro Ecclesiæ Neapolitanæ recepta erat (*f*); licet exemplo militum Clericos non posse torqueri Gonzalez contendat (*g*). Verum hoc tempore quisque intelliget, è re ecclesiastica esse, quæstiones in foro episcopali non adhiberi, ne Episcopi sanguinis judicium exercere videantur.

Con-

(*a*) Can. I. c. 23. q. 5.
(*b*) Cap. 1. ext. de Calumniatorib.
(*c*) Can. IV. c. 5. q. 5.
(*d*) Cap. 1. ext. de Depos.
(*e*) Can. IV. c. 5. q. 5.
(*f*) Conf. Genuens. Prax. curiæ Archiep. Neap. c. 55. n. 15.
(*g*) Gonzalez in cit. c. 1.

Confessio in tormentis facta eget confirmatione.

§. XXI. Confessio tormentis elicita, ut satis sit ad reum condemnandum, debet extra tormenta confirmari; vis enim aspera tormentorum vim adimit confessioni, quæ propterea confirmatione extra tormenta opus habere censetur (*a*). Ergo saltem post viginti-quatuor horas interrogatur reus, an quæ dixerit in tormentis, vera sint; & si persistet in confessione, ex recepto fori usu alius terminus, ut se defendat adversus confessionem in tormentis elicitam, datur; quo in termino poterit eam erroneam falsamque ostendere, vel probabiles ad minuendam pœnam proferre excusationes. Quod si extra tormenta interrogatus, quæ in tormentis confessus sit, negaverit, iterum, atque tertio torquebitur, ut in confessione perseveret (*b*). Sed bone Deus! qui furor, quæ immanitas est, torquere iterum reum, ut confessioni in tormentis elicitæ persistat? Cur non potius præsumendum, vi tormentorum confessum fuisse? Et quæ poterit esse vis confirmationis, quæ nova quæstione eliciatur? Optandum, ut qui reipublicæ præsunt, humanioris philosophiæ principiis imbuantur, & monstra hæc ad hominum perniciem inventa prorsus evertant.

Tortus & non confessus ferme liberandus.

§. XXII. Quod si reus in tormentis obdurato animo crimen se admisisse negaverit, aut confessionem in tormentis excussam revocaverit, & inde tortus, ut in confessione persistat, etiam negare pergat, liberari debet, quæ est communis sententia, quod urgentia indicia per torturam satis diluta credantur, & infamia abstersa. Id autem ita intelligendum multi rerum forensium magistri monent, nisi post quæstiones superatas urgentiora prioribus indicia emerserint, aut nisi ab initio satis gravia essent indicia, & tortus corporis firmitate valeat; nam in his casibus reum non statim liberandum docent, sed potius quæstiones repetendas (*c*). Quo sententia Pauli jurisconsulti spectare videtur, qui ait, reum evidentioribus argumentis oppressum repeti in quæstionem posse, maxime si in tormentis animum corpusque duraverit (*d*). Verum usu regni nostri receptum est, ut rei, qui superatis tormentis crimen negaverint, damnentur ad pœnam extraordinariam legitima mitiorem, si semiplenam probationem indicia excesserint, & fisco postulante quæstiones *citra præjudicium probatorum* decretæ sint (*e*). Unde vero tanta vis tormentis insit, ut congesta indicia diluant, &

in-

(*a*) Conf. Julius Clarus in Pract. crimin. lib. 5. §. fin. q. 64. n. 40.
(*b*) Conf. Reg. de Rosa Prax crimin. lib. 1. c. 9. n. 88.
(*c*) Conf. Reg. de Rosa Prax. crimin. lib. 1. c. 8. n. 91.
(*d*) L. 18. §. 1. de Quæstionib.
(*e*) Conf. Grammat. dec. 8.

infamiam abstergant, juxta scio cum ignarissimis, nec ii, qui quæstiones tuentur, satis intelligunt.

An ex indiciis indubitatis reus damnari possit?

§. XXIII. Quod si indicia & argumenta adsint, quæ simul congesta reum negantem plane convincant, quæstionibus quidem locus non est, at disputatur inter doctos, an inde rei damnari possint. Communis interpretum schola ferme negat, reos ex indiciis indubitatis damnari: sunt, qui tenent, his casibus extraordinarias pœnas, quæ sint legitima leviores, irrogandas (*a*). Contra Ant. Matthæus, Glickenius aliique ex meliori sententia docent, reos indiciis & argumentis convictos ordinaria pœna jure plecti posse (*b*). Profecto rescribunt Imperatores crimina vel idoneis testibus, vel apertis documentis, vel indiciis indubitatis & luce ipsa meridiana clarioribus probari (*c*): crimina vero probata ordinariis pœnis vindicari in compertis est. Præterea constat, leges nonnullos reos unico indicio & argumento damnari velle (*d*): non itaque videtur dubitandum idem velle, si omnia indicia & argumenta in unum concurrant. Nec huic sententiæ obstat jurisconsultus, qui ait: *Ex suspicionibus nemo damnandus est* (*e*); nam aliud suspicio est, aliud congestis argumentis reum convinci. Cæterum invita jurisprudentia communis interpretum consensus in plerisque provinciis prævaluit, receptumque, non licere ex indiciis indubitatis reos damnare. Apud nos vero jure cautum, ut regiæ Audientiæ provinciales, collegia judicum & Magna Curia Vicariæ ex indiciis indubitatis ordinariam pœnam possint irrogare: non item alii inferiores judices, etiam regii (*f*). Et quod spectat forum ecclesiasticum non desunt, qui tenent, ex congestis probationibus recte censuras infligi (*g*).

CAPUT XXX.

De sententia & re judicata.

Sententiæ definitio ejusque species.

§. I. Jam partibus auditis & causa perorata, per competentem judicem sententia pronuncianda est. Jure decretalium sententiæ nomine generatim venit judicis pronunciatio, qua de causa, sive principali, sive incidente decernit. Hinc sententia duplex est, alia *definitiva*, alia *interlocutoria*. Definitiva est judicis pronunciatio, quæ causa cognita principalem controversiam absolutione vel condemnatione perimit: contra interlocutio perimit articulos, qui controversiæ principali incidunt, ordinatque judicii seriem. Sed jure civili sententiæ nomine venit pronunciatio judicis, quæ principem causam perimit: cætera vero jussa & mandata judicis, quæ articulos incidentes finiebant, & judicii seriem ordinabant, *interlocutiones* ferme dicebantur. Hinc titulus Codicis *de Sententiis & interlocutionibus*. Quin jure Romano sententia proprie erat judicis dati, & hinc differebat à decreto, quod extra ordinem à prætore in causis extraordinariæ persecutionis ferebatur (*a*). Quidquid vero hujus rei sit, interlocutio vel est simplex, vel vim habet definitivæ, quarum illa ordinantur, quæ ad seriem judicii spectant, hac vero deciditur articulus incidens, sed talis, unde princeps causæ decisio pendet, veluti si judex peremptoriam exceptionem admittat, vel rejiciat (*b*).

Interlocutionem, non sententiam judex potest revocare.

§. II. Prolatam semel sententiam judex revocare vetatur, bene vero potest revocare interlocutiones, quod ex juris Romani scitis descendit. *Judex*, inquit Ulpianus (*c*), *postquam semel sententiam dixit, judex postea esse desinit*. Non de ordinario magistratu, sed de judice pedaneo loquitur jurisconsultus: judex vero pedaneus notionis causa datus erat, ejusque officium una cum notione per sententiam expirabat. Hinc judex latam sententiam corrigere vetabatur, quod ea prolata judex esse desinebat: at per interlocutiones judicis dati potestas non finiebatur, easque propterea corrigere & retractare judicanti licebat, id quod arbitris quoque concessum est (*d*). Jurisprudentia de judicibus pedaneis nec jure decretalium, nec præsentibus moribus integra obtinet; & tamen in decretalibus leges confirmantur, valetque regula, qua vetatur judex sententiam retractare, non vero interlocutiones, quas interpellatus recte revocat, idque etiam facta appellatione (*e*), nisi fortasse interpositam appellationem admiserit, vel superior judex litteras inhibitoriales ad judicem inferiorem dederit (*f*).

Sententia ex legibus proferenda.

§. III. Sententiam dicturus judex, rem in utranque partem prius debet expendere, rationes utrinque adductas inspicere, & tum non ex amore & odio, sed ex legibus judicare: etenim judices sunt me-

(*a*) Tulden. Comment. ad tit. C. de Probationib. n. 22.
(*b*) Ant. Matth. de Crimin. ad lib. 49. D. tit. 15. c. 6., Glicken. in l. ult. C. de Probat.
(*c*) L. ult. C. de Probationib.
(*d*) L. 1. §. 3. D. ad l. Corn. de Sicar., l. 34. C. ad l. Jul. de Adult.
(*e*) L. 5. D. de Pœnis.
(*f*) Pragm. 13. de Off. judic.
(*g*) Conf. Genuens. Prax. cur. Archiep. Neap. c. 23. n. 21.

(*a*) Conf. Boehm. Jur. eccles. lib. 2. tit. 27. §. 1.
(*b*) L. 9. C. de Sentent. & interloc.
(*c*) L. 15. D. de Re judic.
(*d*) L. 19. §. ult. D. de Recept. qui arbitr.
(*e*) Cap. 60. ext. de Appellat., cap. 10. eod. in 6.
(*f*) Conf. Gonzalez in cit. cap. 60. ext. de Appellat.

meri legum custodes & executores, non arbitri. *Bonus judex*, ait perspecte Ambrosius (*a*), *nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges & jura pronunciat: statuti juris obtemperat, nihil indulget propriæ voluntati.* Hinc olim judices nullam causam suscipere poterant, nisi prius sacramentum præstarent, *omnimodo sese cum veritate & legum observatione judicium esse disposituros* (*b*). Hodie vero non ad singulas causas, sed semel quum ad judicis munus promoventur, generaliter jusjurandum illud præstant. Itaque judex ubi lex perspicua est, etsi aliquanto asperior videatur, secundum eam debet pronunciare; & si illa aliquid dubitationis habeat, & locus est interpretationi, se legum interpretem præstabit, præferetque semper summo juri æquitatem. Quod si causa ipsa utrinque admodum dubia sit, sententia pronuncianda est, prout in ea specie leges judicare præcipiunt, veluti si utrinque in causa civili æquales probationes adsint, reus absolvendus est, quod ita legibus cavetur (*c*). Et civili sapientiæ & Canonum doctrinæ omnino adversatur *casus pro amico*, in quo posset judex sententia sua potius uni quam alteri ex litigantibus favere (*d*).

Sententia proferenda secundum acta & probata.

§. IV. Nec tantum ex legibus aut sacris Canonibus judices sententiam ferre debent, verum etiam *secundum acta & probata*, alioquin sententia contra *jus litigatoris* lata dicitur, actis enim ad liquidum deducuntur facta controversa, ex quibus partium jura promanant. Quod si acta privatæ judicis conscientiæ adversentur, multi tenent, judicem magis ex privata scientia, quam ex actis debere judicare, maxime in causis ecclesiasticis, idque quod Pontifex judici præcipiat, *ut in judicando præ oculis habeat solum Deum*, nec *contra conscientiam* quidquam faciat (*e*). Sed cujus effectus erit ejusmodi sententia? Nullius sane, quippe quæ mox per appellationem secundum acta reformabitur. Judici quoque extra acta non creditur, & si ejus conscientiæ in judicando standum esset, nulla profecto foret judiciorum sanctitas, nam obtentu privatæ scientiæ liceret judicibus, prout vellent, judicare. Nec omittendum, judicem contra fidem actorum judicantem civitati iniquum videri, maloque exemplo in publicum nocere. Quid ergo judicabit contra conscientiam? ne hoc quidem admiserim; satiusque videtur, ut judex ex bono & æquo litigantes componere studeat, vel rem ad superiorem deferat, & sententiam ferre supersedeat (*f*); vel falsitatis scriptu-

(*a*) Ambros. in psalm. 118.
(*b*) L. 14. C. de Judiciis.
(*c*) L. 128. D. de Regul jur. c. 3. ext. de Probationib.
(*d*) Conf. Espen. part. 3. tit. 9. c. 2.
(*e*) Cap. 1 de Sent. & re judic. in 6.
(*f*) Conf. Franck. lib. 2. resolut. 22.

turæ, aut iniquitatis testimonii victum certiorem faciat, ut hic falsitatem in judicio appellationis detegere valeat.

Ex scripto sententia proferenda.

§. V. Ferri autem debet sententia ex scripto, & sine scripto prolata *ne nomen quidem sententiæ meretur*: quæ utriusque juris regula est (*a*), fortasse ob eam rationem recepta, quod verba ore pronunciata menti illudant, secus vero quæ litteris consignata sunt: periculosum vero est, judicem in definienda causa labi, quod sententiam semel latam corrigere vel mutare vetatur (*b*). Hinc judex deliberatione prius habita super negotio sententiam concipit, conceptamque in libellum seu brevem chartam referre debet (*c*). Ita in titulo Codicis *de Sententiis ex periculo recitandis* potius *ex breviculo* videtur legendum, nisi *periculum* cum Cujacio interpretemur libellum, quod sæpe contingat, ut ex sententia aliquis periclitetur, vel reus, vel judex male judicando (*d*). Sed si causæ sint breves & maxime vilium personarum, aut Episcopus cognoscat inter suos subditos scripturæ necessitas remissa est, quod Justinianus statuit (*e*): licet jam mutata disciplina etiam Episcopi inter suos subditos judicantis sententia ex breviculo recitanda sit (*f*). Nec necessaria est scriptura in interlocutionibus, quas judici ore proferre licet, inde vero homo ab actis in scripturam rediget (*g*).

Judex proferre sententiam debet.

§. VI. Redacta in breviculum sententia ab ipso judice pronuncianda est, & quidem partibus præsentibus, aut saltem in eam rem advocatis, quæ est sententia juris civilis (*h*) in decretalibus confirmata (*i*). Pudore enim impeditur judex minus legitimam proferre sententiam, si ipse eam palam debet recitare. Tantum præfectis prætorio aliisque illustribus magistratibus jure civili datur, ut per officium suum & eos, qui ministerium suum eis accommodant, sententias definitivas ex tabella recitent (*k*). Et ad exemplum illustrium magistratuum Bonifacius VIII. Episcopis concedit, per alios sententiam proferre (*l*). Sed jam passim obtinet, ut sententiæ non ab ipso judice, sed ab ejus officiis, præsente tamen judice recitentur (*m*). Quin

(*a*) L. 3. C. de Sent. ex peric. recitandis, Can. VII. c. 2. q. 1., c. ult. de Sent. & re judic in 6.
(*b*) L. 42. D. de Re judic.
(*c*) L. 2. C. de Sent. ex peric. recit.
(*d*) Cujac. lib. 5. Observ. cap. 25.
(*e*) Novell. VII. c 3., novell. LXXXIII. & auth. *Nisi breves* C. de Sent. ex peric. recitandis.
(*f*) Conf. Espen. part. 3. tit. 9. c. 3.
(*g*) Glossa in cit. cap. ult. de Sent. & re judic. in 6.
(*h*) L. 2. C. de Sententiis ex peric. recitand.
(*i*) Cap ult. de Sent. & re judic. in 6.
(*k*) Cit. l. 2.
(*l*) Cap. ult. de Sent. & re judic. in 6.
(*m*) Conf. Gudelin. de Jure novis. lib. 4. c. 12.

Quin in aliquibus supremis auditoriis moris est, ut sententia non recitetur, sed per officia in scripturam redacta partibus tradatur, quod viris sapientibus merito displicet: nam per publicam recitationem confidentia ab justitiæ regulis declinandi minor evadit.

Judex sedens pro tribunali sententiam ferre debet.

§. VII. Porro ex regulis juris civilis judex sedens sententiam ferre debet, idque ad denotandam judicis majestatem videtur inductum. Hinc *sessiones judicum* in libris juris occurrunt (*a*): & *sedere* pro judicare apud Tullium. Etiam decretales à judice sedente proferri sententiam jubent, & præterea addunt, sententiam à non sedente judice dictam nullius momenti esse (*b*), quod nunquam leges civiles statuerunt. Tantum in judiciis, quæ dicuntur *summaria*, sedendi necessitas judici remissa est (*c*). Sedere vero debet judex sententiam dicturus publice non in secreto, nulliusque effectus sententia est, si in secreto dicatur (*d*). Et magistratus quidem pro tribunali sedet, & hinc *pro tribunali cognoscere* passim de magistratu in libris juris civilis dicitur (*e*); at judex datus, seu pedaneus, cujus nuda erat notio, tribunal non habebat (*f*). Tribunal erat locus editus, in hemicycli speciem introrsum curvatus, quo per gradus ascendebatur. Ecclesia in suis judiciis tribunali caruit, ferebantque olim Episcopi sententiam in presbyterio sedentes, nec jure decretalium unquam Episcopis tribunal adseritur.

De lingua, qua sententia proferenda.

§. VIII. Lingua autem, qua sententiam concipere oportet, ea jure Romano nonnisi Latina erat (*g*), quippe qua leges ferebantur, & acta publica concipi solebant. Nec tantum in urbe, verum etiam in provinciis hoc jus obtinuisse videtur, etsi popularis sermo diversus esset. *Imperiosa civitas Roma*, inquit Augustinus (*h*), *non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis populis imposuit*; utique in actis publicis & reliquis omnibus, quæ juris solemnitatem desiderabant. Quin ubi imperialis aula Bizantium translata est, & urbs illa totius Græciæ emporium præsentia Imperatorum evasit, acta publica nonnisi latine concinnabantur, donec rescripto Arcadii & Honorii magistratibus provinciarum facultas facta est, ut *tam latina quam græca lingua sententias proferre possent* (*i*): quod Nicolaus Ignarra vir in rebus philologicis quavis prædicatione major,

(*a*) L. 2. §. 1. D Quis ordo in possess.
(*b*) Cit. cap. ult.
(*c*) Clement. II. de V. S.
(*d*) L. 6. C. de Sent. & interloc.
(*e*) L. 2. D. de Re judic., l. 1. §. 8. D. ad Senatus C. Turpilian.
(*f*) Conf. Pollet. Hist. fori Rom. lib. 1. c. 6.
(*g*) L. 48. D. de Re judic.
(*h*) August. de Civit. Dei lib. 19. c. 7.
(*i*) L. 12. C. de Sentent. & interlocut.

jor, & mihi amicissimus, recte observat (*a*). Ecclesia tamen etiam ante Arcadium in judiciis suis, sive latino, sive græco sermone usa est, prout popularis loquendi usus postulabat; perrexitque etiam Ecclesia occidentalis sententias latine dicere, etiam ubi popularis latinæ linguæ usus defecit. Et, quod mirum videri debet, forum sæculare in multis provinciis linguam latinam, etsi prorsus inconditam & barbaram, usurpat.

Sententia etiam super accessoriis dicenda.

§. IX. Sententia definitiva, utpote quæ absolutione, aut condemnatione controversiam definit, generalis esse debet, & per omnia partium disceptationem perimere. Hinc non tantum super negotio principali, sed etiam super accessoriis, qualia sunt expensæ in litem factæ, & fructus interim percepti pronuncianda est; post absolutum enim dimissumque judicium nefas est, litem alteram exoriri ex litis primæ materia (*b*). Et quia pars causa cadens præsumitur alteram injuste in judicium vocasse, eique injuria litem fecisse, communis regula est, victum victori in expensas condemnandum (*c*). Quod tum præsertim locum habet, si constet, victum per calumniam litem movisse, aut pervenisse ad relucrandum, nam si utrinque causa probabilis videatur, quisque à se factas expensas ferre debet. Condemnatio vero ad restitutionem fructuum eos præcipue spectat, qui post litem contestatam percepti sunt, aut percipi poterant, nam ex quo res in judicium deducta est, omnes incipiunt malæ fidei possessores esse (*d*). Item judex victum etiam damnare debet ad damna, quæ ob intentatam litem victor passus est (*e*). Cæterum non est necesse, ut judex in sententia certam expensarum quantitatem exprimat, sed sufficit, si generatim dicat, expensas victori à victo præstandas, earum determinatione in futurum rejecta.

Rei judicatæ definitio.

§. X. Sententiæ latæ & publicatæ effectus est res judicata, quæ demum facit, ut illa executioni mandari possit. Res judicata definitur Modestino jurisconsulto, *quæ finem controversiarum pronunciatione judicis accipit* (*f*): res enim judicata proprie est, quæ controversiæ finem imponit, non item sententia, quæ tantum condemnat, vel absolvit, ut proinde erret Doviatius (*g*), qui tenet rei judicatæ definitionem à Modestino datam omni sententiæ convenire. Transit sententia in rem judicatam, si legitimo decem dierum

(*a*) Nicol. Ignarra de Palæstra Neapol. diatriba cap. 5. subjecta.
(*b*) L. 3. C. de Fructib. & litium expensis.
(*c*) L. 5. C. eod.
(*d*) L. 2. C. eod.
(*e*) Conf. Perez. in cit. tit. C. n. 10. & seq.
(*f*) L. 1. D. de Re judic.
(*g*) Doviat. in Lancellot.

rum spatio non appelletur: qui enim intra legitimum tempus non appellavit, jam latæ sententiæ videtur acquievisse. Quod vero res judicata controversiæ finem imponat, inter ipsos litigantes jus facit (*a*), etiamsi contra jus litigatoris sententia lata sit, hoc est, si vel maxime in applicatione juris ad factum judex erraverit, ne alioquin lites in reipublicæ & Ecclesiæ perniciem oriantur: itemque pro veritate habetur (*b*), & sententia censetur bene prolata; quæ est præsumptio juris & de jure, & idcirco in contrarium probationem non admittit (*c*).

Sententia definitiva transit in rem judicatam.

§. XI. Transit autem in rem judicatam sententia, qua princeps causa deciditur, non item simplices interlocutiones, quibus acta judicialia ordinantur: hæ enim potius mandata & jussa judicum, quam veræ sententiæ sunt. Interlocutiones vero, quibus præjudicium principi causæ creatur, aut alias non leve gravamen infertur, ex principiis veteris jurisprudentiæ in rem judicatam videntur transiisse. Constat enim, præjudicia seorsum à causa principali tractata fuisse, & ab iis receptas appellationes, quod probat, elapsis decem diebus præjudicia ejusmodi in rem judicatam abiisse; appellationes enim potissimum introductæ sunt ad rem judicatam impediendam. Aperta quoque est Gratiani lex, qua *eadem vis* peremptoriæ exceptioni & definitivæ sententiæ tribuitur (*d*): atque inde utraque in rem judicatam transire debuit. Verum legibus Justiniani mutata videtur jurisprudentia, exceptiones enim peremptoriæ eodem judicio cum principe causa tractantur, & desuper latæ sententiæ non transeunt in rem judicatam, & hac ratione ubi à sententia definitiva appellatum est, ad examen revocantur (*e*). Similiter jure decretalium auctoritas rei judicatæ interlocutionibus etiam peremptoriis denegatur (*f*), & tamen eodem jure ab omnibus interlocutionibus etiam simplicibus licet appellare: quæ duo inter se non satis cohærent.

Res judicatæ non retractandæ.

§. XII. Quoniam vero res judicata pro veritate habetur, non patitur reipublicæ & Ecclesiæ status, ut sententia, quæ in rem judicatam transiit, facile retractetur, & novo examini subjiciatur: quæ enim foret judiciorum utilitas, si res judicatæ nullo starent fundamento, & novis judiciis essent obnoxiæ? *Status reipublicæ*, inquit

(*a*) L. 2. C. Quibus res judic. non nocet.
(*b*) L. 207. D. de R. I.
(*c*) Cap. 13. & 15. ext. de Re judic.
(*d*) L. 37. C. Theod. de Appellationib.
(*e*) Conf Boehm. Jur. eccles. lib. 2. tit. 27. §. 5. & seq.
(*f*) Cap. 60. ext. de Appellat., cap. 12. eod. in 6.

quit perspecte Tullius (*a*), *seu publica reipublicæ salus maxime rebus judicatis continetur*: & hinc imprudentiæ adscribit, si quis rem judicatam labefactare conetur (*b*): & inter exitiales exitus perditarum civitatum refert, si res judicatæ rescindantur (*c*). Proinde nec ea ratione, quod victus nova repererit instrumenta, quibus sententiæ iniquitas aperte demonstratur, causa semel sopita suscitari, & res judicata rescindi poterit (*d*), nisi agatur de publico negotio, in quo publicæ utilitatis ratio versatur (*e*). Tantum ex Principis indulgentia licet res judicatas iterum tractare: quam veniam Principes non facile concedere debent, sed tantum ex magna causa: nec enim causæ, quæ legum veniam justam faciunt, ad rei judicatæ auctoritatem solvendam sufficiunt. Interim ubi remedio restitutionis in integrum locus est, ordinario jure res judicata examini subjicitur.

Quæ sententiæ in rem judicatam non transeunt.

§. XIII. Sunt vero multæ causæ, in quibus sententiæ in rem judicatam non transeunt, etsi non appellatur, & idcirco recte retractantur. Ita carent rei judicatæ auctoritate sententiæ nullæ, quæ scilicet ab incompetente judice dictæ sunt (*f*), aut à competente quidem non tamen rite & contra solitum judiciorum ordinem (*g*); quæque contra expressam juris constituti sententiam proferuntur (*h*), veluti si judex dixerit, potuisse defunctum etiam minorem quatuordecim annis testamentum condere, illudque servandum esse, aut numerum filiorum ad tutelæ excusationem non prodesse. Non valet quoque ipso jure, atque in rem judicatam non transit sententia, quæ prolata est contra priorem, quæ transivit in rem judicatam (*i*). Rei quoque judicatæ auctoritate non donantur sententiæ ex falsis instrumentis, vel testimoniis latæ, si judex circumventus eorum fidem in judicando secutus fuerit (*k*), item quæ ab judice pecunia corrupto dictæ sunt (*l*); & sententiæ criminales, in quibus rei condemnati sunt, si vel maxime pœnæ, quæ restitutionem admittit, subjecti fuerint; jure enim civili rei semper audiendi sunt, si innocentiam suam velint demonstrare, qua demonstrata ex capite innocentiæ plene restituuntur (*m*). Communis quoque

(*a*) Tull. orat. pro Sylla.
(*b*) Tull. pro A. Cluentio.
(*c*) Id. lib. 5. in Verr.
(*d*) L. 4. C. de Re judic.
(*e*) L. 35. D. de Re judic.
(*f*) L. ult. C. Si à non compet. judice, cap. 4. ext. de Judiciis.
(*g*) L. 4. C. de Sentent. & interloc., cap. 1. ext. Ut lite non contest.
(*h*) L. 1. §. 2. D. Quæ sent. sine appellat. rescinduntur, c. 13. ext. de Sent. & re judic.
(*i*) L. 1. C. Quando provocare non est necesse.
(*k*) L. 33. D. de Re judic., l. 3. C. Si ex falsis instrum.
(*l*) L. 7. C. Quando provocare non est necesse.
(*m*) Tit. D. de Sententiam passis & restitutis.

que est interpretum decretalium doctrina, sententias de vi matrimonii, quibus pronunciatur, illud valere, vel non valere, in rem judicatam non transire. Sed hoc dogma non levibus argumentis Boehmerus oppugnat, qui tenet, sententias matrimoniales rei judicatæ auctoritatem accipere, uno ferme excepto casu, quo sententia profertur pro matrimonio, cui incestum jure divino inesse probari potest (*a*). Et profecto decretales omnes, quibus communis sententia innititur, species continent, ubi sententiæ ipsæ intrinseco vitio nullæ sunt.

CAPUT XXXI.

De sententiæ executione.

Sententiæ executio quo tempore facienda.

§. I. Quemadmodum leges in republica nullius sunt utilitatis, si in usum non deducantur; ita sententia inutilis erit, nisi executioni demandetur. Itaque ubi sententia in rem judicatam transiit, intra tempus ab jure statutum ejus executio facienda est. Et quidem in actione in rem statim fit executio, ubi res ipsa, quæ extat, tradi potest, at in actione in personam jure civili Imperatoris Justiniani quatuor menses conceduntur, qui à die condemnationis, vel si provocatum fuerit, à die confirmationis sententiæ numerantur (*b*); quæ quadrimestres induciæ etiam fidejussoribus & mandatoribus prosunt (*c*). Humanum visum est, non statim in actione in personam manu armata rem judicatam exequi, ut rei conventi pecunias, quas solverent, colligere valeant. Easdem quadrimestres inducias decretales probarunt (*d*), nisi tamen judex duxerit, præscriptum tempus producere vel coarctare (*e*). Et hinc fortasse in multis provinciis invaluit, ut statim à re judicata vel post aliquot dies sententiæ executio fieri queat, nisi judex ad quadrimestre vel aliud tempus illam ex causa differat.

Qui judex judicatum exequitur.

§. II. Jam rem judicatam exequitur judex, qui sententiam dixit, si habeat jurisdictionem, executio enim sententiæ aliquam coactionem involvit, atque ideo pars mixti imperii est, quod jurisdictioni cohæret (*f*). Hinc judex ordinarius, & à Principe vel summo

(*a*) Boehm. Jur. eccles. lib. 2. tit. 27. §. 42. & seqq.
(*b*) L. 2. C. de Usur. rei judic.
(*c*) L. ult. C. eod.
(*d*) Cap. 26. ext. de Off. judic. deleg.
(*e*) Cap. 15. ext. de Sent. & re judic.
(*f*) L. 3. D. de Jurisd.

mo Pontifice dati rem judicatam exequuntur (*a*), plena enim augentur jurisdictione, eamque à Pontifice dati judices post sententiam integro anno retinent, ut facilius rem judicatam exequantur (*b*). Item judex, cui à magistratu mandata est jurisdictio, suam ipse exequitur sententiam, mandata enim jurisdictione etiam imperium mistum transit (*c*). Sed datus judex & arbiter, quod nudam notionem, non jurisdictionem habent, rem judicatam non exequuntur, sed ab eis latas sententias, seu arbitria magistratus exequitur (*d*). Qua ratione arbitria, quæ olim in causis civilibus Episcopi proferebant, non ipsi Episcopi exequebantur, sed potius judicum officia, quibus id oneris leges imposuerant (*e*). Utitur vero judex rei judicatæ exequendæ gratia officiis seu apparitoribus, quos inde executores litium appellant.

Ordo & forma executionis.

§. III. Ordo executionis jure communi statutus hic est, ut si quis rem certam restituere damnatus sit, ea ipsa, si extet, auferatur etiam manu militari, ubi necessarium videtur (*f*). Quod si res ipsa perierit, aut propter debitam pecuniam executio facienda sit, mobilia primum capiuntur, inde immobilia, postremo jura & nomina debitorum, semper vero pro debiti mensura (*g*). Ideo initium executionis est à rebus mobilibus, quod earum facilior & minus damnosa, quam rerum soli solet esse distractio: & idcirco postremus locus nominibus tribuitur, quod in eis persequendis non tantum cum ipso reo, sed etiam cum extraneis debitoribus sæpe negotium habere oportet. Interim jure speciali cavetur, ne executio, nisi in subsidium, seu deficientibus aliis bonis, fiat in stipendia, arma & equos militum (*h*). Speciali quoque jure executio fieri vetatur in instrumenta ad agriculturam necessaria (*i*): quod jus hodie in multis locis non servatur, saltem si alia bona suppetant.

Extremum remedium contra judicatos est carcer.

§. IV. Quod si neque bona, neque nomina debitorum reperiantur, quibus judicato satisfiat, extremum remedium contra judicatos erit, ut in carcerem detrudantur. Humanior namque sententia est, ut eo non deveniatur, quandiu bona, quæ capi distrahique possunt, reperiantur. Judicati autem in carcerem detrusi, tantum in

(*a*) Cap. 7. & 26. ext. de Off. delegat.
(*b*) Cit. cap. 26.
(*c*) L. 5. D. de Off. ejus, cui mandata est jurisd ictio.
(*d*) L. 15. D. de Re judic.
(*e*) L. 8. C. de Episc. audientia.
(*f*) L. 68. D. de Rei vindic.
(*g*) L. 15. D. de Re judic.
(*h*) L. 4. C. de Execut. rei judic.
(*i*) L. 7. & seq. C. Quæ res pignori.

in custodia, donec judicato satisfecerint, detinentur, nec creditoribus servire coguntur. Emendata enim est aspera illa decemviralis sententia, qua post dies justos seu triginta, qui dabantur judicato faciendo, debitores in servitutem addicebantur (*a*). Quo spectare videtur constitutio Diocletiani & Maximiani, *ob æs alienum servire liberos creditoribus jura compelli non patiuntur* (*b*). Nec enim vera videtur illorum sententia, qui tenent, ex regulis Romani juris pro civili debito neminem manu injecta capi posse, nisi aliud expresse conventum sit. Ut enim observat Gudelinus (*c*), usus carceris ad custodiam debitorum ab Imperatoribus sublatus non est, sed tantum prohibetur, ne debitores creditoribus in servitium addicantur. Solæ mulieres jure novissimo Justiniani carceri nequeunt mancipari, ut in re civili judicato satisfaciant (*d*): quod jus hodie non æque in omnibus provinciis servatur.

De cessione bonorum.

§. V. Sed non deest debitoribus carceris declinandi facultas, si nempe bona sua omnia creditoribus cedant: quod est extraordinarium beneficium, ex commiseratione per legem Juliam introductum (*e*). Cessio hæc secundum Theodosii legem, priorum legum explosa scrupulositate, sola professione & nuda voce etiam sine judicis venia peragi potest (*f*). At in Gallia & Belgio debitores laici præsentes in judicio discincti & nudo capite bonis suis cedunt, idque ne facilis cedendi libertas debitores in fraudem creditorum ad cessionem impelleret (*g*). Cessis bonis, facultas datur creditoribus ea judicis auctoritate vendendi, ut ex eorum pretio, servata tamen temporis & creditorum prærogativa, singulis satisfiat. Tantum cessio prodest debitoribus, ne judicati detrudantur in carcerem: nam si creditores ex bonis venditis solidum non acceperint, illi non liberantur; & idcirco si deinceps alia bona adquisierint, ea rursus creditoribus addici debent, modo modicum non sit, nec enim quotidianis alimentis privari debent (*h*). Bonorum cessio ex commiseratione inducta est, & inde tantum eo beneficio juvari videntur, qui infortunio bonis suis ceciderunt, non item decoctores, & qui bona sua in fraudem creditorum dissipant, itemque qui dolo cum suis creditoribus versati sunt, utpote qui sciebant se solvendo non esse (*i*); indigni enim sunt commiseratione, qui

(*a*) Conf. Gravina de Jur. Natur. & Gent. cap. 72.
(*b*) L. 12. de O. & A.
(*c*) Gudelin. de Jure novis. lib. 4. cap. 16.
(*d*) Novell. CXXXIV. cap. 9.
(*e*) L. 4. C. Qui bonis cedere possunt; §. 40. Inst. civil. tit. de Actionib.
(*f*) L. 6. C. eod.
(*g*) Conf. Espen. part. 3. tit. 9. cap. 3.
(*h*) L. 6. D. de Cessione bonor.
(*i*) Conf. Henr. Zoesius ad cit. tit. D.

qui malis moribus se ad inopiam redegerunt, aut dolo damnum suis creditoribus ingerunt.

Quibus competit competentiæ beneficium.

§. VI. Sunt nonnulli, qui ad evitandum carcerem cessione non indigent, quod singulari aucti sunt privilegio, & ultra id quod facere possint, non excutiantur: quod *beneficium competentiæ* dicunt. Tales jure civili sunt parentes, patronus, socius, maritus ad dotis restitutionem ab uxore, & donator à donatario conventus (*a*): inhumanum enim visum est, hos omnes solidum æs alienum in causa judicati expungere debere, ubi eorum substantia solido non sufficiebat, & ad inopiam redigi, & eo nomine in carcerem detrudi. Idem privilegium etiam Clericis Gregorius IX. concessit quadam decretali, ubi mandat, ut Odoardus Clericus, qui suis creditoribus solvere damnatus, & ob rerum inopiam ad solutionem impar, à suo Episcopo excommunicatus erat, à censura absolvatur, *recepta prius ab eo idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita persolvat* (*b*). Ex hac decretali docent interpretes, Clericis competere beneficium, ut tantum in id, quod facere possint, damnentur, nec requiri ad hoc beneficium obtinendum, ut illi prius bonis cedant, quod Fagnanus probat (*c*), etsi ex antiquis interpretibus aliqui tenuerint, cessionem esse necessariam.

Ecclesia contra reos invocat civilem potestatem.

§. VII. Antiqua est Ecclesiæ disciplina, qua ecclesiastica potestas ad exequendas canonicas sententias in reos damnatos à civili potestate auxilium petere consuevit, si quando opus esse intelligeret, contumacibus vim adhiberi: Ecclesia enim gladio tantum spirituali armata vim per se facere non potest. Extat hujus implorationis exemplum vel sub ipsis ethnicis Principibus: etenim adversus Paulum Samosatenum Patres Antiocheni, qui eum damnaverant, auxilium ab Aureliano Imperatore implorarunt, ut è domo Ecclesiæ, unde ille discedere nolebat, exturbaretur: & reapse Imperator cum summo dedecore Paulum ejecit, quod Eusebius narrat (*d*). Sed postquam Ecclesiæ pax reddita est, in perpetuam regulam abiit, ut Episcopi ad suas exequendas sententias, si opus esset, auxilium civilis potestatis implorarent. Et quidem de Clerico, qui legitime à suo Episcopo damnatus perseverat Ecclesiam perturbare & evertere, Synodus Antiochena statuit, *ut per externam potentiam, ut seditiosus, castigetur* (*e*): quod ipsum à Patribus Africa-

(*a*) §. 37. & seq. Instit civil. de Actionib.
(*b*) Cap. *Odoardus III.* ext. de Solutionib.
(*c*) Fagnan. ad cit. cap. 3. n. 58.
(*d*) Euseb. lib 7 cap. 30.
(*e*) Conc. Antioch. Can. V.

canis etiam cautum est (*a*). Lapsu temporis ubi etiam civilis jurisdictio misto imperio instructa Ecclesiæ spirituali potestati accessit, non adeo necessarium Ecclesiæ fuit ad suas exequendas sententias civilis potestatis auxilium, ipsa enim Ecclesia per se vim facere potuit, saltem contra Clericos. Semper tamen ubi vi destituitur, potest à civili potestate vim implorare ad suarum sententiarum contra contumaces executionem. Civilis vero potestatis officium est imploratam opem non denegare; sic nimirum civilis potestas Deo servit (*b*), & Ecclesiæ matris spiritualem gladium munit & sustentat.

CAPUT XXXII.

De appellationibus.

Definitio & necessitas appellationis.

§. I. Rei judicatæ auctoritas suspenditur per appellationem, quæ victis contra sententiam ordinarium remedium suppeditat. Appellare apud latinos sæpe simpliciter significat in jus vocare, verum in jure civili & canonico appellationis nomine venit ab inferiore judice ad superiorem facta provocatio, ut is de causa amplius cognoscat, & prius latam sententiam corrigat, & in melius reformet. Ergo appellatio est species quædam defensionis, quæ in civitate etiam à judicis sententia conceditur: & profecto satis dura & iniqua esset civium conditio, si primo judicio victi, nullo alio remedio juvarentur, idque præsertim quando omni ætate & in omni republica fuerunt judices, qui ob imperitiam aut iniquitatem sententias iniquas dixerunt. Ita in recte constitutis civitatibus placuit, gradus jurisdictionis constitui ad causas primo judicio finitas iterum tractandas. Et quamvis appellatio nonnunquam bene latas sententias in pejus reformet; neque enim utique melius pronunciat, qui novissimus sententiam dicturus est (*c*); tamen id evenit non vitio rei, sed abutentium depravatione. Itaque veluti natura sua judiciis inest appellatio, etsi judex *omni appellatione remota* datus fuerit. Formula enim illa frivolas tantum & frustratorias provocationes rejicit, non vero excludit appellationem, quæ in jure expresse conceditur, aut si sententia manifestam contineat iniquitatem (*d*).

Ap-

(*a*) Can. LIII & LXVII. C. Afric.
(*b*) Can. XX. c. 23. q. 5.
(*c*) L. 1 D de Appellat.
(*d*) Conf. Gonzalez in cap. 53. ext. de Appellationib.

Appellationis species.

§. II. Appellatio in *judicialem* & *extrajudicialem* jure decretalium dividitur. Judicialis adversus actum judicialem interponitur, postquam judicium citata parte initium cœpit, veluti adversus sententiam aut interlocutionem. Extrajudicialis est provocatio à gravamine per privatos, vel per judicem extra judicium illato vel inferendo, veluti si privatus alimenta neget, aut si in alterius injuriam alienationem faciat, aut si judex de facto non causa cognita judicet, aut alias voluntariam jurisdictionem exercens, aliquem ab electione aut beneficii collatione excludat (*a*). Si appellatur à gravamine per partem illato, potius provocatio ad causam, quam vera appellatio est (*b*). Accedit vero ad naturam appellationis extrajudicialis appellatio, quæ adversus actum judicis extra judicium gravantis interponitur: etenim apud judicem superiorem proponitur, & quidem intra decem dies à scientiæ tempore (*c*), intra annum à die interpositionis finiri debet (*d*). Cæterum gravatus non vetatur aliis juris remediis gravaminis reparationem postulare, quo casu judicium nihil commune habet cum appellatione.

A sententia Episcopi appellabatur Synodus provincialis.

§. III. Secundum veteris disciplinæ regulas à sententia Episcopi in causis ecclesiasticis provincialis Synodus jure ordinario appellabatur. Et profecto statuit Synodus Nicæna, ut si qui ex Clericorum vel laicorum ordine ab Episcopo communione priventur, ad Synodum provincialem querela deferatur, & coacta Synodus expendat, *numquid pusillanimitate, vel contentione, vel aliqua ejusmodi Episcopi acerbitate communione pulsi sunt* (*e*). Hinc Concilium provinciale bis in anno celebrabatur, ut ita damnatis querelas suas intendere liceret. Interim damnatis usque ad futuram Synodum tanquam excommunicati ab omnibus haberi debebant, nec propterea ab aliquo Episcopo admitti poterant in communionem (*f*). Ergo ejusmodi provocatio Episcopi sententiam non suspendebat, tantumque operabatur ut causa in Synodo iterum tractaretur. Et profecto quæ utilitas erat excommunicationis, si proposita provocatione sententia suspensa remaneret, donec celebrato Concilio de ejus justitia constaret?

A Synodo provinciali major Synodus non appellabatur.

§. IV. Per appellationem ad Synodum provincialem delatæ cau-

sæ,

(*a*) Cap. 8. de Appellat. in 6.
(*b*) Cap. 5. ext. de Appellationib.
(*c*) Cit. cap. 8.
(*d*) Clement. III. de Appellationib.
(*e*) Conc. Nicæn. Can. V.
(*f*) Cit. Can. V.

sæ, & ibi definitæ, inde ad majorem Synodum, nova interposita appellatione, non deferebantur, idque verum erat etiamsi Episcopi primo judicio accusati, & damnati essent: sic enim ferebat primorum sæculorum disciplina, ut in provinciis exortæ causæ ibi finirentur. Sane Synodus Antiochena edicit, ut si in damnando Episcopo Concilium provinciale non conveniat, vicinæ provinciæ Episcopi advocentur, qui cum Episcopis comprovincialibus quæstionem finiant (*a*); at si concordibus Synodi suffragiis Episcopus damnetur, *is ne amplius ab aliis judicetur, sed provinciæ Episcoporum firma maneat sententia* (*b*). Hoc Canone Antiocheni Patres aperte habent, Episcopum concordibus Synodi suffragiis damnatum, ab aliis iterum non judicari, & idcirco ad superiorem Synodum omnino excludunt provocationem. Præterea tanquam à Synodo Nicæna cautum docent Africani Patres in litteris ad Cælestinum Pontificem, ut causæ omnes etiam Episcoporum in Synodo provinciæ definitæ non retractentur, nec ab ipso Pontifice in irritum mittantur. *Prudentissime justissimeque providerunt*, Canones Nicæni, *quæcunque negotia, ubi orta sunt, finienda, nec unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturum, qua æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissime teneatur* (*c*).

Explicatur Canon XII. Antiochenus.

§. V. Verum enimvero disciplinæ per Canones Antiochenos expressæ adversari videtur alter Antiochenus Canon, qui permittit, ut sententia in provincia lata in majori Synodo per appellationem retractetur. Verba posterioris Canonis sunt (*d*): *Si quis à proprio Episcopo Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Episcopus forte damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oportet ad majus Episcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere justa, pluribus Episcopis suggerant, & eorum discussiones & judicia præstolentur.* Schelestratus opinatur (*e*), per Canones Antiochenos non vetari à Synodo provinciæ ad majorem Synodum appellationes; & ita Canonem XV. quo edicitur, judicium contra Episcopum concordibus Synodi provincialis suffragiis latum non retractari, ita accipit quasi statuat, non retractari adhibitis vicinæ provinciæ Episcopis, quale retractationis judicium adhibendum erat, si Episcopus non concordibus Synodi suffragiis damnaretur. Alii alias, sed præferenda Petri de Marca interpretatio (*f*), quæ habet, Patres Antiochenos tum concedere in Synodis provincialibus finitas causas iterum

(*a*) Conc. Antioch. Can. XIV.
(*b*) Conc. Antioch. Can. XV.
(*c*) Can. CXXXV. C. Afric.
(*d*) Conc. Antioch. Can. XII.
(*e*) Schelestrat. de Conc. Antioch. in Can. XII.
(*f*) Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 7. cap. 2.

rum tractari, si id Imperator divalibus suis permitteret, & Concilium daret: & si negent restitutionem Clericis damnatis, qui Imperatori molestiam inferant, id eo casu locum habebat, quo restitutio ab Imperatore petebatur, non vero si ille rogabatur, ut ad causæ retractationem majorem Synodum cogeret.

In Synodis finitæ causæ jussu Principis retractabantur.

§. VI. Et sane causas Episcoporum in Synodo provinciæ finitas in majori Synodo potuisse retractari, si id divalibus seu imperatoriis rescriptis concederetur, pluribus exemplis constat (*a*). Ita Athanasii & Marcelli Ancyrani Episcopi causa in Synodo Sardicensi jussu Imperatorum Constantii & Constantis iterum judicata est, quod constat ex epistola synodica ad Julium Papam. *Nam*, ait Synodus, *religiosissimi Imperatores permiserunt, ut de integro universa discussa tractarentur* (*b*), quasi sine illorum venia retractatio non licuerit. Item Photinus in Synodo Sardicensi velut novæ hæreseos auctor damnatus à Constantio Imperatore impetravit, ut iterum causa in Synodo Sirmiensi agitaretur, quod Epiphanius tradit (*c*). Sic etiam Chrysostomus judicatus à Synodo ad Quercum, egit apud Arcadium, ut aliud Concilium concederet, in quo iterum causa ista tractaretur (*d*): quod Concilium reapse convocatum est, licet infeliciter Chrysostomo nihil tale merenti cesserit. Et quî alias poterat majus Concilium celebrari, nisi id Imperator concederet? quarto enim sæculo tantum in assiduam & ordinariam jurisdictionem Synodi provinciales abierant, majores vero sine Principis concessione non poterant celebrari.

Appellationes ad Synodum diœcesanam quando receptæ.

§. VII. Disciplina, quæ habebat, à Synodo provinciæ jure ordinario non esse ad majorem Synodum provocationem, in Ecclesiis Orientis stetit usque ad Synodum generalem Constantinopolitanam anno CCCLXXXI. celebratam, ubi novus ecclesiasticæ potestatis gradus institutus est. Etenim ea Synodus Ecclesiam Orientalem, quæ quinque diœcesibus civilibus continebatur, in quinque diœceses ecclesiasticas partita est, & uniuscujusque diœcesis Episcopis auctoritatem tribuit administrandi omnia, quæ in suis diœcesibus occurrebant, ita tamen ut primum causarum de Episcopis judicium in Synodo provinciæ agitaretur (*e*). Diœcesis Patribus Constantinopolitanis est tractus plurium provinciarum, quæ sub una metropoli sibi adhærent. Ita per Orientem Synodi diœcesanæ in assiduam juris-

(*a*) Conf. Petrus de Marca loc. cit.
(*b*) Epist. synod. Conc. Sardic. inter fragmenta Hilarii.
(*c*) Epiph hær. LXXI.
(*d*) Chrysost epist. ad Innoc. Pontif.
(*e*) Conc. Constantinop. Can. II.

risdictionem abierunt, easque sine speciali Imperatoris venia ex suæ diœcesis provinciis exarchus indicebat; simulque receptum, ut à Synodo provinciali Synodus diœcesana appellaretur. Nova hæc disciplina per Synodum Chalcedonensem confirmata est, sed non sine aliqua mutatione; arbitrio enim conquerentium permissum, ut metropolitæ vel apud suæ diœcesis exarchum, vel apud thronum Constantinopolitanum deferantur & accusentur (*a*). Et Justinianus aperte cavit, ut causæ Episcoporum in Synodo provinciali judicentur, & in casu appellationis ad Patriarcham uniuscujusque diœcesis deferantur (*b*).

Variæ sententiæ de appellationibus ad Pontificem.

§. VIII. Magna interim controversia est inter doctos, an ex veteri disciplina in causis ecclesiasticis, sive Episcoporum, sive Clericorum, quæ in Synodis judicabantur, receptæ erant ad summum Pontificem appellationes. Petrus de Marca, Launojus, Gerbasius, Quesnellus, Dupinus, Febronius aliique negant, veteri jure appellationes ad Pontificem fuisse usurpatas. Contra Cardinalis Bellarminus & Perronius, item Davidius, Christianus Lupus, N. Alexander aliique magno numero eas veluti consectaneum primatus Romani Pontificis tuentur, & inde tenent, semper licuisse in judiciis ecclesiasticis Pontificem appellare. Sed non omnes, qui utrinque sentiunt, per omnia inter se conveniunt. Etenim Petrus de Marca in solis disciplinæ causis pontificias appellationes admissas fuisse negat, quas tamen in causis fidei credit in usu fuisse (*c*): contra Dupinus nec in fidei causis Pontificem appellatum fuisse contendit (*d*). Alii in solis causis Episcoporum Pontificem in veteri disciplina appellatum fuisse contendunt, non vero in causis Presbyterorum & aliorum Clericorum, quorum causas in provinciis finiri consuevisse tenent; quum contra alii docent, etiam in causis inferiorum Clericorum Pontificem appellare licuisse. Quæstio ista salva fide, qua christiani sumus, agitatur: & modum quidem excessit Christianus Lupus, vir alioquin pius, & multæ, sed indigestæ eruditionis, qui veluti profanos & novatores traducit, quotquot appellationes ad Pontificem ex veteris disciplinæ regulis non admittunt. Quod ad me attinet, libens agnosco jus appellandi Romanam Sedem à Synodorum inferiorum judiciis tanquam consectaneum primatus Romani Pontificis in universam Ecclesiam haberi posse; est enim Romanus Pontifex cæteris Episcopis superior; naturalis vero ratio dictat ab inferioribus judicibus superiorem appellandum.

In

(*a*) Conc. Chalced. Can. IX. & XVII.
(*b*) Novell. CXXIII. cap. 22.
(*c*) Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 7. cap. 6.
(*d*) Dupin. de Antiq. eccles. discipl. diss. II. cap. 2.

In Ecclesia orientali olim Pontifex non appellabatur.

§. IX. Verum enimvero non semper hoc jure appellationum Sedes Apostolica usa est: ecclesiastica scilicet disciplina constitui cœpit eo tempore, quo per persecutiones jura omnia primatus explicari non poterant, disciplina vero semel recepta deinceps longo tempore stetit. Et profecto quarto sæculo recepta videtur fuisse sententia, quæ habebat, causas in Synodis occidentalibus judicatas non posse in Synodis Occidentis retractari, & vicissim; quam disciplinam Patres Concilii Antiocheni diserte proponunt (*a*): & Episcopi orientales, qui Sardicam convenerant, iterum inculcant, causamque secessionis suæ rejiciunt in occidentales, qui adversus veterem Ecclesiæ consuetudinem de causis orientalium cognoscere vellent (*b*). Eo etiam spectat Ambrosius, qui in Concilio Aquilejensi profitetur, *esse consuetudinem hujusmodi, ut in Oriente Orientalium esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium.* Itaque hac posita disciplina nullæ erant, saltem ab Orientis Ecclesiis, proprie sic dictæ ad Pontificem appellationes: quî enim orientales, qui tenebant, res in Oriente judicatas in plenario Occidentis Concilio retractari non posse, facile sinerent, apud Sedem Apostolicam iterum judicari? Occidentis Episcopi propositam ab orientalibus disciplinam non negabant: tantum contendebant, ut causæ Ecclesiarum Apostolicarum, præsertim Alexandrinæ, si de deponendis earum Episcopis tractaretur, cum summo Pontifice & Synodo Romana communicarentur (*c*).

Idem probatur ex Synodo Chalcedonensi & Justiniano.

§. X. Aliis quoque monumentis demonstratur, ab Ecclesiis orientalibus, præsertim in causis disciplinæ, olim summum Pontificem appellari non consuevisse. Synodus certe Chalcedonensis gradus ecclesiasticæ jurisdictionis recensens, adversus decretum Synodi diœcesanæ aut Sedis Constantinopolitanæ nullum damnatis proponit remedium (*d*), propositura profecto si alium superiorem judicem damnatis liceret appellare, quemadmodum fecit in causis Clericorum & Episcoporum, qui à suo Episcopo, aut metropolitano læsi erant. Et Justinianus conceptis verbis edicit, à judicio Synodi diœcesanæ omnino non dari appellationem (*e*); voluit enim, ut causas Episcoporum, sive de ecclesiastico jure, sive de aliis quibusdam rebus metropolitanus & Synodus provinciæ judicent, Patriarcha vero, si appellatio interponatur; item ut causas metro-

po-

(*a*) Epist. ad Julium Papam.
(*b*) Epist. synod. quæ extat in fragmentis Hilarii.
(*c*) Conf. Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 7. c. 4. n. 6.
(*d*) Conc. Chalced. Can. IX.
(*e*) Novell. CXXIII. c. 22.

politanorum primo judicio Patriarcha cujusque diœcesis cognoscat, ita tamen ut à sententia Patriarchæ nulla prorsus esset appellatio, *nulla parte ejus sententiæ contradicere valente*. Scripta est constitutio ista secundum tum receptas in Ecclesia orientali regulas, quas legibus suis passim Justinianus confirmavit, & procul esse debet omnis suspicio de non satis intellecta vel mutata per Justinianum ecclesiastica disciplina; hujus enim Imperatoris de rebus sacris novellæ ex consensu & sententia Episcoporum, qui frequentes in comitatu morabantur, scriptæ sunt.

In Africa olim appellationes ad Pontificem non admissæ.

§. XI. Præterea ex monumentis Ecclesiæ Africanæ constat, olim in causis ecclesiasticis Pontificem appellatum non fuisse. Certe Cyprianus profitetur, causas in provinciis, ubi crimen est admissum, tractari debere, nec licere damnatis Romam aliove confugere, quando singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus (*a*). Deinde, inter Canones Africanos regula consecrata est, qua omnino appellationes ad Pontificem prohibentur. *Ad transmarina, qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est.* Extat hic Canon in Concilio Milevitano, seu potius Carthaginensi, quod anno CCCCXVIII. habitum est, sed omissis verbis ultimis, quæ causas Episcoporum complectuntur (*b*). Sed verba illa addita videntur in Concilio sexto Carthaginensi (*c*), ubi Canones antecedentium Africanarum Synodorum relecti & probati sunt. Transmarina Ecclesia Africanis Romana erat: & certe risum movet exceptio, quam mox relato Canoni Gratianus adjecit, *nisi forte Romanam Sedem appellaverit* (*d*), quasi Afri ad transmarina appellantes aliam, quam Romanam Sedem appellarent, quod Binius recte observat (*e*). Africani quoque Patres, ubi compertum est objectos à Zosimo Papa in causa Apiarii Canones non esse Nicænos, ad Cælestinum Pontificem litteras dederunt, quibus declarant, non pati Ecclesiæ Africanæ disciplinam, ut in causis ecclesiasticis etiam Episcoporum summus Pontifex appelletur; idque ex Canonibus Nicænis, eumque propterea enixe rogant, ut ex Africa venientibus non facile præbeat aures, nec eos in communionem admittat (*f*).

Sen-

(*a*) Cypr. ep. LIX. al. LV. ad Cornel.
(*b*) Conc. Milevit. Can. XXII., Can. CXXV. C. Afric.
(*c*) Can. XXVIII. C. Afric., Conf. Bevereg. in Can., Conc. Carth. Can. XXXI. & Dupin. de Antiq. Eccles. discipl. diss. II. c. 1. §.
(*d*) Can. XXXV. c. 2. q 6.
(*e*) Binius not. in cit. Can. XXII. Milevit.
(*f*) Can. CXXXVIII. C. Afric.

Sententia Canonum Sardicensium.

§. XII. Jam vetus disciplina, qua causæ ecclesiasticæ in Synodis provincialibus finiebantur, in Concilio Sardicensi tantisper mutata est, ex qua mutatione data occasio, ut tandem appellationes ad Pontificem reciperentur. Sæculo quarto judicia quædam in Synodis Orientis in Episcopos orthodoxos vi & injuria agitata sunt, ut ex causa Athanasii & sociorum ejus constat. Ergo Synodus Sardicensis ex Occidentis Episcopis celebrata, ad minuendam Synodorum provincialium auctoritatem, edixit, ut judicia in Episcopos lata iterum tractentur, si id Episcopo Romano videretur. Ita statuit, ut si damnatus Episcopus sibi injuriam illatam autumet, scribatur Episcopo Romano, ut si is putaverit judicium renovandum, det judices, & quidem vicinæ provinciæ Episcopos, ita tamen ut Pontifex legatum quoque mittere possit novo judicio præfuturum, si ipsi visum fuerit, aliquem mitti oportere: contra si putaverit, negotium iterum tractari non debere, res judicata suum robur obtineat (*a*). Renovatio quidem judicii ex verbis Canonum fieri debet per judices vicinæ provinciæ; at hac sententia non excluduntur provinciæ Episcopi, qui primo judicarunt, sed potius ex utrisque ad causam tractandam nova Synodus coalescet. Hæc videtur genuina sententia Canonum Sardicensium, quibus non jus appellandi Pontificem confirmatur, aut instituitur, sed potius eidem conceditur jus decernendi, an judicium in provincia renovandum sit, quod inter recentiores omnium primus Petrus de Marca observavit (*b*), cujus interpretationem deinceps eruditi magno numero amplexi sunt. Et profecto verba Canonum ex editione Dionysii Exigui & Græca versione summo Pontifici tantum potestatem tribuunt, ut ipse decernat, an causa iterum in provincia tractari debeat, non ut ipse Romæ judicet: & deinde Hincmarus Remensis aperte habet, ex sententia Canonum Sardicensium causas Episcoporum damnatorum in Concilio Episcoporum provincialium & finitimorum debere retractari (*c*).

Canones Sardicenses in Oriente non recepti.

§. XIII. Disciplina per Canones Sardicenses statuta in Ecclesia orientali nunquam recepta est, & in Occidente sero tandem admissa. Et quidem in Ecclesiis Orientis Sardicenses Canones receptos non fuisse inde constat, quod judiciorum ordo in Concilio Chalcedonensi, & novellis Imperatoris Justiniani statutus prorsus Canonibus illis adversatur: quî enim locus esse poterat retractationi causæ

(*a*) Conc. Sardic. Can. III. & VII.
(*b*) Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 7. cap. 3.
(*c*) Hincm. Remens. ep. ad Joannem VIII. sub nomine Caroli Calvi scripta c. 11.

sæ ex summi Pontificis decreto, ubi in causis Episcoporum à Synodo provinciali appellabatur Patriarcha, nec novum inde judicium concessum erat? Et si Sardicenses Canones inter eos, qui ab Ecclesia probati sunt, in Synodo Trullana numerentur, id non arguit, Canones illos in Oriente tum admissos, nam in ea Synodo confirmatus est Canon Chalcedonensis, quo suprema statuebatur Synodi diœceseos sententia. Tantum Synodus Trullana recensuit Canones Sardicenses, quod instituisset Canones omnes, qui ab Episcopis orthodoxis conditi erant, numerare, licet non omnes, præsertim in Oriente, usu vigerent; quod recte Dupinus observat (*a*). Ipse Photius, qui suo Nomocanoni Canones Sardicenses inseruit, contestatus est, eosdem ad Occidentem spectare (*b*).

Canones Sardicenses ab Africanis rejecti.

§. XIV. Quod vero spectat ad Occidentis Ecclesias, ineunte quinto sæculo Canones Sardicenses in Africa ignorabantur, & ubi innotuerunt, in celebri Concilio, cui S. Augustinus intererat, rejecti sunt. Zosimus Papa, ubi in communionem recepit Apiarium Africanum Presbyterum, qui ab Episcopo suo depositus Romam confugerat, legatos in Africam misit, quibus inter alia dedit in mandatis, ut cum Patribus Africanis agerent de appellationibus Episcoporum ad Pontificem, & de ipsius Apiarii in gradum suum restitutione. Coacti anno ccccxix. Carthagine Africani Episcopi declinaturi cum Sede Apostolica disceptationem, Apiarium sub certo modo in gradum suum restituerunt: quo facto Faustinus, legatorum unus, Patribus mandata Pontificis exposuit, & ad tuendum caput de Appellationibus Canonem sub nomine Concilii Nicæni proposuit, qui reapse erat septimus Sardicensis. Deerat hic Canon in Africanis Concilii Nicæni exemplaribus: hinc placuit Patribus Africanis, ab Episcopis Constantinopolitano, Alexandrino & Antiocheno vera exemplaria Concilii Nicæni exquirere, quo constaret, an productus Canon Nicænus esset, interim vero disciplinam eo Canone comprehensam servare (*c*). Tum de his omnibus Africani monitum voluere Bonifacium, qui interim Zosimo mortuo ad Petri Sedem evaserat, eumque etiam rogarunt, ut curam suam in conquirendis genuinis Concilii Nicæni Codicibus adhiberet. Missa inde sunt Constantinopoli & Alexandria in Africam vera Concilii Nicæni exemplaria, in quibus Canon tanquam Nicænus productus non extabat. Ergo nulla amplius esse debuit temporaria illa producti Canonis observantia, & simul sublatæ rerum novarum molitiones. At contra evenit: nam Cælestinus Pontifex, qui Bonifacio successerat, non multo post ejusdem Apiarii, ob nova scelera iterum ab Episcopo

(*a*) Dupin. diss. II. de Antiq. Eccles. discipl. c. 1. §. 3.
(*b*) Phot. præf. nomocanon.
(*c*) Can. CXXXIV. C. Afric. ap. Dionys. Exiguum.

po suo depositi, appellationem admisit, & ad restitutionis promovendam executionem rursus Faustinum in Africam misit. Coguntur iterum Africani Episcopi: & quoniam constabat, à Faustino ante productos Canones non esse Nicænos, magni ponderis litteras ad Cælestinum scribunt, quibus rogant, ne deinceps appellationes Presbyterorum & Episcoporum recipiat, utpote Nicænis Canonibus & Ecclesiæ Africanæ disciplinæ adversas (*a*). Quæ quum ita sint, quis ferat Natale Alexandrum, qui tenet, Africanos Patres facti ignorantia lapsos appellationes ad Sedem Apostolicam respuisse (*b*)?

Pontifices bona fide Canones Sardicenses velut Nicænos citant.

§. XV. Illud vero hic obiter quæri potest, cur Zosimus Papa, & forte etiam Cælestinus, Canones Sardicenses velut Nicænos in causa Apiarii Africanis Patribus objecerint? Id dolo malo factum clamant recentiores hæretici, ut ea ratione à Synodis Africanis appellationes ad Pontificem invitis Canonibus reciperentur. At quæ prudentia erat, dolos adhibere in re trita, in qua machinæ omnes ea facilitate destrui poterant, qua obtrudebantur? Itaque dicendum, Zosimum fide bona & exemplo majorum Canones Sardicenses pro Nicænis reputasse, quod in recepto tum Ecclesiæ Romanæ Codice Canones Nicæni & Sardicenses sub uno titulo Nicænorum, & perpetua numerorum serie videntur fuisse digesti. Et reapse in Codice Canonum, quem edidit Quesnellus, quemque in Romana Ecclesia receptum fuisse tenet, sub uno titulo ac perpetua serie Canones Sardicenses Nicænis subjiciuntur: idque etiam in pluribus aliis veterum Canonum Codicibus factum fuisse Petrus & Hieronymus fratres Ballerinii probant (*c*). Quod vero etiam post dissidium cum Patribus Africanis Romani Pontifices sub nomine Nicænorum Canones Sardicenses inculcarint, ea ratione videtur evenisse, quod Codex Canonum Romanæ Ecclesiæ stetit immutatus, atque inde potius, quam ex litteris Africanorum Romani Pontifices jura Ecclesiæ suæ metiti sunt.

Canones Sardicenses in Hispania sæculo sexto non recepti.

§. XVI. Præterea in reliquis Occidentis Ecclesiis Canones Sardicenses longo tempore non fuerunt recepti, etsi Romani Pontifices quavis occasione data eorum observantiam inculcarunt & urgerent. Et profecto in Hispania sub Gregorio M. adhuc vigebat vetus disciplina, ut causas Episcoporum Synodi provincialis judicio finirentur, & si Episcoporum suffragia non convenirent, finitimi Episcopi negotium terminarent. Hæc disciplina proponitur in Martini Bra-

ca-

(*a*) Can. CXXXVIII. ejusd. C. Afric. an. eundem Dionysium.
(*b*) Nat. Alexand. Hist. eccles. sæc. IV. diss. XXVIII. prop. 3.
(*c*) Tract. de Antiq. collectionib. Canonum part. 2. cap. 1. §. 3. n. 13. & seqq. in append. ad S. Leonis M. opera.

carensis Canonum Codice, quo tum Hispania utebatur (*a*). Gregorius quidem adversus Canones in Hispania receptos Stephanum Episcopum, qui à vicinæ provinciæ Episcopis depositus Sedem Apostolicam appellaverat, iterum judicare tentavit, idque ea ratione quod ille nec metropolitam, nec patriarcham haberet, & proinde à Romana Ecclesia, quæ cæterarum caput est, judicandus esset (*b*); at Hispani huic innovationi tum non videntur consensisse, & ad Romanas appellationes excludendas statuerunt, ut causæ Clericorum in Synodis judicatæ, in secunda Synodo retractarentur. *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus*, inquit Concilium Toletanum IV. (*c*), *si à gradu suo injuste dejectus in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse, quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manu Episcopi.*

Canones Sardicenses in Gallia sæculo quinto non recepti.

§. XVII. Ecclesia quoque Gallicana longo tempore Canones Sardicenses ignoravit, & ex antiquis Canonibus à judiciis Synodalibus appellari non licere professa est: quod multis probat Quesnellus (*d*), in primis vero constat ex causa Cælidonii provinciæ Viennensis Episcopi, qui ab Hilario Arelatensi in Synodo damnatus, Romam ad Leonem M. contendit, apud quem se injuste depositum fuisse conquestus est. Hilarius etiam Romam ivit, egitque apud Leonem, ne in Galliis damnatos sacris altaribus adesse pateretur, nec iterum judicaret (*e*). At omnia incassum: nam Leo post Hilarii ab urbe discessum Cælidonium absolvit, & gradui suo restituit: ulterius quoque processit, scilicet ipsum Hilarium metropolitico jure spoliavit (*f*). Perspiciens vero Leo, hoc Romanum judicium in Gallia nullam vim habiturum, à Valentiniano Imperatore obtinuit rescriptum, quo per externam potentiam sententia illa executioni mandaretur. Perstitit tamen Hilarius in sententia sua, & quamvis interim studuerit Pontificem delinire, nunquam tamen sententiam in Cælidonium latam retractavit, aut Leonis judicio acquievit. Hinc constat, Episcopos Gallicanos in ea fuisse sententia, judicia in provinciis finiri debere ex Canonibus Nicænis & Antiochenis, quod argumento est, receptos non fuisse Canones Sardicenses. Et quamvis adserat Leo, ex veteri consuetudine judicia in Galliis lata à Sede Apostolica per appellationem, *aut retractata, aut confirmata fuisse* (*g*); tamen observat Dupinus, hac in re *humani nonnihil passum esse Leonem plus justo commotum in Hilarium* (*a*): nam exempla nulla prostant, quibus Gallicana in Episcopos judicia per appellationem à Pontifice confirmata, aut retractata sunt.

(*a*) Cod. Mart. Bracar. cap. 13.
(*b*) Greg. M. lib. 9. epist. LIV.
(*c*) Conc. Tolet. IV. Can. XXVIII.
(*d*) Quesnel. diss. V. in S. Leonis M. opera c. 14. & seqq.
(*e*) Honorat. in Vita S. Hilarii.
(*f*) Leo M. epist. X. ad Episcop. Viennens. cap. 3. & 7. edit. Quesnel.
(*g*) Cit. epist. X. cap. 2.

Exempla varia appellationum ad Pontificem.

§. XVIII. Sed contra hactenus dicta proferri solent multa judiciorum exempla, in quibus vel ante vel post Synodum Sardicensem damnati Episcopi tam ex Oriente, quam ex Occidente Sedem Romanam appellarunt. Ita Athanasius primum in Synodo Tyria, inde in Antiochena damnatus Romam ad Julium Papam confugit. Similiter Chrysostomus in Synodo ad Quercum damnatus, & inde novo judicio subjectus, & sede sua expulsus, quod à Synodo judicatus, sine alterius Synodi auctoritate sedem suam recepisset, Innocentium Pontificem appellavit. Eutyches quoque in Constantinopolitana S. Flaviani Synodo tanquam hæreticus damnatus Leonem M. appellavit, ad quem etiam confugerunt S. Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus & Theodoritus Episcopus Cyri, quos Synodus latrocinii Ephesini damnavit. Quibus aliisque multis exemplis Gelasius Pontifex docet, Sedem Apostolicam potestate auctam esse de causis per Synodos judicatis cognoscere. *Apostolica Sedes frequenter more majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi, quos Synodus inique damnaverat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habet facultatem* (*b*).

Quæ tamen veras appellationes non videntur exhibere.

§. XIX. Longioris esset operis, si hæc & alia, quæ afferri solent, appellationum ad summum Pontificem exempla sigillatim expendere vellem: tantum generales quasdam observationes proponam, unde facile constat, cujus ponderis ejusmodi appellationes fuerint: qui vero plura cupit adeat Dupinum, qui exempla ista omnia ordine chronologico ad examen revocavit, & contra Christianum Lupum, nihil inde ad adstruendas appellationes ad Pontificem concludi posse, multis probare adgressus est (*c*). Principio ab exemplis canonicus appellationum usus vix erui posse videtur, quando Canones extant, qui antiquam judiciorum disciplinam talem fuisse demonstrant, ut causæ in Conciliis provincialibus judicatæ iterum judicari non debeant, aut judicari quidem, sed tantum in Conciliis diœcesanis, nulla ulterius permissa appellatione. Deinde in veteri disciplina Episcopi damnati sæpe confugiebant ad Pontificem non proprie appellantes, sed potius ejus auxilium implorantes, utpote qui in Synodis per vim & contra judiciorum ordinem damnati erant, ut constat exemplis Athanasii & Chrysostomi: & hinc non

(*a*) Dupin. de Antiq. Eccles. discipl. diss. II. c. 2. §. 3.
(*b*) Gelas. Papa. epist. ad Episcop. Dardaniæ.
(*c*) Dupin. de Antiq. Eccles. discipl. diss. II. c. 2.

non ad solum Pontificem recurrebant, sed ad aliarum sedium Episcopos, ut hi veluti conjunctis viribus per violentiam oppressos tuerentur, & revera Chrysostomus præter Innocentium Pontificem Venerii Mediolanensis Episcopi & Chromatii Aquilejensis auxilium imploravit (*a*). Item appellati ab Episcopis damnatis Pontifices de causa proprie non judicabant, nec latas sententias rescindebant, sed illas sæpe improbabant, veluti quæ contra Canones latæ ipso jure nullæ erant, *quod non solum Præsidi apostolico facere licet, sed & cuicumque Pontifici*, ut Gelasius Papa loquitur (*b*). Demum appellati Pontifices id agere solebant, ut per Principes generalia Concilia cogerentur, in quibus latæ sententiæ de integro retractarentur, ut in causa Chrysostomi videre est.

Canones Sardicenses tandem in Occidente recepti.

§. XX. Verum enimvero sæculo sexto & deinceps Canones Sardicenses in Ecclesiis Occidentis sensim in auctoritatem admissi sunt. Adnitentibus Romanis Pontificibus & Canonum Sardicensium observantiam inculcantibus, vix erat, ut Occidentis Ecclesiæ antiquæ disciplinæ inhærerent, & ex ejus forma judicia ordinarent. Quin Romani Pontifices sic Canones Sardicenses interpretati sunt, quasi in sua esset potestate causas ad Sedem Apostolicam per appellationem delatas Romæ judicare vel in provinciis judicandas transmittere, misso à latere legato. Ita Gregorius M. causam Andreæ Episcopi Thebani, qui depositus ab Episcopo primæ Justinianæ summum Pontificem appellavit, Romæ cognovit (*c*): contra appellatus in causa Episcopi urbis Epidauriæ Synodum provincialem congregandam edixit, ad judicandam appellationem secundum Canones coram Antonio hypodiacono, cui delegaverat executionem (*d*). Cæterum nono sæculo Gallicani Antistites admittebant quidem in causis Episcoporum Canones Sardicenses: at contendebant, ex eorum Canonum sententia causas in provinciis judicari debere, si summus Pontifex appellatus causam retractandam judicaret, quod in primis constat ex litteris Hincmari Remensis ad Joannem VIII., quæ sub nomine Caroli Calvi scriptæ sunt (*e*).

Appellationes in causis Clericorum ad Pontificem admittuntur, & depositiones Episcoporum eidem reservantur.

§. XXI. Post sæculum decimum ulterius progressa est auctoritas Romanæ Sedis in judicandis causis ecclesiasticis, quæ in Occidentis Ecclesiis emergebant. Etenim etiam inferiorum Clericorum ap-

(*a*) Pallad. dial. de Vita Chrysost.
(*b*) Gelas. epist. ad Faustum.
(*c*) Greg. M. l. 2. epist. VI.
(*d*) Greg. M. l. 2. epist. XLVII.
(*e*) Epist. Caroli Calvi ad Joan. VIII. c. 11.

appellationes ad Pontificem admissæ sunt, & præterea causæ depositionis Episcoporum Synodis provincialibus ablatæ primo judicio Sedi Romanæ cesserunt. Tanta mutatio putidis Isidori Mercatoris mercibus, quæ initio noni sæculi videntur prodiisse, præcipue debetur. Etenim in illis edicitur, libere Clericos omnes Romanam Sedem posse appellare (*a*): & præterea in causis Episcoporum statuitur, Episcopos inconsulta Romana Sede non esse damnandos, & Synodos provinciales, sine venia Pontificis non posse celebrari: quæ omnia veluti ab Apostolis tradita proponuntur. His novitatibus intercesserunt initio Gallicani Antistites, qui magnis animis Ecclesiarum suarum disciplinam adversus Pontifices tutati sunt, contendentes, secundum Canones Episcopos etiam inscio Pontifice in Synodis provincialibus debere damnari, post judicium vero licere damnatis Sedem Apostolicam appellare, ut ejus auctoritate causa in provinciis retractetur. At deinceps Gallicani Antistites in tuendis Ecclesiarum juribus segniores evaserunt, & Episcopi ex sententia falsarum Decretalium cœperunt judicari (*b*). Sæculis vero decimo & sequenti ob bellorum tempestates desuetis Synodis provincialibus, Episcoporum depositiones summo Pontifici reservatæ sunt, & Clericorum inferiorum appellationes ad Pontificem receptæ. Quæ inducta disciplina eo devenit Innocentius III. summus Pontifex, ut universa antiquitate & Canonibus invitis inculcet depositiones, cessiones & translationes Episcoporum jure divino Sedi Romanæ esse reservatas (*c*)

Ab arbitriis Episcoporum in re civili tandem appellatum.

§. XXII. Appellationes in causis Ecclesiasticis secundum veteres regulas saltem sub certo modo admittebantur; at quod spectat causas civiles, quas Episcopi in veteri disciplina ex partium consensu judicabant, firma omnino erant eorum arbitria, nec inde licebat appellare. Hæc nimirum erat juris civilis sententia, qua ab arbitris compromisso sumptis appellatio non dabatur (*d*): repugnat enim rationi, qua arbitri eliguntur, appellatio: itur ad arbitros, ut lites citius & expensarum compendio finiantur: itemque sibi imputare debet, qui compromisit, si minus equum arbitrium videatur (*e*). Sed arbitriis Episcoporum in causis civilibus id proprii inerat, quod omnino ab judicum officiis executioni mandari debebant, quando reliquorum arbitrorum sententiæ tanta vi erant destitutæ. Eandem enim reverentiam Episcoporum arbitriis deferendam voluerunt Imperatores Arcadius & Honorius, quæ sententiis à præfec-

(*a*) Can. IV. & VIII. c. 2. q. 6.
(*b*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 7. c. 25. n. 11.
(*c*) Cap. 2. ext. de Transl. Episc.
(*d*) L. 1. de Recept. arbitr.
(*e*) L. 27. §. 2. D. de Recept. qui arbitri

facto prætorio latis exhibebatur (*a*). Sed temporis lapsu ubi arbitria Episcoporum in vera judicia abierunt, & civiles causæ apud Episcopos tricis forensibus involutæ sunt, etiam in causis civilibus à sententiis Episcoporum appellationes receptæ, quæ per juris ambages, non secus ac primæ instantiæ judicium, tractatæ sunt.

Jure civili à quibus sententiis licebat appellare.

§. XXIII. Jure civili tantum à sententia definitiva licebat appellare, non item ab interlocutionibus, nisi istæ vim sententiæ definitivæ haberent, puta si judex articulum incidentem decideret, unde causæ principalis decisio pendebat, aut grave & irreparabile damnum inferrent, veluti si quæstionem in civili negotio habendam judex interlocutus sit, si in foro incompetenti lis incœpta esset, si locus seu dilatio ad agendum postulatus iniquitate judicis denegatus sit, si dilatio instrumentorum, vel testium gratia postulata ab judice haud concessa fuerit (*b*). Etenim jure veteri præscriptiones, seu exceptiones peremtoriæ diverso à principe causa judicio solebant agitari, & desuper lata præjudicia in rem judicatam transibant, & inde è republica erat à peremtoriis præscriptionibus dari appellationes. Verum legibus Imperatoris Justiniani omnino appellationes ab interlocutionibus interdictæ videntur: voluit enim Justinianus uno judicio cum principe causa exceptiones peremtorias agitari, & desuper lata præjudicia in rem judicatam non transire; & hinc integrum esse, eadem ex integro in judicio appellationis à sententia definitiva revolvi & in examen revocari, quod constat ex *L. XXXVI. de Appellationibus*, quam Cujacius restituit (*c*), quamque Justinianus ipse allegat, & compendio refert (*d*). E republica esse vidit Justinianus, lites in longum non esse trahendas, & hinc appellationes ab omnibus interlocutionibus rejecit, satisque esse statuit, post finitam causam in judicio appellationis gravamina omnia revolvi & ad examen revocari (*e*). Cæterum quod Tribonianus in libris juris reliquit leges, quæ probant appellationes ab interlocutionibus, quæ vim definitivæ habent, aut grave damnum inferunt, hinc invaluit doctrina, etiam in his casibus ab interlocutionibus jure civili recte provocari.

Jure Decretalium etiam ab omnibus interlocutionibus appellatur.

§. XXIV. Similiter veteri jure canonico in causis ecclesiasticis ante sententiam definitivam non appellabatur: at jure decretalium appellationum materies admodum dilatata est, adeo ut à quavis interlocutione etiam simplici, qua acta judicialia ordinantur, admittatur appellatio. Ita licet appellare, si judex in prima citatione terminum nimis brevem & peremtorium statuat (*a*), si locum non tutum reo assignet (*b*), item si exceptio contra productos testes rejiciatur, & reus excludatur ab ejus probatione (*c*), si lite non contestata testes recipiantur (*d*). Et generaliter Alexander III. ita habet (*e*): *Sacri Canones & ante & post litem contestatam, & in prolatione sententiæ, & post sententiam singulis facultatem appellandi tribuunt.* Sacri Canones, quibus summus Pontifex testimonium denuntiat, non alii videntur esse, quam falsæ decretales, quibus generatim cuique ab inferioribus judicibus gravato superiorem, & præsertim Romanum Pontificem, appellare conceditur (*f*). Quin eodem decretalium jure ulterius res producta est, & appellationes etiam concessæ ab extrajudicialibus judicum decretis (*g*), licet ab Episcopis tempore visitationis, & ad disciplinæ ecclesiasticæ emendationem editis.

Incommoda ex frequentia appellationum.

§. XXV. Jus civile, quo parce admodum appellationes conceduntur, reipublicæ commoditatibus inservit; vetat enim civilis sapientia, lites in longum trahi: contra decretales frequentia appellationum ecclesiasticæ disciplinæ ruinam promoverunt, præsertim admissis appellationibus, quibus causæ Romam devolvebantur: inde enim in longum lites productæ, gravissima scelera præsidio appellationum nec emendata, nec castigata, & nervus censurarum fractus. Hinc plures sancti & graves viri, in primis Sanctus Bernardus & Hildebertus Turonensis Archiepiscopus tantam appellationum licentiam improbarunt, & mala inde exorta vivis coloribus exposuerunt (*b*). Verba S. Bernardi ad Eugenium III. Pontificem sunt: *quantos novimus appellasse pulsatos, quo interim liceret, quod nunquam licet? Nonnullis, etiam quoad vixerunt licuisse appellationis suffragio nefaria scimus, verbi gratia incestum, adulterium. Quale est hoc turpitudini patrocinari, quod vel maxime formidari à turpibus oportebat? Quousque murmur universæ Ecclesiæ, aut dissimulas, aut non advertis?.... Appellantur Episcopi, ne illicita audeant matrimonia solvere, vel prohibere: appellantur, ne rapinas, ne furta, ne sacrilegia, & quæ ejusmodi sunt, punire ullatenus, vel prohibere præsumant: appellantur, ne indignas & infames personas à sacris officiis beneficiisque*

(*a*) L. 8. C. de Episc. audient.
(*b*) L. 39. D. de Minor., l. 2. D. de Appellat. recipiendis., l. 18. C. Th. Quorum appellat. non recipiantur.
(*c*) Cujac. lib. 12. Observ. cap. 3.
(*d*) L. 16. C. de Judiciis.
(*e*) Conf. Boehmer. Jur. eccles. lib. 2. tit. 27. §. 6.

(*a*) Cap. 1. ext. de Dilationib.
(*b*) Cap. 57. ext. de Appellationib.
(*c*) Cap. 7. ext. de Testibus & attestationib.
(*d*) Cap. 19. ext. de Judiciis.
(*e*) Cap. 12. ext. de Appellationib.
(*f*) Can. IV. & seqq. c. 2. q. 6.
(*g*) Cap. 8. de Appellationib. in 6.
(*b*) S. Bernard. lib. 3. de Consid. ad Eugen. III. cap. 2. Hildeb. Turonens. epist. 82. ad Honorium II.

que reppellere seu amovere queant. Quæ quum ita sint, toto cælo aberrat Gonzalez (*a*), qui eam rationem dat, cur decretales ab omni interlocutione appellare permittant, quod salutem animarum spectarint, & peccato judicis gravantis occurrere voluerint, quasi non majus crimen sit turpitudini & criminibus patrocinari, quam quodlibet gravamen judicis emendare.

Appellatio ab interlocutionibus per Tridentinum restricta.

§. XXVI. Licentia appellandi etiam ab omnibus interlocutionibus magno Ecclesiæ malo diu stetit, tandem vero in comitiis Tridentinis saltem ex parte emendata est, edito decreto, *ne appellationes ab ordinariis interpositæ, per superiores quoscumque recipiantur, eârumve commissio aut inhibitio fiat, nisi à definitiva, vel definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat* (*b*). Ita sublatæ appellationes à quacumque interlocutione, omnique judiciali gravamine, passimque tradunt interpretes, hac in parte jus canonicum ad terminos juris civilis redactum esse. Verum quis crederet! post hoc decretum etiam frequentia appellationum, saltem prudentum, seu potius imprudentum interpretatione, remansit. Etenim quum Tridentini Patres ab interlocutionibus, quæ gravamen inferrent per definitivam haud reparabile, appellari permitterent, interpretes plus æquo regulam hanc extendentes, docuerunt, idem jus esse, si damnum per sententiam reparari quidem possit, sed cum magna difficultate, aut partis præjudicio, aut tantum ex parte. Qua posita doctrina, nullum pæne decretum à judice interponitur, à quo appellari nequeat, quum vix aliqua interlocutio sit, unde non inferatur gravamen aliquod per definitivam, vel per appellationem à definitiva saltem ex parte irreparabile, quod Espenius observat (*c*). Et profecto docent interpretes, appellationes admitti, si citatio terminum nimis angustum contineat, si dilatoriæ exceptiones rejiciantur, si articuli & probationes non admittantur, & in pluribus aliis hujus generis speciebus (*d*).

Differentiæ inter appellationem à sententia & ab interlocutione.

§. XXVII. Multum vero interest inter appellationem à definitiva, & ab interlocutione. Principio appellatio à definitiva judicis, unde appellatum est, omnino suspendit jurisdictionem (*e*), causamque ad superiorem devolvit; at appellatio ab interlocutione judicis inferioris non suspendit jurisdictionem, nisi hic interposita appellationi de-

(*a*) Gonzalez in cap. 12. ext. de Appellationib.
(*b*) Trid. ses. XXIV. de Ref. cap. 20.
(*c*) Espen. part. 3. tit. 10. c. 1.
(*d*) Conf. Hieron. Gonzalez ad reg. VIII. cancel. glos. 9.
(*e*) L. 3. C. de Appellat. cap. 7. de Appellat. in 6.

detulerit, aut judex appellatus litteras inhibitionis dederit (*a*), aut interlocutio damnum irreparabile contineat. Item si à definitiva appelletur, causam, cur appellatum sit, exprimi non est opus (*b*): si ab interlocutione, exprimenda omnino est (*c*): definitivam enim mutare judex vetatur, potest vero mutare interlocutionem, ut proinde æquum sit, in appellatione ab interlocutione causam exprimere, cur possit, aut debeat emendari. Appellatio quoque à definitiva si incontinenti fiat, & apud acta, etiam nuda voce & simplici verbo *appello* fieri potest (*d*): contra appellatio ab interlocutione omnino in scriptis proponenda est (*e*). Porro qui appellat ab interlocutione, non potest alias causas prosequi, quam in appellatione duntaxat expressas (*f*); contra qui appellat à definitiva etiam non expressas causas prosequitur. Et demum appellatio à definitiva novis probationibus recte adstruitur, quando appellatio ab interlocutione tantum ex iisdem actis æstimatur & deciditur (*g*).

Quibus licet appellare.

§. XXVIII. Licet vero appellare non tantum damnato, aut alias iniqua judicis sententia gravato, verum etiam omnibus quorum interest, sententiam latam non esse (*h*). Ita si emtor de proprietate victus est, & cesset, venditori licet provocare, nam ejus causa agitur, quum emtori possit esse contra venditorem regressus: & contra si venditor egerit, & victus est, non est neganda emtori appellandi facultas, quum ejus intersit (*i*); qua etiam ratione jure appellat fidejussor, si principalis debitor victus cesset, si enim principalis debitor solvendo non est, fidejussor ipse satisfacere cogitur. Præterea non est dubium, quin procurator, qui causam executus est, & adversam sententiam tulit, appellare possit, etiamsi non habeat speciale ad id mandatum, quum generale ad lites sufficiat. Quilibet quoque potest provocare pro eo, qui capite damnatus est, etiamsi damnatus perire festinans appellationi reluctetur (*k*); ratio nimirum communis officii ab hominibus poscit, cives in discrimine vitæ positos in judicio tueri.

Appellatio quomodo interponenda.

§. XXIX. Interponitur appellatio aut scripto, aut nuda voce. Et quidem si appelletur à definitiva, interest utrum apud acta & il-

(*a*) Cap. 5. & 7. eod.
(*b*) L. 2. D. de Appellationib.
(*c*) Cap. 59. ext. de Appellat., cap. 1. eod in 6.
(*d*) Cit. L. II.
(*e*) Cap. 1. de Appellationib. in 6.
(*f*) Clement. V. de Appellat.
(*g*) L. 4. C. de Temporib. appellat., cit. Clement. V.
(*h*) L. 4. D. de Appellat., cap. 16. ext. de Elect.
(*i*) L. 4. §. 3. D. eod.
(*k*) L. 6. D. eod., l. 39. C. de Appellat.

*i*dico, sedente adhuc judice pro tribunali, an ex intervallo appellatio interponatur. Priore casu sufficit viva voce appellare, & dicere *appello* (*a*), nec est necessarius libellus, neque ut addatur quis, contra quem, & à qua sententia appelletur; altero, libello opus est, quo contineatur quis appellat, & à qua sententia (*b*); adversarii vero nomen necessario exprimendum non est, sicut nec certam appellationis causam reddere oportet, sed generalem allegari sufficit (*c*). Et hoc ita si appellandum sit à definitiva, nam si ab interlocutione appellatio interponatur, jure decretalium semper & indistincte scripto appellandum est, in quo probabilis causa gravaminis adjiciatur (*d*): & ita quidem ut nulla gravaminis expressa causa, appellatio nullius momenti sit.

Quando appellari debet.

§. XXX. Appellatio intra appellatoria tempora interponenda & peragenda est, quæ tempora etiam *fatales dies* dicuntur, quod eorum lapsu veluti fato quodam illa perimatur. Sunt vero ejusmodi appellatoria tempora quatuor, unum est tempus ad appellandum, alterum ad petendos libellos dimissorios, tertium ad introducendam appellationem apud judicem superiorem, & quartum ad eam prosequendam & finiendam. Et quod spectat ad primum, jure Digestorum & Codicis interponendæ appellationis tempus erat biduum in propria causa, seu quum quis nomine suo agebat, triduum in aliena, seu quum quis tanquam procurator, aut tutor agebat (*e*). At jure novissimo Justiniani loco bidui aut tridui appellatio tam in propria, quam in aliena causa interponenda est intra decem dies, *à sententiæ recitatione* numerandos (*f*): quod jus Innocentius III. confirmavit (*g*). Quin Bonifacius VIII. etiam voluit, ut extrajudicialis appellatio intra decem dies à die scientiæ gravaminis illati interponatur (*h*). Ait quidem Justinianus, appellandum esse intra decem dies *à sententiæ recitatione*; at id tempus nequaquam currit ignoranti, nec ei, cui interim deest, coram quo appellet (*i*). Et fortasse ita statuit Imperator, quod partes sententiæ recitationi præsentes supponeret. Currit vero concessum tempus à momento ad momentum, & idcirco potest evenire, ut decimus dies in undecimum desinat, eoque termino elapso sententia in rem judicatam transit.

Tem-

(*a*) L. 2. eod., l. 14 C. de Appellat.
(*b*) L. 1. §. 4. D. eod. & l. VI. §. 5. C. de Appellat.
(*c*) L. 3. D. de Appellat.
(*d*) Cap. 59. ext. de Appellat., cap. 1. eod. in 6.
(*e*) L. 1. §. 5. 6. & 11. D. Quando appell., l. 6. §. 5. C. de Appellat.
(*f*) Novell. XXIII. cap. 1.
(*g*) Cap. 15. ext. de Sent. & re judic.
(*h*) Cap. 8 de Appellat. in 6.
(*i*) L. 1. §. 7. & ult. D. Quando appell.

Tempus ad petendos libellos dimissorios.

§. XXXI. Appellatione intra legitimum tempus interposita, appellans petere debet dimissorios libellos, seu litteras, quæ à judice inferiore ad superiorem dantur, quibus judex significat, à sententia, quam ipse dixit, Titium appellasse, & simul causam ad superiorem dimittit. Libelli dimissorii etiam *apostoli* dicti sunt, quasi libelli missi à verbo Græco ἀποστέλλω quod est dimitto (*a*). Apostoli intra triginta dies *ex die latæ sententiæ* petendi sunt, & à judice, unde appellatum est, litigatoribus exhibendi, quod non minus civili quam decretalium jure cavetur (*b*): & verba illa *ex die latæ sententiæ* multi ita accipiunt, quasi scriptum sit: *ex die scientiæ latæ sententiæ*, quæ opinio verior est. Interim secundum Clementinas potest judex, unde appellatum est, certum tempus ad petendos & recipiendos apostolos litigantibus statuere (*c*): quod ita accipiunt, posse judicem tempus legitimum contrahere, non vero producere. Intra hoc tempus litigator *instanter* & *sæpius* petere apostolos debet, ne appellationi videatur renuntiasse: quamvis jure Clementinarum sufficiat, si in appellatione uno contextu instanter apostoli petantur (*d*). Quod si intra statutum tempus apostolos judex petenti non exhibuerit, hic potest appellationem persequi, non secus ac si illi expresse fuissent denegati (*e*). Moribus præsentibus præsertim in foro sæculari ferme nullus est apostolorum usus, sed appellatio instituitur apud judicem superiorem, qui interposita appellatione litteras dat inhibitorias, quibus judici, unde appellatum est, præcipitur, ut amplius in causa non procedat, acta transmittat, & omnia innovata ad pristinum reducat (*f*).

Tempus introducendæ appellationis.

§. XXXII. Acceptis litteris dimissoriis, qui appellavit, adire majorem judicem debet, & apostolos offerre: idque juri civili pro varia locorum & judicum ratione non eodem temporis spatio faciendum erat (*g*). Sed hoc varium tempus gentium moribus vix servari potuit: nec ea de re aliquid certi in decretalibus habetur. Itaque id tempus judex, unde provocatum est, pro arbitrio suo spectatis locorum & temporis adjunctis præstituet (*h*). Exhibitis judici appellato libellis dimissoriis, appellans instat, ut appellatio recipia-

(*a*) L. un. D. de Libell. dimissor.
(*b*) L. XXIV. C. de Appellat., cap. 6. de Appellat. in 6.
(*c*) Clement. II. de Appellat.
(*d*) Cit. Clement. II.
(*e*) Cit. Clement. II.
(*f*) Conf. Christinæus ad Bignion lib. 1. cap. 98.
(*g*) L. 1. 2. & ult. C. de Temporib. appellat.
(*h*) Cap. 33. ext. de Appellat., Clement. IV. eod.

piatur, pars adversa ad certum terminum citetur, & ut judex primæ instantiæ inhibeatur.

De tempore, quo finiendum judicium appellationis.

§. XXXIII. Introducta apud majorem judicem appellatio jure tam civili, quam decretalium anno, & ex justa causa biennio instrui & finiri debet (*a*). Unde id tempus incipiat, non convenit inter juris civilis interpretes, at jure decretalium ab interposita appellatione incipit (*b*): quod civilis fori usus admisit. Hoc decursu temporis appellationem recte interpositam fuisse, probandum est, & idcirco probandum, gravamina libello comprehensa esse vera (*c*), & præterea alia etiam probare, & deducere permissum est, nisi ab interlocutione appellatum sit, quo casu non licet novas causas libello non comprehensas deducere. Sed nimia causarum frequentia fecit, ut præscripto tempore appellationes finiri nequeant.

Appellatio judicis, unde appellatum est, jurisdictionem suspendit.

§. XXXIV. Jure interposita appellatio judicis primæ instantiæ jurisdictionem suspendit, & causam ad majorem judicem devolvit, quod civili & decretalium jure cavetur (*d*). Quæ enim foret appellationis utilitas, si judici, unde appellatum est, integrum esset in causa procedere? Hinc pendente appellatione judex primæ instantiæ nihil in causa potest innovare: & si quæ innovaverit, à majori judice ante omnia in pristinum reducuntur (*e*), quæ innovationes *attentata* vulgo dici solent. Suspenditur vero inferioris judicis jurisdictio, si à definitiva appelletur, nam appellatio ab interlocutione tum illius jurisdictionem suspendit, si major judex illi prohibuerit, ne ulterius in causa procedat (*f*). Cæterum sunt nonnulli casus, in quibus per appellationem à definitiva executio sententiæ non supenditur: & appellatio dicitur habere effectum *devolutivum*, non *suspensivum*. Ita appellatio à sententia excommunicationis, suspensionis & interdicti effectum latæ censuræ non impedit (*g*); in censuris enim executionem secum trahit ipsa sententia (*h*). Item in causis correctionis & emendationis morum proposita appellatio decretam emendationem non suspendit, nisi formam in talibus causis servandam Antistites excesserint (*i*).

Quo-

(*a*) L. ult. §. 4. C de Temporib. appellat., auth. *ei qui* C. eod., cap. 5. ext. eod.
(*b*) Cap. 8. ext. de Appellat. Clement. III. eod.
(*c*) Cap. 70. ext. eod.
(*d*) L 32. §. 4. C. de Appellat., cap 55. ext. de Appellat.
(*e*) L. un. D. nihil innovari appellat. interposita, cap. 7. de Appellat. in 6.
(*f*) Cit. cap. 7.
(*g*) Cap. 53. ext. de Appellat., cap. 20. de Sent. excomm. in 6.
(*h*) Cit. cap. 53.
(*i*) Cap. 13. ext. de Off. Ordin., cap. 3. ext. de Appellat. Conf. Espen. part. 3. t. 10. cap. 3.

Quoties provocare licet in una eademque causa.

§. XXXV. Ex regulis juris civilis ante Justinianum receptis semel tantum in una eademque causa licebat provocare. At ex lege Justiniani uni eidemque litigatori in eadem causa & in iisdem articulis semel atque iterum provocare concessum est, non item tertio (*a*): quæ regula in decretalibus confirmatur (*b*). Et certe qui tertio provocat ab eadem sententia, videtur malam causam sustinuisse, & magis ex animi pervicacia, quam ex justitia lites serere: & deinde modum aliquem litibus ponere oportebat, ne æterna esset digladiatio. Quod vero unicuique litiganti semel & iterum licet provocare, in una eademque causa quatuor appellationes possunt interponi, duæ nimirum ab una, duæ ab altera parte: quod ubi fiet, in eadem causa quinque sententiæ proferuntur, una in primo judicio, reliquæ quatuor in totidem utrinque productis appellationibus, ex quibus sententiis ea executioni datur, quæ bis confirmata est. Quod si judex tertia sua sententia novum gravamen intulerit, ab hoc gravamine rite provocabitur: quæ appellatio potius prima, quam tertia censetur.

Appellandus judex superior in eadem jurisdictione.

§. XXXVI. Appellatio autem interponi debet ab judice, qui sententiam dixit, ad superiorem; alium enim ab eo, qui judicavit, esse appellandum extra dubium est, & illum quidem non parem, multo minus inferiorem, sed superiorem (*c*). Etenim appellatus judex emendare, & corrigere debet quod inferior inique gessisse dicitur; id vero nisi superior, qui facere jure potest? Superior vero judex non ex persona appellantis, neque ex genere causæ censetur, sed ex persona judicis, unde provocatur, ut ille superior sit, qui ex majore dignitate, aut magistratu in eum, qui primo judicavit, habet jurisdictionem. Et hinc ex communibus appellationum regulis ab judice ecclesiastico ad judicem laicum, & contra à laico ad ecclesiasticum non licet provocare, quum alter in alterum jurisdictione destituatur, nisi judex laicus jus dicat in locis, quæ temporali Ecclesiæ dominio subjiciuntur (*d*), quod ad regulam non ad exceptionem pertinet: nam in hac specie laicus judex civili Ecclesiæ jurisdictioni subest. Parum vero refert, num judex, unde provocatur, ordinarius, an delegatus sit; nam à delegato appellari posse, & quidem ad delegantem, certi juris est (*e*). Quod accipiendum de delegato ad causam specialem; nam ab eo, cui

uni-

(*a*) L. un. C. Ne liceat in una eademque causa.
(*b*) Cap. 39. & 65. ext. de Appellationib.
(*c*) L. 1. §. 3. D. de Appellationib., Can. IX. c. 2. q. 6.
(*d*) Cap. 7. ext. de Appellationib.
(*e*) L. 32. §. 3. C. de Appellationib.

universitas causarum commissa est, seu mandata est jurisdictio, non mandans appellatur, sed ille, qui si mandans judicasset, provocaretur (*a*).

Appellatio gradatim est interponenda.

§. XXXVII. Præterea superior judex, qui appellatur, debet esse proximus, appellationes enim gradatim interponendæ sunt; & si appelletur per saltum omisso judice intermedio, ad eum remittitur appellatio, qui appellari debuisset, quod jure civili cavetur (*b*). Semel enim recepti judicum, & jurisdictionis gradus custodiendi sunt, ne confusio in civitatem inducatur, & judicia incerta fiant. Nec aliter cavent Pontificum decretales, quum enim prior & conventus de Lacu Rubeo appellasset à sententia archidiaconi ad metropolitam omisso diœcesano Antistite, & officialis metropolitæ non obstante exceptione de appellatione gradatim proponenda, ad causam processisset, rescripsit Honorius III. ea de re consultus, sententiam post ejusmodi appellationem non valere (*c*). Ita in causis, quæ in foro ecclesiastico agitantur, ab Archidiacono vel Decano, ubi ordinariam habent jurisdictionem, appellari debet Episcopus, ab Episcopo seu ejus officiali metropolitanus, à metropolitano Patriarcha, à Patriarcha summus Pontifex.

Summus Pontifex appellatur omissis judicibus intermediis.

§. XXXVIII. Verum hac in re distat inter jus civile & decretales: jure enim civili adeo firmiter servatur regula de appellationibus gradatim interponendis, ut non liceat omissis judicibus intermediis recta ad Principem appellare (*d*): at jure decretalium ad Romanum Pontificem ejusve legatum omissis inferioribus judicibus appellationes permittuntur (*e*). Prærogativa ista summi Pontificis primum proposita est in falsis decretalibus sub nomine Sixti, Marcelli, Zephyrini ac Julii, quibus edicitur, licere omnibus in sui defensionem libere sedem Romanam appellare, quæ veluti communis mater omnes excipit, & ab oppressionibus tutos facit (*f*). Tota vero ista appellandi ratio ad Pontificem omisso medio ex Espenii (*g*) sententia originem habet ex doctrina illa, quæ habet, Romanum Pontificem esse ordinarium ordinariorum, sive auctoritatem etiam episcopalem & metropoliticam in omnes particulares Ecclesias habere. Quæ doctrina non obscure etiam in falsis decretalibus expressa est. Nimirum ubi certum haberi cœpit, Romanum Pon-

(*a*) L. 1. D. Quis & à quo appell., cap. 27. §. 2. ext. de Off. judic. delegati.
(*b*) L. 21. D de Appellationib.
(*c*) Cap. 66. ext. de Appellationib.
(*d*) Cit. l. 21. D. de Appellationib.
(*e*) Cap. ult. ext. de Foro comp., c. 7. & 54. ext. de Appell., c. 1. ext. de Off. legati.
(*f*) Can. IV & seqq. c 2. q. 2.
(*g*) Espen. part. 3. tit. 10. c. 2.

Pontificem eandem, qua inferiores Antistites aucti erant, habere jurisdictionem, veluti sponte sua receptum est, ad eum neglectis judicibus intermediis licere provocare. Quod vero in Gallia non admittitur doctrina, quæ Pontificem velut ordinarium ordinariorum repræsentat, idcirco nec appellationes ad Pontificem omisso medio admittuntur.

Quando superfluum est appellare.

§. XXXIX. Sunt vero nonnullæ causæ, in quibus appellare non est necesse, aliæ in quibus appellatio jure denegatur. Et quidem toties superfluum est appellare, quoties sententia est ipso jure nulla; quod enim nullum est, rescindi nequit, & omnis appellatio supponit sententiam valere, & aliquod gravamen inferre, licet sit iniqua. Interest quippe an sententia sit invalida, an injusta; nam illa jure non consistit, & nulla dicitur, ac ideo rescissione non indiget; hæc vero jure valet, & hinc per appellationem rescindenda venit. Ergo superfluum est appellare, si sententia ab incompetente judice lata sit (*a*); aut si à competente quidem, sed contra receptum judiciorum ordinem (*b*), aut contra priorem sententiam, quæ in rem judicatam abiit (*c*): in his enim speciebus sententia ipso jure nulla est. Superfluo quoque appellatur à sententia, quæ directo contra leges prolata expressum juris errorem continet, veluti si judex pronunciavit de jure constitutionis, non de jure litigatoris (*d*), & ita dixit, potuisse defunctum, etiam minorem quatuordecim annis, condere testamentum, illudque servandum esse. Etenim hæc sententia est ipso jure nulla, nec confundi debet cum ea, quæ est quidem contra leges, sed tantum jus litigatoris lædit; hæc enim jure valet, & per appellationem rescinditur. Itaque contra sententias nullas sufficit nullitates proponere, vel contra eas de nullitate excipere (*e*).

Causæ, in quibus non recipitur appellatio.

§. XL. Causæ vero, ubi appellationes non recipiuntur, illæ sunt, in quibus moratoria potius, quam ex causa iniquitatis appellatio interposita videtur. Ergo denegatur appellatio in notoriis, veluti si notorium sit, aliquem crimen admisisse, aut esse debitorem, ne appellatio, quæ inventa est ad innocentiæ præsidium, iniquitatem foveat (*f*): immo quo casu frivola est appellatio, multa per superiorem appellanti dici potest (*g*). Item si quis testibus &

(*a*) L. ult. C. Si à non competente judice.
(*b*) L. 4. C. de Sentent & interloc.
(*c*) L. 1. C. Quando provocare non est necesse.
(*d*) L. 1. §. 2. D. Quæ sententiæ sine appellat.
(*e*) Conf. Ant. Perez. in C. lib. 8. tit. 64.
(*f*) Cap. 5. §. ult. & cap. 13. ext. de Appellationib.
(*g*) Cap. 5. eod. in 6.

& argumentis convictus sponte crimen fateatur, non auditur appellans (*a*), quia non videtur temere contra se confessus. Nec porro eorum recipiuntur appellationes, qui per veram contumaciam damnati sunt (*b*): item eorum, qui sententiam quoquo modo probarunt (*c*), vel se non appellaturos jurarunt (*d*). Denegatur quoque appellatio ab iis, quæ juris sunt, veluti à legibus latis (*e*), & à sententiæ executione, nisi in ea modus excedatur (*f*), itemque in causis disciplinæ & emendationis morum (*g*), nisi nimius excessus adsit. Præterea nec appellant, qui tribus conformibus sententiis damnati sunt (*h*), & officiales, qui de delicto in officio à se commisso à proprio judice convicti damnantur (*i*).

CAPUT XXXIII.

De Appellationibus tanquam ab abusu, seu de regia protectione.

Definitio appellationis tanquam ab abusu.

§. I. Prætermittenda hic non est appellatio *tanquam ab abusu*, ut dicitur in Gallia, quæ præsentibus populorum moribus frequentissime usurpatur. Appellatio ab abusu Gallis est querela ad Regem, vel ad suprema regni auditoria delata contra judicem ecclesiasticum, qui sua potestate abutitur, & contra receptos Canones aliquid operatur, aut alias jura regni & sæcularem jurisdictionem, invadit. Sortitur quidem hæc querela nomen appellationis, at minus proprie; plurimum enim à communi appellatione distat, nec in decretalium libris occurrit, quin potius earundem regulis adversatur. Et profecto in propie sic dicta appellatione appellatur judex, qui superior est in eadem jurisdictione; at in appellatione tanquam ab abusu ab judice ecclesiastico judex sæcularis appellatur. Hinc ne ecclesiastica jurisdictio sæculari subjecta videretur, ubi ab judice ecclesiastico ad sæcularem recursus instituendus erat, abusus mentionem in Gallia fieri placuit, ut ita constaret, cognitionem non procedere de ipsis rebus spiritualibus, sed potius de abusu, qui in exercitio potestatis spiritualis admitteretur. Instituitur vero in Gallia appellatio ista contra omnes judices ecclesiasticos, etiam summum Pontificem, at non eadem formula proponitur: nam si agatur de Episcoporum judiciis per abusum latis, ab ip-

(*a*) L. 2. C. Quorum appellationes non recipiantur.
(*b*) L. 1. C. eod.
(*c*) Cap. 2. ext. de Off. deleg.
(*d*) Cap. 2. ext. de Appellationib.
(*e*) Cap. 29 ext. eod.
(*f*) L. 5. C. eod., cap 15. in fin. ext. de Sentent. & re judic.
(*g*) Cap. 3. & 32. ext. de Appellat.
(*h*) L. unic. C. Ne liceat in una eademque causa tertio provocare, c. 65. ext. de Appell.
(*i*) L. 3. C. Quorum appellat. non recipiantur.

ipsa sententia appellatur: si vero agatur de rescriptis Pontificis per obreptionem impetratis, potius ab executione rescripti, quam à concessione provocatur, ut ita reverentia Sedi Apostolicæ debita servetur.

Causæ in quibus ab abusu appelletur.

§. II. Appellatio tanquam ab abusu ex forma in regno Galliæ recepta tum locum habet, si ecclesiastici judices contra Canones & libertates Ecclesiæ Gallicanæ, aut regia edicta aliquid faciant, aut propriæ jurisdictionis fines egressi regia jura & civilem jurisdictionem invadant: quod his verbis à pragmaticis Galliæ efferri solet, *quum violantur decreta, constitutiones regiæ & libertates Ecclesiæ Gallicanæ.* Verum non omnium Canonum violationem appellatio ista ulciscitur, sed tantum eorum, qui recepti sunt, usuque vigent: prorsus enim abnormis esset, si etiam ad Canones desuetos extenderetur. Præcipue vero tuetur Canones, qui spectant Ecclesiæ gubernationem: nam in causis mere spiritualibus & Sacramentorum administratione ab abusu non appellatur (*a*). Ut vero in his casibus legitima sit appellatio, excessus debet esse gravis & notorius: & hinc appellatio ista primitus *ab abusu notorio* dicta est. Saltem hæc est communis sententia, nam alioquin hominum licentia etiam in speciebus dubiis & controversis ab abusu appellari consuevit. Qua licentia motus Carolus Feuretius monet, usum harum appellationum ad notorios abusus debere revocari, & simul obligandos appellantes, ut supplici libello exprimant notorios abusus, de quibus conqueruntur (*b*).

Appellatio ab abusu multa habet propria.

§. III. Porro appellatio tanquam ab abusu extraordinarium remedium censetur, quod non minus privatam, quam publicam causam spectat; & hinc multa habet singularia, nec communibus appellationum regulis instituitur & procedit. Et profecto in speciebus abusus locum non habent præscripta ad appellandum & prosequendam appellationem tempora, sed quandocunque licet appellare, & semel interposita appellatio per cessationem deserta non evadit; idque ea ratione receptum docent scriptores Galli, quod abusus semel factus semper gravat, nec ullo temporis spatio præscribitur. *Abusus*, inquit Rebuffus (*c*), *perpetuo & continuo gravat, ideoque ab eo in perpetuum appellatur.* Porro ex doctrina apud Gallos recepta, nec tres conformes sententiæ appellationem ab abusu excludunt, quod Choppinus testatur (*d*). Nec in causis de abusu inter partes transi-

(*a*) Conf. Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 4. cap. 21.
(*b*) Feuret. de Abusu lib. 1. cap. 2.
(*c*) Rebuff. de Unionib. in proœmio.
(*d*) Choppin. de Sacra politia lib. 2. tit. n. 5.

sigere licet, utpote quæ etiam publicam rem afficiunt (*a*). Qua ratione ubi appellatum est ab abusu, advocati & procuratores regii omnes causæ tanquam actores necessarii etiam subeunt: & si partes cessaverint, eorum est appellare, & appellationem persequi.

Et suspendit jurisdictionem judicis, à quo appellatur.

§. IV. Illud vero cum ordinariis appellationibus commune habet ab abusu appellatio, quod ea proposita & recepta judicis, à quo appellatum est, jurisdictio omnino suspenditur, donec de abusu pronuncietur. Et si interim ecclesiasticus judex ulterius procedat, acta omnia in irritum mittuntur. Quod vero obtentu appellationis ab abusu Clerici morum correctionem & criminum punitionem evitabant, saltem in longum protrahebant, hinc edicto Francisci I. in Gallia statutum est, ut in materia disciplinæ & emendationis morum, aut alia causa mere personali appellatio ab abusu devolveret quidem causam ad forum laicale, at interim ecclesiastici judicis jurisdictionem non suspenderet. Idipsum anno CIↃIↃLXXI. edicto Caroli IX. renovatum est, nulla tamen actionis personalis facta mentione.

Appellatio ab abusu ubique alio nomine recepta.

§. V. Hoc appellationis tanquam ab abusu remedio utuntur etiam reliquæ christiani nominis in Europa gentes, Hispani, Itali, Belgæ, Germani, Poloni, quamvis non ubique eodem nomine appelletur, nec eadem formula & modo ubique instituatur (*b*). Galli dicunt *appellationem ab abusu*, Belgæ *recursum ad Principem*, Hispani *regiam protectionem*. Viget quoque idem remedium in regno Apuliæ, sed appellatio non audit, & peculiari forma solet expediri. Sane si ecclesiastici judices etiam in negotiis ecclesiasticis non servato juris ordine judicent, aut alias contra receptos Canones manifeste procedant, patet etiam apud nos aditus ad regiam protectionem, quam & Clericis & laicis pro jure licet implorare. Et si ecclesiastici judices regia jura & civilem jurisdictionem invadant, aut alias impediant, manu regia invasio & excessus cohibetur. Quod si agatur de impediendis rescriptis Romanæ curiæ, quibus recepti Canones, regia jura & quæsitæ populis prærogativæ infringuntur, legibus nostris remedium præsentissimum proditum est, quo agitur ad denegationem regii assensus, qui per leges nostras ad eorum executionem omnino requiritur (*c*).

Re-

(*a*) Conf. Feuret. de Abusu lib. 1. c. 1. n. 25. 2.
(*b*) Conf. Feuret. de Abusu lib. 1. c. 3.; & Febron. de Statu Eccles. c. 9. §. 10.
(*c*) Pragm. 5. de Citationibus.

Remedia capitulorum regni *in regno Apuliæ.*

§. VI. Sed præter hæc remedia in regno Apuliæ contra judices ecclesiasticos recepta, quæ appellationi ab abusu respondent, prodita etiam sunt apud nos remedia *Capitulorum regni*, quibus regia potestas violentias à Clericis factas emendat. Etenim sunt capitula regni peculiares regis Roberti litteræ pro re nata ad magistratus missæ, ut in propositis speciebus injurias, rapinas & damna, sive laicis, sive Clericis per Clericos illata emendarent, vim cohiberent, & possessionem dejectis restituerent, sive de rebus spiritualibus, sive temporalibus ageretur (*a*). Litteræ istæ datæ sunt, cujuscunque conditionis essent Clerici, qui vim faciebant, sive haberent, sive non haberent jurisdictionem. Tempore Roberti Clerici ferme per omnia à magistratuum jurisdictione exempti erant, & inde audaciores facti omnia per vim turbabant, præsertim quod Episcopi eorum excessus non compescerent, vel compescere, non poterant (*b*). Hinc necessarium Roberto visum fuit, manu regia contra omnes Clericos occurrere, qui alienæ possessioni vim faciebant. Proditus semel mos inde apud nos continuavit, passimque Reges nostri implorati similes litteras dederunt contra Clericos, qui vim fecisse dicebantur, ut videre est apud Chioccarellum (*c*). Et quoniam capitula ista, seu litteræ quemque in possessione rei suæ conservabant, donec legitimo judicio aliud decretum fuisset, à nostris *conservatoria*, verbo magis quam sensu inconcinno, audierunt. Itaque apud nos, si simplices Clerici vim faciant, & alienas possessiones turbent, locus est remedio capitulorum regni, quod appellationi ab abusu non continetur: & si superiores ecclesiastici per vim procedant, duplex remedium proditum videtur, quorum unum generalis regia protectio, alterum regni capitula suppeditant.

Regum est Canones tueri contra violatores.

§. VII. Jam vero remedia ista, quocunque nomine censeantur, quibus regiæ potestatis auxilium imploratur, sive contra ecclesiasticos judices, qui sua potestate abutuntur, sive contra Clericos, qui vi aliena jura invadunt & turbant, justissima sunt, & regiæ potestati intrinseca; tantumque nomina & procedendi modus recentiora sunt, res vero ipsa, ex quo christiani Principes Christum induerunt, semper obtinuit. Et profecto regium officium est Canones & ecclesiasticam disciplinam tueri, pacem ecclesiasticam custodire & turbatam restituere, quod Leo M. agnoscit, dum ita Leonem Imperatorem adloquitur (*d*): *debes incunctanter advertere, re-*

(*a*) Cap. *Ad regale fastigium*, cap. *Charitatis affectus*, cap. *Finis præcepti*, cap. *Omnis prædatio.*
(*b*) Conf. Auct. Hist. civilis regni Neapol. lib. 22. cap. 4.
(*c*) Chioccarel. MSS. jurisd. tom. 13.
(*d*) Leo M. epit. CXXV. edit. Quesn.

regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem iis, quæ sunt turbata, restituas. Quin Justinianus profitetur, tantam diligentiam à Principibus adhibendam esse custodiæ Canonum, ut potiorem legum ecclesiasticarum, quam civilium rationem habere debeant (*a*). Atque hinc sponte sua sequitur, pro jure suo debere Principes cognoscere, si ecclesiastici judices contra Canones, & recepta jura aliquid attentant; nec enim alias ausus temerarios possunt comprimere, & quæ turbata sunt, restituere.

Regum est contra vim cives tueri.

§. VIII. Præterea eo etiam nomine de ecclesiasticis judicibus, qui contra Canones aliquid attentant, licet regiæ potestati cognoscere, quod Regis est vim emendare, quam nemini inferri civitatis interest. Nihil quippe magis inimicum civili societati quam vis, utpote quæ civili imperio directe adversatur; in civitate enim naturalis libertas intra modum legis coercita est, & judicia jure & legibus exerceri debent. *Remota justitia*, inquit perspecte Augustinus (*b*), *quid aliud sunt regna, nisi magna latrocinia*? Pertinet vero ad Regis officium vim amovere & emendare, quicunque sint, qui vim faciant, maxime si qui in potestate sunt, suæ potestatis modum excedant, & facto, non jure judicent. Etenim vis fieri intelligitur, non tantum si manus & arma adhibeantur, verum etiam si judices neglecto juris ordine procedant, aut alias manifeste leges infringant; nam quidquid contra legem fit, id violentum est. Nec quod ecclesiastici judices sint, qui vim inferunt, id facit, ne regia potestas violentiam emendare possit ac debeat; nam vis, à quocunque fiat, ipsius civitatis fundamenta convellit, & cives ad vitam immanem & ex legem assuescit. Quin adeo proprium est regiæ potestatis vim emendare, & oppressos tueri, ut Reges nequeant hoc jus abdicare, nisi una regiæ potestati renuntient, quod Salgado recte observat (*c*).

Exempla præclara imploratæ regiæ protectionis.

§. IX. His rationibus accedunt exempla præclarissima, quibus constat, in veteri disciplina viros sapientia & pietate spectatissimos contra vim judicum ecclesiasticorum regiam potestatem implorasse. Ita S. Athanasius in Synodo Tyria per vim & injuriam damnatus ad Constantinum M. summa libertate confugit, & de vi illata conquestus est, postulavitque, ut ipso Imperatore præsente de vi

(*a*) Novell. CXXXVII.
(*b*) August. de Civit. Dei lib. 4. cap. 4.
(*c*) Salgado Supplic. ad Sanctiss. part. 1. cap. 1. n. 109. & seq.

vi conqueri posset, idque Constantinus æquum judicavit. *Nil aliud postulavit* Athanasius, sunt verba Imperatoris (*a*), *quam ut vos huc evocari juberem, quo nobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset. Quod quum mihi æquum, & temporibus meis congruum videretur, scripto vobis denuntiatum volui, ut, quotquot Synodum Tyri absolvistis, sine omni tergiversatione ad prætorium nostræ clementiæ conveniatis re ipsa, quantum severitatis integritatisque sit in vestris sententiis, coram me ipso declaraturi.* Item Basilius Diaconus & Archimandrita, Thalassus lector & Monachus, aliique à Nestorio Episcopo Constantinopolitano contra Canones vexati Imperatorum Theodosii & Valentiniani auxilium implorarunt (*b*). Et, ut alia exempla mittam, in ipsa Synodo Chalcedonensi Eusebius Episcopus Doryleensis, Photius Tyriorum Episcopus, & universus Clerus metropolis Nicomediensis contra vim judicum ecclesiasticorum ad Valentinianum & Marcianum supplices confugerunt (*c*). Quæ & alia Clericorum ad Principes confugia, quæ in veteribus monumentis prostant, appellationi ab abusu, seu regiæ protectioni respondent, errantque profecto quotquot ex novitate nominis appellationis ab abusu etiam rem ipsam novitiam faciunt.

Episcopi adeunt Reges ad receptæ disciplinæ tuitionem.

§. X. Præterea indubiis monumentis demonstratur, Episcopos consuevisse Principes, quasi custodiæ Canonum ab ipso Christo præpositos interpellare, ut sua auctoritate novorum decretorum contra receptos Canones executionem impedirent. Illustria exempla suppeditant duæ Caroli Calvi ad Hadrianum II. & Joannem VIII. Pontifices epistolæ, quas Caroli ipsius nomine Hincmarus Remensis, rei canonicæ peritissimus, scripsit. Una agit de causa Hincmari Laudonensis Episcopi, qui trium Synodorum judicio depositus Romam appellaverat, quemque Romam mitti Hadrianus præceperat, ut judicium retractaretur, quod erat contra Canones tum in Gallia receptos. Auctoritate Pontificis veluti oppressi Gallicani Antistites Carolum adierunt, ut hanc novitatem impediret. Itaque Carolus ad Hadrianum II. scripsit, alienum esse à Canonibus, ut judicium istud Romæ retractaretur (*d*). Altera agit de Presbyteris damnatis & pœnitentiæ canonicæ addictis, qui Romam adeuntes à summo Pontifice suscipiebantur, & inde litteras reportabant, quæ judiciis Episcoporum refragabantur, eosque aut eorum Vicarios Romam evocabant, ut iis præsentibus de criminibus accusatorum Presbyterorum disceptaretur: quod etiam receptis Canonibus adversabatur. Hinc eundem Carolum Episcopi convenerunt, ut auc-

to-

(*a*) Ap. Athanas. apol. 2.
(*b*) Ap. Labb. tom. 3. Concilior. 425.
(*c*) Conc. Chalced ac I. IV. & XIII.
(*d*) Epist. Carol. Calvi ad Hadrian. II. inter epist. Hincm. Remen.

toritate sua rebus novis obsisteret: rogatus vero Rex ad Joannem VIII. litteras dedit, quibus gravi rationum pondere contendit, nihil contra receptos Canones innovandum (*a*).

Satisfit objectioni contra regiam protectionem.

§. XI. Non desunt, qui implorationem regiæ protectionis velut minus æquam traducunt, eoque præsidio opus non esse tradunt contra Clericos & superiores Ecclesiasticos, quando præsto est ordinarium appellationis judicium, quo apud superiores judices ecclesiasticos querelam de iniquitate Episcopi & aliorum judicum ecclesiasticorum proponere licet. Sed esto, contra judices ecclesiasticos, qui contra Canones judicant, proditum esse ordinarium appellationis remedium; id tamen non facit, ne oppressi possint regiam protectionem implorare, quo casti judices ecclesiastici contra Canones faciunt, & receptam disciplinam invertunt. Etenim per appellationem res deducitur ad ordinarium judicium, morosum quidem & satis longum, utpote quod per juris ambages exercetur, & tribus demum conformibus sententiis finitur; quum tamen judicia de infractis Canonibus promptum, & expeditum judicium requirant, quod tantum ab ipsis summis magistratibus, qui extraordinaria cognitione procedunt expectandum est. Porro rejecta regia protectione vix incorrupta stabit recepta Ecclesiarum disciplina, si abusio ex rescriptis Romanæ curiæ proveniat; morosæ enim & sine effectu sunt appellationes, quæ ad futurum Concilium, aut ad Pontificem melius instructum interponi consueverant.

Magistratus majores judicant in causis regiæ protectionis.

§. XII. Causæ, in quibus regia protectio imploratur, ex majoribus sunt, & propterea majores judices requirunt, qui vel pro jure suo, vel ex Principis delegatione cognoscant. Et in Gallia quidem in causis appellationis ab abusu, vel Rex ipse adiri solet, vel suprema regni auditoria, quæ pro sua jurisdictione procedunt. Similiter in Hispania, Belgio, Germania suprema Regum consilia in causis imploratæ regiæ protectionis judices sedent. Et apud nos querelæ contra diœcesanos Antistites & regularium superiores, qui non servato juris ordine procedunt, aut alias vim inferunt, Regi offeruntur, qui eas ad cameram regalem, vel Delegatum jurisdictionis mittere solet pro relatione, qua accepta ipse maturiore consilio statuit quid juris erit aptius ad majorem Dei cultum & populorum tranquillitatem. Cognitio vero an bullæ & rescripta pontificia executioni mandari debeant, olim ad Collaterale Consilium, nunc pertinet ad cameram regalem, quæ prævia Capellani majoris relatione illa exequi, aut retineri jubet. Et causæ, in quibus ab ju-

(*a*) Epist. Caroli Calvi ad Joan. VIII. inter epist. Hincm., Conf. Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 4. cap. 6.

judicibus ecclesiasticis regia jurisdictio invasa, aut læsa dicitur, veluti jure proprio per peculiarem magistratum, qui *Delegatus jurisdictionis* dicitur, cognoscuntur. Qui quidem magistratus Philippo II. Rege primum institutus est; tum enim uni de Collaterali Consilio negotia regalis jurisdictionis committi cœperunt: demum per Carolum VI. proprius magistratus nomine *Delegati jurisdictionis* creatus est (*a*).

Qui judicant ex forma capitulorum regni.

§. XIII. Quod vero spectat ad judicia ex forma capitulorum regni, ea non exercentur jure magistratus, sed sunt extraordinaria, & ex Regis seu ejus, qui vice regia fungitur, delegatione procedunt. Nimirum capitula Regis Roberti non sunt leges perpetuo valituræ, sed potius peculiares delegationes pro re nata factæ, ut magistratus in propositis speciebus violentias à Clericis factas emendarent: & licet semel usurpatæ delegationes semper continuarint; tamen lex generalis nunquam lata est, qua capitula illa in ordinariam magistratus alicujus jurisdictionem abirent. Itaque non proceditur ex forma capitulorum regni, nisi Rex ipse, aut qui vice ejus est, imploratus judicium concedat. Imperantibus apud nos Aragonensibus Sacrum Consilium absque delegatione ex forma capitulorum regni judicia instituebat, aut magnæ Curiæ Vicariæ committebat; at id factum est, quod ea ætate Sacrum Consilium per omnia Regem ipsum referebat. Sed inde sub Austriacis delegationes istæ Collateralis Consilii propriæ factæ sunt (*b*). Nunc vero Regalis Camera regia vice hac in re fungitur, eique integrum est judicia ex forma capitulorum regni concedere. Delegare vero consueverunt ejusmodi judicia Reges nostri justitiariis seu præsidibus provinciarum, magnæ Curiæ Vicario, Capellano majori, Sacro Consilio: nunc vero ferme soli Sacro Consilio, sive ab ipso Rege, sive à Camera Regali committi solent.

Omnibus licet regiam protectionem implorare.

§. XIV. Licet vero omnibus tam laicis quam Clericis contra judices ecclesiasticos regiam protectionem implorare, quo casu isti contra Canones, & non servato juris ordine procedunt. Certe Reges omnibus civibus suam debent protectionem, & Clerici per Domini sortem cives esse non desinunt (*c*). Quin regia protectio præcipue debetur Clericis, qui modestiam, perfectionem & sui abnegationem profitentur, atque ideo majore protectione indigent (*d*). Nec quod Clerici fori privilegio aucti à fori civilis jurisdictione exi-

(*a*) Conf. Troylus Hist. Neapol. tom. 4. part. 3. cap. 5. n. 10.
(*b*) Conf. Auctor. Hist. civil. regni Neapol. lib. 22. c. 4.
(*c*) Conf. Espen. de Recursu ad Principem cap. 1.
(*d*) Conf. Salgado de Protect. regia prælud. 2. n. 72.

eximantur, id facit, ne jure possint regiam protectionem implorare: etenim fori privilegium tantum eximit ab ordinaria magistratuum jurisdictione, non item à suprema Principis potestate, qua regia protectio continetur, & qua suprema Regum auditoria agere intelliguntur, dum in causis abusus procedunt etiam sine speciali Regis delegatione. Etenim non potuerunt Principes, nec adhuc possunt Clericos in suis regnis constitutos ea libertate donare, ut ne ipsi quidem summæ potestati subsint: summa nimirum potestas omnes cives complecti debet, alias Principes non essent totius civitatis Principes, aut exempti non cives. Ipsi quoque Principes, qui Clericos à civili jurisdictione exemerunt, concessas exemptiones possunt restringere, mutare, & ejus usum certis finibus includere, prout civitatis interesse videtur.

Quibus casibus concedenda regia protectio.

§. XV. Quemadmodum vero ex doctrina in regno Galliæ recepta tantum appellatur ab abusu, si notorius sit judicum ecclesiasticorum excessus; ita in aliis regnis & provinciis regia protectio non omnium querelas debet excipere, sed tantum si ecclesiastici judices aperte sua potestate in rebus gravibus abutantur. Nimirum ubi judicum ordinariorum potestas facile eluditur, homines nequam veluti legum patrocinio fiunt nequiores in civitatis perniciem & eversionem. Et S. Bernardus apud Eugenium III. recte expostulabat, ex frequentibus appellationibus, quibus tum Romana sedes indiscriminatim omnes excipiebat & fovebat, Clericos in suos Prælatos evadere contumaces, laxari nervum ecclesiasticæ disciplinæ, nec deinceps audere pios & bonos Episcopos suis Ecclesiis per sententias canonicas providere, aut suorum Clericorum excessus compescere. *Prorumpunt ad appellandum*, inquit vir sanctus (*a*), *non tam gravati, quam gravare volentes.* Hæc eadem rerum facies esset, si Reges omnibus faciles præberent aures, nam quisque specie regiæ protectionis Episcopi sui emendationem evaderet, saltem in longum differret. Hinc summa circumspectione impertiri debet regia protectio, si nempe manifestæ & graves sint judicum ecclesiasticorum abusiones: quæ doctrina in Hispania, Sabaudia, Belgio ab omnibus inculcatur; & inde in supplici libello exprimi debet species oppressionis, qua constare possit, num justum sit, regia manu violentiis occurrere (*b*). Inde etiam in Belgio non recipiuntur appellationes ab abusu ab ecclesiasticis & religiosis personis interpositæ, si de morum emendatione & criminum punitione agatur, idque ne obtentu regiæ protectionis morum emendatio & criminum pœnæ evitentur (*c*). Quæ eadem jurisprudentia obtinet in His-

(*a*) S. Bernard. lib. 3. de Consider. ad Eugenium Papam.
(*b*) Conf. Feuret. de Abusu lib. 1. cap. 2. n. 5.
(*c*) Conf. Espen. part. 3. tit. 10. cap. 4. n. 43. & seq.

Hispania, ubi regia protectione non juvantur religiosi, qui in claustro per suos superiores corriguntur & puniuntur (*a*).

Quibus in causis judicium ex regni capitulis instituitur.

§. XVI. Similiter in regno Apuliæ non ex quavis violentia à Clericis illata locum habet judicium ex forma capitulorum regni, sed tum demum illud recte instituitur, si duo concurrant, possessio nempe seu quasi possessio ejus, qui auxilium implorat, & violentia per Clericum illata. Et possessio quidem justa esse debet, hoc est, quæ justo titulo nitatur, quod ex ipsius Roberti Regis litteris constat, *quum juste castrum Castuli possideret* (*b*), & in alia specie, *quum possideret auctoritate litterarum Apostolicarum* (*c*). Auctoritas nimirum Sedis Apostolicæ justam facit possessionem; nam juste possidet, qui auctore prætore possidet (*d*). Deinde necessaria censetur violentia notoria & recens, quæ vel cum armis vel sine armis facta possessorem à possessione, vel quasi dejiciat, vel in ejus usu turbet. Ex his principiis docent doctores nostri locum non esse regni capitulis, si dubia sit possessio, vel pateat injustitia seu intrusio illegitimi possessoris, vel si quis sine vi possessionem occupet; judiciumque tum jure ordinario in foro ecclesiastico exercendum (*e*). Quod si vis facta non sit, sed fieri timetur, non convenit inter nostros, num regni capitula locum habeant. Sed non minus regium est vim illatam emendare, quam futuram repellere; quin ipse Rex Robertus professus est, se etiam ob minas regium præsidium indulgere (*f*).

Cognitio in causis regiæ protectionis est de plano.

§. XVII. Cognitio autem in causis appellationis ab abusu, seu regiæ protectionis non per ordinarias & solemnes judiciorum ambages instituitur, sed potius de plano & extra ordinem procedit, adeo ut nec acta, quæ judicio summario insunt, in hoc judicio requirantur. Itaque ubi recepta est querela de judice ecclesiastico, qui per abusum judicasse dicitur, Regii magistratus illi mandant, ut acta judicialia, unde abusio innotescit, ad se transmittat, quibus inspectis sententia profertur. Ecclesiastici vero judices tenentur petita acta magistratibus exhibere, alias abusus, & illata vis innotescere vix posset, & regia protectio ad nihilum redigeretur (*g*). Ipse Constantinus M. Episcopos Synodi Tyriæ, qui per vim in causa Athanasii judicaverant, ad se vocavit, ut præsens ip-

(*a*) Salgado de Supplic. ad Sanctiss. part. 2. cap. 11. n. 104.
(*b*) Cap. *Charitatis affectus.*
(*c*) Cap. *Finis præcepti.*
(*d*) L. 11. D. de Adquirenda possess.
(*e*) Conf. Regens de Ponte ms. tract. de Regni capitulis, & Anna allegat. 92.
(*f*) Cit. cap. *Charitatis affectus.*
(*g*) Conf. Espen. de Recursu ad Principem cap. 3. §. 8.

ipse modum procedendi cognosceret (*a*); quod æquivalet usui recepto, quo ecclesiastici judices jussi acta judicialia magistratibus exhibent. Quod si agatur de executione rescriptorum Romanæ Curiæ, judicium ex ipsa rescriptorum lectione pendet, nec opus est alia judicii instructione. Nimirum sic instituto judicio abusus evidens & notorius magistratibus evadit, & in notoriis alia probatio non requiritur (*b*). Quin in Gallia ut dignitati ecclesiasticæ consulatur, severe cautum est, ne Episcopi eorumque Vicarii se judicio sistere cogantur, quum lis de judicati abusu instituitur, etsi in ordinariis appellationibus etiam judex, qui sententiam dixit, audiri soleat (*c*).

Forma judicii in causis capitulorum regni.

§. XIII. Judicium vero ex forma capitulorum regni, quo violentiæ ab omnibus Clericis illatæ in nostro regno emendantur, pleniore cognitione instruitur, quæ ab ipso Rege Roberto, & inde à Regina Joanna I. proposita est (*d*). Nimirum ubi Rex, seu qui vice sacra fungitur, judicium delegavit, in loco controversiæ, vel alias in loco publico, ubi illa exorta est, proponitur generale edictum, quo nuntiantur omnes, qui sua interesse putaverint, ut certo peremptorio termino (veluti novem dierum spatio) compareant dicturi, cur non sit regale præsidium vim passis exhibendum, & simul visuri productos testes sacramenta præstare. Ita per edictum citantur Clerici, qui vim fecerunt, ut veluti sponte sua & tanquam actores in judicium veniant. Si elapso termino nemo comparuerit, citantur testes, & summaria cognitio instituitur, qua exposita facta probari debent. Justa possessione & violentia probatis, decernitur, præstandum esse regale præsidium, donec justa possessionis causa duraverit: quo edito decreto Regi vel Regali Cameræ fit relatio, ut decretum manu regia contra Clericum executioni mandetur. Interim adversus decretum de impertiendo regali præsidio usu fori reclamatio & nullitates admittuntur. Quod si in termino ad comparendum dato Clericus compareat, asseratque se juste possidere, nec vim fecisse, ordinario jure judicium instituitur.

Cur ex regni capitulis Clerici citantur per edictum?

§. XIX. Hic opportune quæret aliquis, cur placuerit Regibus nostris potius specialibus delegationibus & citatione per edictum, quam ex generali legum statuto & directa citatione judicia contra Cle-

(*a*) Ap. Athanas. apol. 2.
(*b*) Cap. 23. ext. de Electione, cap. 3. ext. de Testib. cogendis.
(*c*) Conf. Fevret. de Abusu lib. 1. c. 2. n. 21.
(*d*) Cap. *Ad regale fastigium*, cap. *Omnis prædatio*, Pragm. ann. CIↃCCCLXXII. sub tit. de Conservatoriis.

Clericos vim facientes institui? Causa ex moribus & placitis mediorum sæculorum, imo etiam ex genio Regum Andegavensium repetenda est. Nimirum mediis sæculis Clerici ab jurisdictione civili ferme per omnia exempti erant, idque jure divino institutum plerisque credebatur, & inde nefariæ censebantur leges, quæ in ipsos Clericos jurisdictionem magistratibus tribuerent. Erat quoque Rex Robertus de more suæ gentis Pontificibus Romanis addictus, nec ei opportunum videbatur cum illis de ecclesiastica jurisdictione disceptare. Ita tempori cessit Rex prudentissimus, satiusque ei visum extraordinariis modis violentias à Clericis illatas repellere, quam de violata libertate ecclesiastica notari, si ea de re directam cognitionem magistratibus demandaret. Cæterum quod ait Robertus, auctoritatem suam contra Clericorum personas *communiter* non extendi (*a*), id non ita accipiendum est, quasi ille in ea opinione fuerit, Clericos nec ipsi regiæ potestati subjectos esse: sed potius Clericos non subjici civili jurisdictioni ex communibus & vulgatis legibus, secundum quas foro Episcopi addicti erant, quo verbum *communiter* spectare videtur. Et certe ipse Robertus contestatus est, sibi competere in omnes regni personas merum imperium & omnimodam coercitionem nullo prorsus excluso, *cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis existat.*

Magistratus in causis regiæ protectionis cognoscunt de facto.

§. XX. Dum in causis appellationis ab abusu, seu regiæ protectionis de non servatis Canonibus, seu de rebus ecclesiasticis judicant suprema Principum auditoria, non de ipsis rebus ecclesiasticis directe inquisitione instituunt, nec quæ juris sunt, perscrutantur; (cognitio enim de rebus sacris Ecclesiæ tantum competit) sed potius judicant de facto, puta si ecclesiasticus judex vim fecerit, an decretum receptis Canonibus & patriis legibus adversum sit, nec ne, quod Covarruvias (*b*), Espenius aliique observant. Et certe S. Athanasius id à Constantino M. postulavit, ut de facto & de vi in Synodo Tyria sibi illata cognosceret, & ipse Imperator professus est, non de jure, sed de facto se cogniturum. *Magna libertate*, inquit Constantinus (*c*), *nihil aliud postulavit* Athanasius, *quam ut vos hic evocari juberem quo vobis præsentibus, quæ per vim passus est, conqueri posset.* Quapropter de abusu in causis ecclesiasticis cognoscentes supremi magistratus, non jura Sacerdotum usurpant, nec de rebus sacris judicant: nam quæ facti sunt, temporalia esse non ambigitur: & de rebus temporalibus quis unquam negaverit, laicos recte judices sedere? Instituto autem judicio si magistratus

(*a*) Cap. *Ad regale fastigium.*
(*b*) Covarruv. Practicar. quæst. c. 35., Espen. tract. de Recursu ad Principem c. 3. §. 7.
(*c*) Ap. Athanas. apol. 2.

tus cognoscant, ordinem judiciorum esse servatum, & Canones haud violatos, causam ad ecclesiasticum judicem discutiendam transmittunt.

Effectus regiæ protectionis manutenentia.

§. XXI. Instituta cognitione in causis appellationis ab abusu, sive regiæ protectionis, si appareat, judices ecclesiasticos vim fecisse alienæ possessioni, Regii magistratus justos possessores tuentur, eosque in possessione conservant, idque donec per judicem competentem servato juris ordine quæstio juris expendatur, & illi suæ possessionis jure excidisse declarentur. Hoc judicium formulis juris consultorum interdictum *uti possidetis* dicitur: at in foro nova voce *manutenentia* appellari consuevit, quasi per eam Principes vel eorum auditoria justos possessores in quieta possessione tenent, servant & quasi *manutenendo* sua auctoritate tuentur. Plenius vero accipitur manutenentia, ut etiam interdictum *unde vi* complectatur. Etenim ubi quis per judices ecclesiasticos omnino dejectus est rei suæ possessione, in eandem auctoritate magistratus restituitur, & in quieta & pacifica possessione potenter conservatur. Ad rem Damauhederus, ait judicium possessorium introductum fuisse *in favorem justitiæ & juris, præcipue eorum, qui aliquando vel ex quorundam malitia, vel ex iniquis delationibus, aut suspicionibus ex suis officiis, beneficiis, & possessionibus cum magna sæpe injuria & dedecore exturbantur* (*a*).

Quæ tuetur possessores etiam in spiritualibus.

§. XXII. Interdictum vero uti possidetis, seu manutenentia in causis regiæ protectionis tuetur possessores tam in temporalibus, quam in spiritualibus. Et ita si Clericus interdicto uti possidetis in quasi possessione beneficii conservetur, & ipsa bona beneficii possidere pergit, & functiones spirituales beneficio adnexas pro jure suo exercet. Et si Parochus per violentas censuras ab judice ecclesiastico functionibus pastoralibus interdicatur, per regiam protectionem & manutenentiam easdem pergit exercere, non secus ac eas ante interdictum obibat. Id enim importat manutenentia, ut possessor constituatur in quieta possessione omnium jurium, quæ ei ante violentiam competere poterant. Nec interim dici potest, regios magistratus jura Sacerdotum usurpare; nam Regii judices manutenentiam concedentes tantum judicant de facto & de invasa possessione, nihil vero attingunt de rebus spiritualibus, puta non cognoscunt de jure ipso, sed potius pacificam possessionem conservant ei, qui legitimus possessor erat constitutus; possessio autem res facti, non juris est, quod late Espenius exequitur (*b*).

De

(*a*) Damhedauer. Prax. rer. civil. c. 38. n. 2.
(*b*) Espen. de Recursu ad Principem cap. 4. §. 5.

De remediis cassationis *in causis de abusu.*

§. XXIII. Porro supremis magistratibus, qui de judicibus ecclesiasticis jurisdictione sua abutentibus cognoscunt, jus est irrita declarare acta judicialia, & sententias, quibus Ecclesiæ Canones, & leges & consuetudines patriæ aperte læduntur & labefactantur: quod jus in Gallia appellationi tanquam ab abusu continetur, in Belgio *remedii cassationis* nomine venit (*a*). Principis nempe est Ecclesiæ Canones, jura imperii & patriæ leges conservare & tueri adversus quoscunque, qui sua potestate abutuntur in Ecclesiæ & civitatis perniciem. Certe Leo M. acta prædatoriæ Ephesinæ Synodi, quibus Flavianus Episcopus Constantinopolitanus aliique Episcopi violento judicio depositi sunt à Theodosio Imperatore rescindi postulavit; *ecce ego christianissime & venerabilis Imperator, cum Consacerdotibus meis... obsecramus... ut omnia in eo statu esse jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur* (*b*). Et Paschasinus aliique Sedis Apostolicæ Vicarii de eadem Synodo Marcianum Imperatorem deprecantur, *quatenus pia lege sanciat, neque Synodum illum, quæ post primam in Epheso facta est, nominari, neque quidquam, quod in ea actum est, tenere.* Interdum vero non ipsi magistratus irrita pronunciant acta judicialia in foro ecclesiastico etiam de rebus spiritualibus procusa, sed ipsis judicibus ecclesiasticis irrita & nulla declarari mandant. Necessarium erat Principes tanta potestate armari, ne alias bonorum christianorum conscientiæ, & pax publica turbarentur.

Concilium Tridentinum an obstet remediis cassationis?

§. XXIV. Verum enimvero huic magistratum potestati, qua mandant judicibus ecclesiasticis, ut nullas declarent sententias & ipsas censuras, quæ contra Canones tulerint, obstant Tridentini Patres, qui nefas esse edicunt, *sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet sub prætextu, quod contenta in præsente decreto non sint observata: quum non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat* (*c*). Sed hac generalitate verborum non videtur ablatum speciale remedium, quo occurratur judicibus ecclesiasticis, qui per violentiam censuras irrogent. Certe Didacus Covarruvias, magni nominis Episcopus, Concilio intererat hoc ipso tempore, quo hoc decretum editum est, quin unus fuit eorum, quibus datum est decreta reformationis conficere & ordinare, & tamen constanter asserit, posse vi & censuris oppressos adire regios auditores & consi-

(*a*) Conf. Espen de Recursu ad Principem cap. 5.
(*b*) Leo M. ep 40. ad Theodos edit. Quesn.
(*c*) Trid. sess. XXV. de Ref. cap 3.

siliarios, ut vim auferant, & compellant judices ecclesiasticos ab ea inferenda cessare (*a*). Quod argumento est, Synodum nihil statuisse de regia protectione, quæ vi oppressis opitulatur; nam saltem Covarruvias admonuisset lectores de contraria Synodi sententia. Interim ne hujus decreti occasione regia potestas contra Synodi mentem læderetur, decretum illud, nec alibi, nec apud nos receptum est, ut nihil dicam de Regis Philippi II. sententia, qua Concilium Tridentinum in regno Apuliæ publicari voluit, salva in omnibus Principis auctoritate & potestate.

Pœnæ contra judices ecclesiasticos in causis de abusu.

§. XXV. Quod si judices ecclesiastici contra decreta supremorum magistratuum, quibus vel turbatos in possessione tuentur, vel actus judiciales tanquam nullos declarant, vel sententias latas ab ipsis ecclesiasticis irritas pronunciari jubent, ulterius resistant, & contumaces sint, pœnarum remedio Principes utuntur, & ad obedientiam ecclesiasticos cogunt. *Si hujusmodi pœnarum comminatio*, inquit Salgado (*b*), *Principi permissa non fuisset, inutilis foret regii recursus invocatio, quia raro, aut nunquam desisteret judex à semel illata violentia.* Nec enim alia ratione sæculi Principes intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, quam ut pœnarum irrogatione disciplinam ecclesiasticam muniant, quod Synodus Parisiensis an. IↃCCCXXIX. observavit (*c*). Et veteres quidem christiani Imperatores etiam contra Clericos legum, aut Canonum temeratores multas & ipsum ultimum supplicium irrogarunt (*d*). Verum recentiori populorum usu pœnæ istæ sunt multæ dictio, bonorum temporalium sequestratio, aut publicatio, exilium, & civici juris ademtio (*e*). Et in regno nostro etiam ad frangendam judicum ecclesiasticorum contumaciam aliquando eorum consanguinei carceri mancipati.

Regia protectio hodie præcipue necessaria.

§. XXVI. Jam vero regiæ tuitionis imploratio contra superiores ecclesiasticos jurisdictione sua abutentes, magis hodie, quam olim videtur necessaria. Et olim quidem ab ipsa Ecclesia facile poterat emendari vis omnis, quæ ab Episcopis inferebatur: bis enim in anno cogebatur Synodus provincialis, in qua ex regulis Nicænis expendebantur ab Episcopis latæ censuræ, an indignatione, vel contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio irrogatæ essent (*f*). Item judicia ecclesiastica non à solis Episcopis, sed potius in senatu seu presbyterio, aut in Synodis tractabantur (*a*), & idcirco non tam facile erat vim adhibere, & Canones violare. Sed deinceps mutata est disciplina, Synodi provinciales raro admodum celebrabantur, & judices ecclesiastici non in senatu, sed soli cœperunt judicare. Ita crebrior in judiciis ecclesiasticis vis evasit, nec facilis emendatu. Nam si per appellationem ad judicem superiorem causa deferatur, per juris ambages cognitio instituitur, & in longum profertur: scitumque etiam est, judices appellationis non jure, sed indulgentia contra Episcopos aliosque sibi subjectos prælatos sæpe uti. Quo factum, ut in nova disciplina magis regia protectio evaserit necessaria (*b*).

(*a*) Covarruv. Pract. quæst. cap 35. n. 3.
(*b*) Salgado tract. de Protect. reg. epil. proœm.
(*c*) Can. XX. c. 25. q. 5.
(*d*) L. 2. C. de Episc. aud., l. 2. C. Ne sanctum Baptisma iteretur.
(*e*) Espen. tract de Recurs. ad Princip. cap. 6.
(*f*) Conc. Nicæn. Can. V.

CAPUT XXXIV.

De in integrum restitutione.

Definitio restitutionis in integrum.

§. I. Qui appellationis remedio destituti sunt, auxilio restitutionis in integrum contra judicis sententiam juvantur, non tamen omnes, nec semper, sed qui id beneficium intra legitimum tempus petere possunt. Generatim restituere est aliquid in pristinum statum reponere: & hinc restitutio in integrum describi potest, redintegratio amissæ causæ, quæ beneficio magistratus læsis ob justam causam conceditur. Brevius definitur à Paulo *est redintegrandæ rei, vel causæ actio* (*c*): quo loco res dicitur, quæ promissa & tradita est; causa vero, quæ est tantum promissa, non etiam tradita (*d*). Præterea lato sensu restitutio in integrum dicitur actio, quatenus postulari debet, nam alias idem Paulus recte observat, restitutionem in integrum actionem non esse (*e*). Nimirum restitutio in integrum tota constat prætoris cognitione, cujus decreto amissa causa redintegratur. Et fortasse actio dicitur à Paulo pro actu, ut potius sit ipsius prætoris restituentis actus, quam actio, quæ jure ordinario conceditur.

Restitutio in integrum est remedium extraordinarium.

§. II. Restitutio in integrum, qua amissa causa redintegratur, locum tum habet, si negotia sint ipso jure valida, & aliud desit ordinarium remedium, quo læsi succurrantur. Nimium subtilitate juris civilis sæpe actus validi sunt, & tamen, quod in eorum explicatu

(*a*) Can. I. c. 15. q. 7.
(*b*) Conf Espen. de Recursu ad Principem c. 7. §. 5.
(*c*) Paul. lib. 1. Sentent. tit. 7.
(*d*) Conf. Gerard Noodt. comm. ad Digesta tit. de In integrum restitutionib.
(*e*) L. 24. §. ult. D. de Minorib.

plicatione homines læsi dicantur, justum visum fuit, deficiente alio juris remedio, læsis succurrere, & negotia in eum statum reducere, quo erant antequam fierent. Sic negotia stricti juris metu contracta jure civili valebant (*a*); at quoniam iniquum visum est, aliquem obligari, ubi consensus non ex libera voluntate processit, in re difficili & utili inventa est restitutio in integrum, qua metu læsus in pristinum statum reponitur. Invenit vero ejusmodi remedium prætor, cujus erat novis inventis & vocabulis juris civilis asperitatem & rigorem emollire. Et quamvis in veteribus monumentis restitutio in integrum aliquando legi tribuatur (*b*); tamen lex ista ipsum jus honorarium seu prætorium est, quod generali legis nomine quandoque venit. Succurrit vero prætor per in integrum restitutionem, ubi aliud desit remedium. Nam si actus ipso jure non subsistit (*c*), aut alias præsto est civile remedium ordinarium (*d*), in integrum restitutio dari non solet. Atque hinc patet, cur restitutio in integrum remedium extraordinarium dicatur, quatenus nempe in subsidium & aliis actionibus deficientibus conceditur.

Causæ restitutionis in integrum.

§. III. Datur in integrum restitutio ex justa causa, nec enim sine gravi causa negotia alias jure valida rescindere licebat. Causa vero talis sufficere visa est, cui æquitas assistebat, quamvis nullum lædentis delictum occurreret. Et tales causæ justæ & æquæ sex istæ videbantur, metus, dolus, ætas imperfecta, status mutatio, absentia, quæ reipublicæ causa aliave justa ratione contingebat, & alienatio judicii mutandi causa, quæ omnia brevi verborum compendio in edicto expressa erant. Paulus quidem jurisconsultus, omissa alienatione judicii mutandi causa, audit *justum errorem* (*e*); eoque vulgo referunt generalem illam edicti clausulam, *item si quæ alia mihi justa causæ esse videtur* (*f*). Sed Paulus dubio procul respexit restitutionem ejus, qui cum pupillo, falso tutore auctore, contraxit ex justo errore; de qua restitutionis specie prætorem etiam in edicto egisse ex legum inscriptionibus constat (*g*). Ex causis metus, doli, mutationis status, absentiæ & alienationis judicii mutandi causa omnes & minores & majores læsi in integrum restituuntur, at propter ætatem tantum ætate minores, de quibus aliquid in specie monendum est.

Mi-

(*a*) L. 9. C. de Contrah. & commit. stipul.
(*b*) Seneca lib. 4. controv. 26
(*c*) L. 16. pr. D. de Minor., l. 2. C. de Filiofam. minore.
(*d*) Cit. l. 16
(*e*) Paul. Sentent. recept. lib. 1. tit. 6 §. 2.
(*f*) L. 1. § 1. D. Quibus ex causis majores.
(*g*) L. 1. & seqq D. Quod falso tutore.

Minores lubrico ætatis læsi restituuntur.

§. IV. Minor ætas, quæ jure Romano exactis vigintiquinque primis annis absolvitur, fragilis, infirma & multis subjecta captionibus visa est (*a*). Hinc æquitate prætoris minores in negotiis læsi, sive fraude alterius, sive lubrico ætatis in integrum restituuntur (*b*). Et læsio quidem intelligitur non tantum, si quod habebant, amiserint, verum etiam si lucrum quod facere poterant, omiserint, aut oneri non necessario se obligaverint (*c*). Parum vero interest, num læsio magna vel parva sit, semper enim restitutio datur, modo per restitutionem minoris rei vel summæ majori rei non præjudicetur (*d*): nam, ut observat Paulus jurisconsultus, non oportet majori cognitioni per minorem causam fieri præjudicium (*e*). Ita vero læsi minores restituuntur, si fraude alterius aut fragilitate & imprudentia sua damnum senserint, non indistincte in omnibus negotiis: si enim generali beneficio donati essent, nemo profecto cum eis contraheret, quod tantundem erat ac si quodammodo eis commercio interdiceretur. Hinc si minor sobrie rem suam administrans, fato lædatur, non restituitur (*f*), cur enim restituetur ob ætatem, qui fecit, quod faceret, si esset major? non igitur eventus indulget damni restitutionem, sed facilitas inconsulta. Ubicumque vero læsio lubrico ætatis contingat, minores omnes, etiam puberes, patresfamilias, aut alias doctrina & muneribus distincti, restituuntur, & quidem contra omnes, qui cum eis aliquid gesserint, etiam fiscum (*g*). Quin restituuntur etiam si curatorem habeant, & ejus auctoritate gesserint (*h*), etiam judicis decreto accedente (*i*).

Quibus in causis minores restitutionem habent.

§. V. In integrum vero restituuntur minores in negotiis omnibus, quæ vel extra judicium, vel in judicio geruntur, & inde damnum senserint. Nimirum prætor edixit, se restituturum, *quod cum minore quam vigintiquinque annis natu gestum esse dicetur* (*k*). Gestum vero lato sensu acceptum est à jurisconsultis: sive contractum sit cum minore, sive ille aliquid extra judicium, vel in judicio gesserit, sive contra illum judicatum (*l*). Quin in quacumque parte judicii læsio contingat, conceditur restitutio, veluti si probandi ter-

mi-

(*a*) L. 1. D. de Minorib.
(*b*) L. 44. D. eod.
(*c*) Cit. l. 44.
(*d*) L. 4. D. de In integr. restitutionib.
(*e*) L. 54. D. de Judiciis.
(*f*) L. 11. §. 4. & 5. D. de Minorib.
(*g*) L. 1. C. Si adversus fiscum.
(*h*) L. ult. C. Si adversus rem judic.
(*i*) L. 11. C. de Prædiis & aliis rebus minor.
(*k*) L. 1. §. 1. D. de Minor.
(*l*) L. 7. §. 4. D. eod.

minus lapsus sit, si instrumenta non edita, si sententia in rem judicatam transiit, aut aliud contra eam civile remedium non suppetat. Et quamvis non facile patiatur salus publica, sententias, quæ in rem judicatam transierint, iterum tractari; tamen negotia quædam excipere placuit, juris quidem subtilitate valida, sed quibus æquitas naturalis plane non assistit. Conceditur vero in integrum restitutio tam si sententia dicta sit ab judice inferiore, quam à superiore, etiam ab ipso Principe (*a*): quamvis raro & solum ob novas allegationes soleat Princeps restitutionem permittere, & in auditorium suum induci, qui lubrico ætatis se captum dicit (*b*). Sit vero amplissima gesti significatio, non tamen etiam complectitur delicta, in quibus minores non restituuntur, quia malorum mores infirmitas animi non excusat (*c*); nisi delictum potius ex imprudentia, quam ex malo animo contingat; imprudentia enim miseratione digna est: qua ratione mater minor, quæ lubrico ætatis lapsa filiis impuberibus tutorem non petiit, ab hæreditate filiorum impuberum non excluditur (*d*).

Quibus in causis minores non restituuntur.

§. VI. Sunt vero multi casus, in quibus minores, etsi læsi, restitutione non juvantur; ut ecce cessat restitutio, si adolescens major factus ratum habuerit, quod minor gessit (*e*): quid enim interest, utrum major gerat, an quod minor gessit, major approbet? Ratum quoque censetur negotium, si in minore ætate inchoatum in majore absolutum sit. Item cessat restitutio, si minor impetrata per Principem ætatis venia mobilia alienavit (*f*): quemadmodum etiam cessat, si minor se majorem simulaverit, idque fraudulenter (*g*); secus si per simplicitatem (*h*), cujus tamen adseveratio statim rejicitur, si juratus in instrumento majorem se adfirmaverit (*i*). Nec restituitur minor adversus minorem, qui læsus æque proponatur (*k*), in pari enim causa is, cum quo agitur, potior habetur: quod si unus læsus captusve sit, non item alter, æquum est, capto adversus alterum succurri (*l*). Cessat etiam restitutio adversus parentes & patronos in iis, quæ cum liberis, aut libertis gesserunt, idque ob reverentiam debitam, quæ non patitur, eorum nomen sugillari apud probos viros, petita in integrum restitutione (*m*). Favore quoque li-

(*a*) L. 3 C. Si adversus rem judicatam restitutio postuletur.
(*b*) L. 18. § 1 D. eod.
(*c*) L. 9. §. 2. D. eod., l. 1. C. Si adversus delictum.
(*d*) L. 2. C. Si adversus delictum.
(*e*) L. 3. §. 1. & seq. D. de Minorib., l 2. C. Si major factus ratum habuerit.
(*f*) L. 1. & 3. C. de His, qui veniam ætatis impetraverunt.
(*g*) L. 3. C. Si minor se majorem dixerit.
(*h*) L. 2. C. eod
(*i*) Cit. l. 3 in fine.
(*k*) L. 11. §. 6. & l. 34. D. de Minorib.
(*l*) Cit L. 11. §. 6.
(*m*) L. 2. C. Qui & adversus quos restitui non possunt.

libertatis non auditur minor contra datam libertatem, ne si dolo quidem se inductum dicat ad manumissionem (*a*): quemadmodum etiam non auditur, qui semel in eodem negotio petitam, & ab judice denegatam restitutionem iterum petat, nisi nova adsit causa (*b*).

Respublica & Ecclesia veluti minores habent restitutionem.

§. VII. Jure minoris in causa restitutionis in integrum ex regulis legum Romanarum censetur respublica (*c*): quo nomine non tantum ipsa Romana respublica, verum etiam ex receptiore sententia civitates, municipia & oppida veniunt (*d*). Placuit vero, respublicas jure minoris uti, quod aliorum cura reguntur, non secus ac minorum bona à curatoribus administrantur. Universitatum numero etiam est Ecclesia, quæ & ipsa jure minoris censetur, & idcirco læsa in integrum restitutione juvatur (*e*). Ecclesiæ nomine venit conventus ipse fidelium, cujus nomine Episcopi & beneficiarii administrationem habent; non item ipsi Clerici, qui si læsi in bonis propriis fuerint, beneficio restitutionis non juvantur. Restituitur Ecclesia & contra privatos homines & contra aliam Ecclesiam, modo quæ restitutionem petit, agat de damno vitando, altera de lucro captando (*f*); nam si utriusque par conditio sit, una Ecclesia contra aliam non restituitur, utpote quæ pari privilegio utuntur. Melior vero est conditio Ecclesiæ, quam minoris; etenim minor in contractibus juratis non restituitur, at Ecclesia etiam si prælatus jurejurando contraxerit, & læsa fuerit, habet in integrum restitutionem (*g*). Eodem cum Ecclesia jure censentur hospitalia, & omnia pia loca ecclesiastica, & idcirco ubi læsa fuerint in integrum restituuntur (*h*).

Restitutiones in integrum causa cognita conceduntur.

§. VIII. In integrum restitutio ex quocumque titulo petatur, nonnisi causa cognita conceditur. *Omnes in integrum restitutiones*, inquit Modestinus (*i*), *causa cognita à prætore promittuntur.* Fuit id prætore dignum, nec enim indiscriminatim & temere rescindi oportebat negotia alias jure valida. Hinc non indulgetur, nisi pro tribunali & vocato adversatio: certo jure, quod quæcumque causæ cognitionem desiderant, ea per libellum, idest de plano & non vo-

(*a*) L. 9. §. ult. D. de Minorib., l. 2. C. Si adversus libertatem.
(*b*) L. 1 & seqq. C. Si sæpius in integrum restitutio postuletur.
(*c*) L. 4 C. Quibus ex causis majores, l. 3. C. de Jure reipubl.
(*d*) Conf. Gonzalez ad cap. 1. ext. de In integr. restitut.
(*e*) Cap. 1. & 3. ext. de In integr. restitutione.
(*f*) Cap. 2. & 3 ext. eod.
(*g*) Conf. Sichardus ad l. 4. C. Quibus ex causis majores.
(*h*) Conf. Everardus in Locis legalibus loc 31.
(*i*) L. 3. D. de In integrum restitutionib.

vocato adversario, fieri nequeunt. Causæ vero cognitio eo spectat, ut justitia & æquitas earum causarum, quarum ratione restitutio petentibus promissa est, cognoscatur (*a*). Quo refert vir eruditus Gerardus Noodt verba alias obscura in edicto de minoribus: *quod cum minore, quam vigintiquinque annis natu gestum esse dicatur, uti quæque res sit, animadvertam*, hoc est cognoscam, & prout res erit ex consilii infirmitate, aut recto consilio gesta, decernam (*i*). Animadvertere nimirum hic est animum ad rem vertere, & animo volvere; ut proinde merito miretur vir summus, animadversionem hoc loco accipi solere pro misto imperio, seu toto juris dicundi officio. Itaque ubi petitur in integrum restitutio, ante omnia videndum, num qui petit, ex iis sit, qui beneficio juvantur: num causa idonea sit, an alias petierit, & exclusus fuerit, & quæ sunt hujus generis alia.

Judices, qui in integrum restituunt.

§. IX. Potestas in integrum restituendi ex principiis Romani juris non tantum prætori, verum etiam cæteris populi Romani magistratibus competit: est enim ex iis, quæ potestatis excellentioris sunt, & potius ad imperium, quam ad jurisdictionem pertinebat. Et opinior jus restituendi ex jure edicta proponendi, quibus juris civilis subtilitas emendabatur, derivasse. Ergo restituunt in integrum prætores & magistratus, qui certæ administrationi, cui & jurisdictio adhæret, præpositi sunt, quales erant præsides aliique ordinarii magistratus; itemque in integrum restituunt ii, quibus á magistratibus jurisdictio mandata est, & qui delegati sunt à Principe ad causæ totius discussionem (*c*). Contra in integrum non restituunt arbitri & judices pedanei, utpote qui tantum notionem, non jurisdictionem & mistum imperium habebant; item magistratus municipales (*d*), quibus non licebat causas examinare, quæ excellentioris imperii & potestatis esse censebantur. Sententia juris civilis in decretalibus confirmatur, ubi ait Gregorius IX., causas restitutionis in integrum coram judicibus ordinariis, qui administrationem habent, & coram delegatis ab eis tractari posse: non item coram delegatis, qui tantum facultatem judicandi habent, (intelligit judices pedaneos ex sententia juris civilis) & arbitris, nisi coram eis restitutio mota fuerit incidenter (*e*): quo casu cognoscunt quidem, at vetantur pronunciare. Restituunt vero magistratus contra suam, vel decessorum, magistratuumque inferiorum, non adversus superiorum sententiam (*a*). Moribus hodiernis jurisdictioni cohæret jus in integrum restituendi, nec excellentioris imperii esse censetur, atque idcirco magistratus etiam municipales restituunt.

(*a*) Cit. l. 3.
(*b*) Gerard. Noodt comm. ad digesta tit de Minorib.
(*c*) L. ult. C. Uni & apud quem cognitio in integr. restitution. agitanda sit.
(*d*) Cit. l. ult.
(*e*) Cap. 9. ext. de In integr. restit.

Tempus, quo petenda in integrum restitutio.

§. X. Tempus ad petendam in integrum restitutionem, quod attinet, illud veteri jure Romano erat annus utilis; annuum erat magistratuum officium, nec diutius durabant actiones prætoriæ rescissoriæ. Utilis annus ignoranti non currebat, & præterea eo non continebantur dies, quibus agere non licebat. Sed Justinianus quadriennium continuum concessit, ex quo annus utilis currebat, numerandum (*b*), excepta doli actione, quæ biennio expirat (*c*). Itaque quatuor annorum spatium metu læsis currit à die scientiæ læsionis; absentibus & militibus, à quo abesse desierint; minoribus à primo die post finitam minorem ætatem (*d*), aut à die veniæ ætatis judici intimatæ (*e*). Sed quum numeratio ista ad Ecclesias & alias societates, quæ jure minorum censentur, applicari nequeat, quadriennium in causis Ecclesiarum currit à tempore cognitæ læsionis, veluti à tempore confessionis à prælato factæ, si per eam Ecclesia læsa fuerit (*f*). Quod si legitimum tempus elapsum sit, Ecclesia non restituitur, nisi prævaricationis aut manifestæ fraudis commentum intervenisse probet, aut aliam causam alleget, quæ judicem ad restitutionem movere debeat (*g*). Currit vero tempus tam si actione, quam si exceptione restitutio petatur (*h*); quamvis enim regulariter omnes exceptiones perpetuæ sint; tamen hæc regula locum non habet in iis, quæ per modum actionis proponi possunt.

Effectus postulatæ & impetratæ restitutionis.

§. XI. Effectus postulatæ in integrum restitutionis est, ut omnia in suo statu stare debeant, donec cognitio finiatur (*i*), ideoque impeditur sententiæ executio, ac si appellatio interposita fuisset. Quod si ex præsumptionibus probabile videatur, victum per calumniam, aut excogitatam malitiam velle petitione restitutionis sententiæ effectum impedire, sententia executioni mandatur, præstita tamen à victore idonea cautione de re cum omni causa res ituenda, si victus postea prævaluerit, quod Innocentius III. respondit

(*a*) L. 16. §. ult., l. 17. & seq. D. de Minorib.
(*b*) L. ult. C. de Tempor. in integr. restitut.
(*c*) L. ult. C. eod., Conf. Gerard. Noodt Comment. ad digesta tit. de In integr. restitutionib.
(*d*) Cit. l. ult.
(*e*) L. 5. C. de Temporib. in integr. restitut.
(*f*) Cap. 2. de Restitutionib. in integr in 6.
(*g*) Cap. 1. & 2. eod. in 6.
(*h*) Cit. cap. 1.
(*i*) L unic. C. In integrum restitutione postulata ne quid novi fiat.

dit (*a*). Restitutione inde impetrata, omnia in pristinum statum reducuntur, læsio aboletur, & quisque, quæ sua sunt, recuperat (*b*); etenim restitutio impetrata non tantum impetranti prodest, verum ei, contra quem conceditur, sua jura restituit: quod prætoriæ æquitati conveniebat. Uno autem decreto ex principiis Romani juris conceditur in integrum restitutio, negotium rescinditur, & quisque jus suum recuperat, ut opus non sit vulgata illa judicii divisione in *rescindens* & *rescissorium*, quorum illo petitur rescissio ejus, quod gestum est, altero jus nobis restitutum persequimur, quod Strauchius, Bachovius aliique observant. Sed de restitutione in integrum amplius quam instituti ratio postulabat.

CAPUT XXXV.

De criminibus ecclesiasticis, & primum de apostasia.

Ecclesia in foro interno in omnia crimina animadvertit.

§. I. Quandiu forum pœnitentiale unum fuit, internum nempe, Ecclesia in omnia crimina, sive à Clericis, sive à laicis admissa potestatem exercuit, eaque vindicavit non pœnis ad vindictam publicam spectantibus, sed canonicis pœnitentiis, quæ in medicinam & conversionem reorum infligebantur. Et quamvis si christiani accusati crimina negarent, in peccata Episcopi inquirerent, testium depositiones audirent, & canonicis pœnis contrà peccatores procederent; tamen hæc omnia unice ad ipsius peccatoris reconciliationem spectabant: imo & cum Sacramento Pœnitentiæ connectebantur, quod post Morinum Espenius observat (*c*). Itaque hac stante disciplina distinctio criminum inter ecclesiastica & civilia ignota erat, eo nimirum sensu, ut illa solius ecclesiastici judicis cognitioni, hæc solius magistratus imperio addicta essent. Quin potius qui propter crimen à magistratu punitus fuerat, quia civili examine & convictione crimen publicatum erat, pœnitentiæ publicæ post toleratam pœnam civilem subjiciebatur; & vicissim post actam publicam pœnitentiam sæpe rei pœna civili affecti sunt. Irrogata enim civili pœna, reus punitus, non sanatus censebatur: & contra irrogata pœnitentia, supererat adhuc pœna civilis, quæ vindictam publicam spectabat.

Episcopi forum externum ad omnia crimina extendunt.

§. II. Hæc disciplina ferme ad sæculum decimum secundum stetit: quo tempore forum pœnitentiale in duo separatum est, interternum nempe, & externum, seu judiciale, quorum illud sacramentali ratione crimina omnia ex pœnitentiæ regulis punit & coercet; hoc vero per judiciorum ambages & formulas procedit (*a*), & pœnas quandoque irrogat à civilibus non multum difformes. Strepitus forensis, qui restituto legum Romanorum studio in Ecclesiam intravit, hanc duplicis fori distinctionem videtur invexisse: ubi enim aliqua causæ cognitione opus esse videbatur, forenses tricæ receptæ sunt, à quibus Pœnitentiæ Sacramentum abhorrere videbatur. Hac inducta duplicis fori distinctione Episcopi eorumque officiales omnium criminum cognitionem, etiam adversus laicos, in foro externo sibi vindicabant, quasi esset omnino idem crimina in foro pœnitentiæ canonicis pœnitentiis eluere, & eadem per fori ambages in exteriore foro vindicare. Certe hac philosophia Innocentius III. imbutus erat, & inde concludit, judicare de peccato in foro externo ecclesiasticæ esse cognitionis (*b*). *Non intendimus*, sunt Pontificis verba, *judicare de feudo, cujus ad ipsum* (Regem) *spectat judicium; sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus.* Quin ex eodem principio, quod cognoscere de peccato ad Ecclesiam pertineat, ecclesiastica jurisdictio producta est ad omnes laicorum civiles lites, quibus saltem ex una parte peccatum aliquod inerat (*c*).

Distinctio criminum qua ratione inducta.

§. III. Itaque perspicientes christiani Principes, eorumque magistratus forum externum & contentiosum esse plane à foro interno & sacramentali jam separatum, neque amplius procedi ab Episcopis, seu eorum officialibus ratione Sacramenti, neque pœnas canonicas infligi in pœnitentiam & emendationem: sed potius modo prorsus forensi, & pœnas in meram vindictam pecuniariam, aut corporalem irrogari, sensim cœperunt laicorum causas criminales in foro externo, non secus ac civiles, sibi reservare. Hinc distinctio criminum inducta est, qua quædam soli ecclesiasticæ cognitioni, quædam magistratuum imperio cesserunt, multa vero quasi in confinio utriusque fori relicta sunt. Spectat vero distinctio ista forum externum, nam in foro interno & sacramentali etiam hodie Ecclesia de omnibus etiam laicorum criminibus cognoscit & judicat, eaque salutaribus pœnitentiis eluit.

Quid crimina ecclesiastica, civilia, communia.

§. IV. Sunt ergo ex regulis novæ disciplinæ crimina, vel *ecclesiastica*, vel *civilia*, vel *communia*, sive *mista*. Ecclesiastica fidem &

(*a*) Cap. 6. ext. de In integr. restitut.
(*b*) L. 24. §. 4. de Minorib.
(*c*) Espen. part. 3. tit. 4. cap. 1.

(*a*) Conf. Morin. de Administr. pœnit. lib. 1. cap. 9.
(*b*) Cap. 13. ext. de Judic.
(*c*) Conf. superius dicta cap. 2. §. 22.

& religionem directe lædunt, eorumque natura ex regulis canonicis determinatur, qualia apostasia, hæresis, schisma, simonia, Sacramentorum profanatio, sigilli sacramentalis fractio, neglecta in beneficiis assiduitas, & hujus generis alia. Civilia sunt, quæ directe lædunt rempublicam, nec aliquid habent spirituale, nisi criminis in foro interno absolutionem & pœnitentiam, qualia homicidium, peculatus, plagium, furtum. Et demum communia, seu mista, quæ eodem tempore rempublicam & religionem lædunt, qualia esse dicuntur adulterium, concubinatus, sodomia, sacrilegium, sortilegium, crimen usurarum. In veteribus Canonibus & decretalibus Gregorii IX. ferme de omnibus criminibus tractatur, sed quatenus spectat canonicas pœnas, aut eas, quæ in judiciis ecclesiasticis irrogabantur. Nos hic tantum de præcipuis ecclesiasticis criminibus agemus, non vero de civilibus aut mistis: ecclesiastica enim crimina propria juris canonici sunt, eorumque natura tantum ex regulis canonicis æstimatur & definitur.

Definitio apostasiæ.

§. V. Maximum inter ecclesiastica crimina apostasia est. Generatim apostasia est desertio, apostata vero desertor: hinc *angelorum apostatarum* Cyprianus meminit (*a*), & Augustinus *apostasiam primi hominis* dixit (*b*): quo sensu etiam *apostatæ veritatis* apud Tertullianum occurrunt (*c*). At speciali notione præsertim apud Græcos Patres apostasia denotat à fide christiana, quam quis in Baptismo professus est, defectionem. Ita veri apostatæ sunt christiani, qui post Baptismum à Christo deficiunt, qualis Julianus apostata, qui defectione sua magno christianis incommodo fuit. At latiore sensu apostasiam etiam admittere censebantur catechumeni, qui à catechesi desciscentes, ad aras & templa transibant. Nimirum in veteri disciplina catechumeni edito christianæ religionis suscipiendæ desiderio, generale christiani nomen consequebantur, eorumque multi etiam finito catechesis tempore Baptismum usque differebant, & interim tanquam christiani habebantur (*d*). Hinc si catechumeni à proposito deficerent, rei apostasiæ erant, & reapse Theodosius M. catechumenos Christum derelinquentes apostatis accenset (*e*), licet longe majus crimen esset illuminatorum seu fidelium apostasia. Ut vero apostasia admittatur, sufficit christianam religionem deseruisse, nec requiritur ad aliam transitus; & profecto apostatarum pejores videri possunt, qui Christo relicto nullam deinceps religionem profitentur,

(*a*) Cypr. de Habitu virg.
(*b*) August. contra Julian.
(*c*) Tertull. advers. Valent. cap. 1.
(*d*) Conf. dicta part. 2. cap. 5. §. 3. & cap. 6. §. 5.
(*e*) L. 2. C. Theod. de Apostatis.

tur, Deum non esse impie delirantes, qualis fuit Lucianus quidam Samosatenus M. Aurelio Imperatori æqualis (*a*).

Apostatæ ultronei, qui ad ethnicos transibant.

§. VI. In veteri disciplina apostatæ duplicis generis videntur fuisse, alii enim sponte sua & tædio christianæ religionis affecti, alii metu coacti à Christo deficiebant: inter quos magna erat differentia, nam spontanei apostatæ per omnem vitam Ecclesiæ communionem fugiebant, coacti vero ad Christum revertebantur, simul ac opportuna eis oblata esset occasio. Et quod spectat ultroneos apostatas, ii vel ad ethnicos, vel ad Judæos, unde ad Christum conversi erant, ut plurimum transibant. Qui ad ethnicam superstitionem revertebantur, à magistratibus vocati, ut plurimum deorum imagines venerabantur, & Christo maledicebant: quæ erat solemnis ejuratio christianæ religionis ab ethnicis exigi solita, ut ex Plinio constat (*b*), qui de multis christianis, qui jam sponte sua ad idola transierant, ita ad Trajanum refert: *Omnes & imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt, ii & Christo maledixerunt.* Tempore Trajani in Bythinia & circumpositis provinciis hujus generis apostatæ multi fuerunt, censeque idem Plinius, venia & indulgentia multos ex christianis ad ejuratos gentium ritus facile redire. *Certe satis constat*, sunt Plinii verba, *prope jam desolata templa cœpisse celebrari: & sacra solemnia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emtor inveniebatur: ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.*

Apostatæ ultronei, qui ad Judæos transibant.

§. VII. Qui deserta christiana religione ad Judæos transibant, non omnes ejusdem conditionis erant. Alii christiana religione prorsus ejurata judaicam amplectebantur, qualis Aquila ille fuit, qui primum christianus, & interpres bibliorum, inde propter studium astrologiæ Ecclesia ejectus, transiit ad Judæos, & novam bibliorum versionem christianis infensam elaboravit, quod Epiphanius testatur (*c*). Alii christianam religionem non penitus abjiciebant, sed eam cum judaica commiscebant, & inde veluti hybridam religionis speciem comminiscebantur, quod Cerinthianos, Nazaræos, Ebionæos aliosque hæreticos fecisse Augustinus testatur (*d*). Istiusmodi miscellis magistris Jac. Gothofredus adnumerat Cœlicolas (*e*), qui circumcisionem & Baptismum conjungebant, rejiciebant vero doctri-

(*a*) Conf. Spondan. ad Baron. an. CLXXI. n. 3.
(*b*) Plinius II. lib. 10. epist. XCVII.
(*c*) Epiphan. de Ponderib. & mensur. n. 15.
(*d*) August. de Hæresib. cap. 8. & seqq.
(*e*) Gothofr. in l. 19. C. Theod. de Judæis, Cæli colis & Samarit.

trinam de Trinitate, unumque Deum cœli Conditorem adorabant, unde Cœlicolæ audierunt. Alii demum nullum judaicæ religionis, dogma amplectebantur, sed in remotioribus quibusdam ritibus & consuetudinibus Judæis adhærebant, ac ita in sabbato otiabantur more judaico, convivia cum Judæis agitabant, eos adibant ad recipienda phylacteria & amuleta ad morbos curandos, in quibus Judæi peculiarem & potentiorem artem possidere credebantur. Sic ritibus judaicis utentes christiani, veri religionis desertores non erant; at dubio procul graviter peccabant, quod judaicis vanitatibus communicabant, extantque reapse in veteribus Conciliis multi Canones, qui in ejusmodi christianos censuris ecclesiasticis animadvertunt (*a*).

De thurificatis *&* sacrificatis.

§. VIII. Venio nunc ad eos, qui metu & vi tormentorum oppressi à religione christiana desciscebant, & proprio nomine *lapsi* dicebantur, ut videre est in Cypriani libro *de lapsis*, ubi variæ eorum species recensentur. Erant vero lapsi alii *thurificati*, seu *sacrificati*, alii *libellatici*, quæ vocabula in operibus Cypriani sæpe occurrunt. Et thurificati quidem dicebantur, qui diis *thure & vino supplicaverant*, ut Plinius II. habet (*b*). Thuris suffitus & vini libatio duæ partes erant sacrificiorum, quæ diis offerebantur, & inde evidens desertæ christianæ religionis signum thurificatio habebatur, utpote quæ peculiarem deorum cultum continebat. Sacrificati erant, qui *sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent*, ut idem Cyprianus loquitur (*c*), hoc est, carnes diis immolatas comederant; signum enim idolatriæ erat idolothyta, seu res idolis immolatas, præsertim in templo, comedere. Non tamen omnes sive thurificati, sive sacrificati eandem apostasiam admittebant, & eadem omnes pœnitentia plectebantur, sed crimen majus, aut minus ex adjunctis censebatur: quæ adjuncta Cyprianus exequitur, & varia lapsorum crimina distinguit. Nonnulli enim statim ac persecutio suborta esset, antequam appellarentur, sponte sua adibant templa, utroque offerebant sacrificia, quasi qui occasionem spectabant ad christianam religionem ejurandam, quorum crimen immanissimum erat (*d*); quum alii tormentis & metu victi thure & vino supplicabant. Præterea intererat, utrum tantum ipsi pro suis omnibus, & universa familia sacrificassent, an etiam uxorem, liberos, familiares, amicosve suos ad idem facinus compulissent. Et inter eos ipsos, qui coacti sacrificaverant, discrimen erat, utrum id fecissent læti & vestibus pretiosioribus induti, an toti ad mœstitiam compositi & flentes (*e*).

De

(*a*) Conf. Bingh. Orig. eccles. lib. 16. c. 6. §. 3.
(*b*) Plinius II. lib. 10. epist. XCVII.
(*c*) Cyprian. epist. XV. al. XX. ad Clerum Roman.
(*d*) Cyprian. de Lapsis.
(*e*) Cyprian. epist. LII. ad Antonian.

De libellaticis.

§. IX. Libellatici nec thure nec sacrificio religionem deserebant, at rei erant idolatriæ, quod libellis religionem abnegarent, etsi non satis perspicuum sit, in quo potissimum eorum crimen constiterit. Baronius unum libellaticorum genus fuisse opinatur (*a*), duo Albaspinæus (*b*), rectius Binghamus eos in tres gradus partitur (*c*). Nonnulli magistratibus se non esse christianos aperte profitebantur, religionem suam vel voce, vel libellis negantes, seque idolis sacrificare paratos esse affirmabant, si à magistratu juberentur. Alii nec abjurabant, nec libellum abjurationis ipsi exhibebant, sed vel amicum ethnicum, vel servum mittebant, ut ipsorum nomine sacrificaret, vel fidem abnegaret, & hoc ipso libellum securitatis à magistratu ipsis impetraret, quasi fecissent, quod eorum nomine alii fecerant, de qua libellaticorum specie loqui videtur clerus Romanus litteris ad Cyprianum datis (*d*). Alii demum perspicientes, quod præsidis ira pecunia & muneribus restingui posset, apud magistratum veniebant, & se esse christianos, nec sacrificare posse aperte fatebantur, ideoque ipsum rogabant, ut libellum daret immunitatis, pro eo munus accommodatum offerentes. Sic libellaticorum species Binghamus distinguit, & describit; at quod spectat ultimam speciem, ejus descriptio manca videtur; etenim qui munere dato injustam vexationem redimebant, donabantur quidem securitatis libello, at simul libello scriptum erat, quod jam sacrificaverant, etsi id nunquam fecissent (*e*): quæ abnegationis simulatio revera abnegatio erat, ut recte Kortholdus censet (*f*). Primi & secundi generis libellatici veri apostatæ erant, eosque Cyprianus merito thurificatis & sacrificatis accenset: at qui professa christiana religione iram judicis pecunia extinguebant, ne ad sacrificandum cogerentur, rei erant tantum, quod in libello diceretur, illos jussu præsidum sacrificasse.

Idololatriæ adjutores & fautores.

§. X. Veris idololatris accedebant, qui superstitiosos gentium ritus adjuvabant, vel imitabantur; hi enim idololatriæ rei quodammodo habebantur, & veluti susceptæ religionis proditores. Tales in primis erant christiani, qui flaminis, seu sacerdotis ethnici munus in se recipiebant, cujus officii pars erat *munera*, hoc est ludos, spectacula & oblectamenta populo exhibere, quod si fecissent,

(*a*) Baron. ad ann. CCLIII. n. 10.
(*b*) Albaspin. Observat. lib. 1. cap. 21.
(*c*) Bingh. Orig. ecclesiast. lib. 16. c. 4. §. 6.
(*d*) Epist. Cleri Romani inter Cyprian. XXX. al. XXXI.
(*e*) Cyprian. de Lapsis, Epist. Cleri Romani ad Cyprian. quæ est XXX. al. XXXI. inter Cyprianicas.
(*f*) Kortholdus de Persecut. Eccles. primit. cap. 8. §. 10.

sent, etsi non sacrificarent, tanquam superstitionis ethnicæ adjutores tractabantur. Nimirum ludi & spectacula exhibebantur diebus festis ethnicorum, & in deorum cultum, & ritibus idololatricis scatebant; & hinc flamines, etsi non immolassent, veluti adjutores idololatriæ rei erant, & severa pœnitentia puniebantur. *Flamines*, inquit Synodus Illiberitana (*a*), *qui non immolaverint, sed munus tantum dederint, eo quod se à funestis abstinuerint sacrificiis, placuit in fine eis præstari communionem, acta tamen legitima pœnitentia.* Item omnes scenici, histriones, aurigæ, qui currus in publicis spectaculis agitabant, tanquam fautores & adjutores idololatriæ habiti (*b*); theatrum enim & publici ludi partes erant pompæ & cultus Satanæ, cui christiani in Baptismo renuntiabant. Eodem crimine se adstringebant idolorum artifices, quique ædificabant, vel ornabant gentium aras & templa (*c*): item qui victimas & thus ad idololatriæ usum vendebant (*d*), & si qui alii erant idololatriæ adjutores, quorum crimina Binghamus recenset (*e*).

Idololatris olim etiam in fine absolutio denegata.

§. XI. Jam vero quod spectat pœnas in apostatas ab Ecclesia decretas, ii, præsertim si etiam idololatriæ rei essent, ante Cypriani ætatem non solum Ecclesia ejecti; verum etiam in fine vitæ absolutione donari non solebant, etsi pœnitentiam egissent: quæ severissima disciplina præcipue in Ecclesiis Romana, Hispaniensi & Africana servabatur. Et profecto Tertullianus in libro de pudicitia, quem Montanista scripsit, pluribus in locis affirmat, catholicos idololatris & homicidis pacem negare, & inde concludit, negare etiam debere mœchis. Instar omnium sint verba ista. *Idolatram & homicidam semel damnas: mœchum vero de medio excipis: idololatriæ successorem homicidæ antecessorem* (*f*). Quibus verbis vir Montanista invehitur in Zephirini Papæ Decretum, quo primum in Ecclesia Romana pax seu absolutio mœchis data est, & ex negata etiam in fine idololatris & homicidis absolutione concludi ur eam nec mœchis dari debuisse. Patres quoque Concilii Illiberit ni tum aliis criminibus, tum maxime idololatris in fine denegant absolutionem (*g*). *Placuit, ut quicunque post fidem Baptismi salutaris adulta ætate ad templum idololatraturus accesserit, & fecerit, quod est crimen capitale, nec in fine eum communionem*, hoc est absolutionem, *accipere*. Cœpit fortasse severa disciplina post sæculi secundi medietatem, eaque severitate fideles Ecclesia admonitos voluit, ut à lapsu summopere sibi caverent: tempo-

(*a*) Conc. Illiber. Can. III.
(*b*) Conc. Illiber. Can. LXII., Arelat. I. Can. IV. & V.
(*c*) Tertull. de Idolol. cap. 5. & seq.
(*d*) Tertull. de Idolol. cap. 2.
(*e*) Bingh. Orig. eccles. lib. 16. c. 4. §. 8. & seqq.
(*f*) Tertull. de Pudic. cap. 5.
(*g*) Conc. Illiber. Can. I.

pore enim persecutionis necessarium visum est intendere rigorem, *ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu*, ut Innocentius I. Papa loquitur (*a*). Negabat vero Ecclesia veniam idololatris & aliis magnis criminibus, non defectu potestatis, sed severitate disciplinæ, quo à Novatianis distabat, ut recte Albaspinæus, Beveregius, Cardinalis Bona, aliique observant (*b*).

Contrariæ sententiæ exceptiones rejiciuntur.

§. XII. Non desunt interim viri docti, inter quos est Natalis Alexander (*c*), qui tanta severitate offensi contendunt, nunquam magnas Ecclesias in fine pacem & absolutionem peccatoribus, qui pœnitentiam ederent, denegare consuevisse. Itaque ajunt, Tertullianum in libro de Pudicitia, quem Montanista scripsit, falsam Ecclesiæ Romanæ tribuisse disciplinam, ut haberet, quo Montanum tueretur, qui negabat, Ecclesiæ jus esse ad gravia crimina dimittenda: *communionem* vero in Illiberitanis Canonibus non absolutionem, sed Eucharistiam interpretantur. Sed vix veri speciem habet, Tertullianum hominem severum falsam disciplinam Ecclesiæ Romanæ tribuisse: ex denegata enim idololatris & homicidis absolutione argumentatur contra catholicos, qui Ecclesiæ in dimittendis criminibus potestatem vindicabant; ut proinde necesse sit, ea de re inter partes convenisse, aliter ex re non ab omnibus agnita nonnisi stulte conclusisset (*d*). Præterea communio in Illiberitanis Canonibus absolutio est, non Eucharistia, quod Petavius, Sirmondus, Albaspinæus, Morinus observarunt; origine enim sua ea vox commercium & societatem, quæ inter fideles erat, denotat: & fideles lapsi in eam communionem per absolutionem redibant. Et reapse in veteribus monumentis voces *pax*, *communio*, seu *communicatio*, *reconciliatio*, *absolutio*, sæpe promiscue accipiuntur (*e*).

Pœnitentiæ apostatis imponi solitæ.

§. XIII. Sed tandem ab hac severitate Ecclesia descivit, jamque ætate Cypriani & in Romana & Carthaginensi Ecclesia apostatæ, qui pœnitentia ductus ad religionem revertebatur, absolutio dabatur; in Ecclesia vero Hispaniensi nonnisi post finitas persecutiones idololatris absolutio dari cœpit. Hinc in Canonibus varia pœnitendi tempora longiora, aut breviora apostatis præscribi cœperunt, ubi pœnitentia ducti ad Christum revertebantur. Varietas illa pœnitentiæ à varietate criminis pendebat, nec enim omnes apostatæ eodem cri-

(*a*) Innocent. I. ep. III. ad Exuper.
(*b*) Albaspin. Observ. lib. 2. cap. 21., Bevereg. in Can. VIII. Conc. Nicæni, Card. Bona Rer. liturgic. lib. 1. cap. 27. n. 8.
(*c*) Nat. Alexander sæc. 3. Hist. Eccles. diss. 7. prop. 3.
(*d*) Conf. Duguet diss. 16. §. 2.
(*e*) Cypr. epist. LII. ad Antonian., Innocent. I. epist. III ad Exuperium.

crimine adstringebantur; dum alii sponte sua, alii coacti & metu tormentorum, alii occasione veluti invitante, alii metu tormentorum quidem, sed læti, alii flentes sacrificaverant, aut thus adoleverant: quas aliasque apostasiæ species Cyprianus, Canones Nicæni, Ancyrani & Arelatenses distinguunt (*a*). Quin in Romana Ecclesia apostatæ non coacti per totam vitam agere debebant pœnitentiam, & tandem in fine communionem accipiebant. *Apostatis*, inquit Siricius Papa (*b*), *quandiu vivunt agenda pœnitentia est, & in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda.* Qua cum regula consentit Concilium Valentinum in Gallia, si non severitatem intendat, nam ait, voluntarios apostatas pœnitentiam agere *usque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis, quam à Deo plene sperare debebunt* (*c*).

Apostasia crimen publicum est.

§. XIV. Apostasia à Christi religione in Ecclesia quovis tempore magnum crimen reputatum est: at in civitate quousque imperium penes ethnicos fuit, inter civilia & publica crimina Christum deserere non accensebatur: quin potius tum crimen erat, recepta sacra deserere, & Christum amplecti (*d*). Sed sub christianis Imperatoribus apostasia æque cum hæresi inter crimina publica relata est, facultasque concessa non tantum viventem, sed etiam defunctum accusandi, & illum quidem in perpetuum (*e*), hunc vero intra quinquennium (*f*), quod etiam effectus pœnæ in apostatas decretæ post mortem locum haberet. Tardius tamen criminibus civilibus adnumerata, adeo ut Constantinus, qui hæreses inter publica crimina recensuit, civilibus pœnis apostatas persecutus non sit: idque factum, ne ethnici, qui magno numero erant, offenderentur, & magis christianorum imperium odio haberent. Deinceps Theodosio imperante ethnicorum res deteriore loco esse cœperunt, & ad crimina publica relatum est ethnicum fieri (*g*). Inde testamenti factio apostatis adepta, & jus capiendi ex quovis testamento (*h*): aliquando etiam apostatæ in exilium pulsi sunt, & ita quidem, ut tale flagitium nulla possit obliterari pœnitentia (*i*). Præterea apostatæ donandi potestatem amiserunt, ut venditio in fraudem legis facta minime valeret (*k*); & perpetua infamia notati

(*a*) Conf. Bingh. Orig. eccles. lib. 16., cap. 4. §. 5.
(*b*) Siric. epist. I. ad Himerium cap. 3.
(*c*) Conc. Valentin. Can. III.
(*d*) Conf. Boehm. Diss 6. ad Plinium II. & Tertull.
(*e*) L. 4. Cod. de Apost.
(*f*) L. 2. Cod. eod.
(*g*) L. 1. Cod. Th. de Apostat.
(*h*) L. 1 & seq. Cod. Th. eod., l. 4. Cod. de Apost.
(*i*) Cit l. 4.
(*k*) L. 4. Cod. eod.

ti (*a*). Et si quis servum vel ingenuum invitum, vel improba suasione ex christiana religione ad cultum idolorum traduxerit, capitali supplicio subjectus est (*b*).

De apostasia ab ordine clericali.

§. XV. Species quoque apostasiæ, sed latiore sensu dictæ, censetur, si quis ab ordine sacro, vel à religione regulari, quam professus est, deficiat. Et quod spectat ordinum desertores, olim Clerici omnes per ordinationem perpetuo Ecclesiæ ministerio addicebantur, nec poterant ejurare clericatum, iterumque vitam sæcularem amplecti. Sane Synodus Chalcedonensis vitæ clericalis desertores, qui ad sanctum propositum non redirent, excommunicari jussit (*c*). Et Arcadius & Honorius Imperatores curiæ vel collegio civitatis suæ, prout facultates & natales essent, eosdem sociari voluerunt (*d*). Justinianus quoque edixit, ut bona desertorum Clericorum ad Ecclesiam, cui erant addicti, transcriberentur (*e*). Generalis hæc disciplina per decem & amplius sæcula integra stetit (*f*): at deinceps paulatim invaluit, ut tantum majores Clerici perpetua stabilitate tenerentur, non item Clerici minores, quibus impune licet clericatum ejurare, & vitam sæcularem amplecti. Auctus Clericorum minorum numerus, desueta ferme minorum ordinum officia, & reditus ecclesiastici solis fere majoribus Clericis deputati non ferebant, ut Clerici minores in clericali vita perpetuo starent, & hinc eorum à clericatu desertio impunis remansit. Signum abjecti clericatus est abjectio vestis & tonsuræ clericalis (*g*), qua peracta Clericus in civitate tanquam laicus deinceps agit & conversatur.

De apostasia à vita monastica seu regulari.

§. XVI. Apostasia religionis regularis est abjectio vitæ monasticæ semel professæ animo illam in posterum non repetendi. Etenim qui adhuc in probatione sunt, pro sua libertate possunt in sæcularem vitam redire; ubi enim emissa professio non est, nec desertio dici potest (*h*). Quin si religiosi periculi evitandi causa vestem monasticam ad tempus deponunt, eam inde recepturi, apostatæ non sunt (*i*). Apostasia ista ab ordine religioso grande crimen est, utpote qua propositum vitæ sanctioris abrumpitur, & solemnia vota violantur. Veteres Canones Monachos desertores, qui acta pœ-

(*a*) L. 5. Cod. Th. eod.
(*b*) L. 5. Cod. eod.
(*c*) Conc. Chalced. Can. VII. Conc. Turon. I. Can. V.
(*d*) L. 39. Cod. Th. de Episc.
(*e*) L. 55 §. 1. Cod. de Episc.
(*f*) Conf. Thomassin. part. 2. lib. 1. cap. 14.
(*g*) Cap. 1. & 5. ext. de Apost.
(*h*) Cap. 20. & 23. ext. de Regularib.
(*i*) Conf. Ricciullus de Jure personar. lib. 8. cap. 2. n. 12.

pœnitentia ad monasterium non revertebantur, excommunicatione coercent (*a*). Et regula Benedictina tum demum in congregationem iterum admittit fratres, qui proprio vitio deserunt monasterium, si vitii emendationem spondeant; qua facta sponsione in ultimo gradu recipiebantur, idque usque ad tertiam vicem (*b*). Et Justinianus Monachos propositi desertores monasterio restitui jussit (*c*). Nova disciplina Monachos apostatas ad reditum anathemate compellit, & ad agendam pœnitentiam in monasterium includit (*d*). Quod si in apostasia sacrum ordinem transfuga recipiat, etsi suo reconcilietur Abbati, & receperit pœnitentiam, in ordine suscepto vetatur ministrare, nisi summus Pontifex veniam concedat (*e*). Nimirum Monachi apostatæ à Canone sunt alieni (*f*), ac ita si in apostasia ordines susceperint, eorum functionibus interdicuntur.

CAPUT XXXVI.

De hæresi.

Quid sit hæresis difficile ex veterum sententia definire.

§. I. Hæresis Græcum nomen est, quod sectam denotat, eaque voce Græci & Latini scriptores etiam ecclesiastici & in bonam & in malam partem utuntur. At frequentiore usu in ecclesiasticis monumentis male sonat; quid vero proprie sit, difficile visum fuit veteribus Patribus definire. Quid sit hæresis, inquit Augustinus (*g*), *regulari aliqua definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillime potest.* Cujus difficultatis ratione evenisse putat, cur Philastrius Brixiensis Episcopus & Epiphanius de hæresibus scribentes, de illarum numero non convenerint. Ille enim hæreses populi Judaici ante natum Christum vigintiocto numeravit, post Christum inter christianos exortas centum vigintiocto, hic vero utriusque temporis hæreses octoginta recensuit (*h*). Ex qua varietate Augustinus concludit, in ea disceptatione, quid sit hæresis, inter Philastrium & Epiphanium non convenisse. *Neque enim putandum est*, addit idem Augustinus, *aliquas ignorasse Epiphanium, quas noverat Philastrius, quum Epiphanium longe Philastrio doctiorem invenerimus.*

De-

(*a*) Conc. Chalced. Can. VII. Conc. Tolet. IV. Can. LIV.
(*b*) Reg. Bened. cap. 29.
(*c*) Novell. CXXIII. cap. 42.
(*d*) Cap. ult. de Regularib. Conf. Franc. Florens tract. de Statu Monachor. ad quæst. 1. & seqq. cap. 20.
(*e*) Cap. 5. ext. de Apostat.
(*f*) Can. ult. D. 50.
(*g*) August. lib. de Hæresib. in præf.
(*h*) August. epist. CXXII. ad Quodvultdeum.

Definitio hæresis.

§. II. Expensis vero omnibus, quæ hæreticum constituunt, sic hæresis describenda videntur, est error in rebus fidei, quo homo christianus sciens prudens doctrinam aliquam, quam Ecclesia catholica tanquam fide divina credendam proponit, deserit, novamque doctrinam sibi effingit. Hæc videtur fuisse receptior hæresis notio exeunte sæculo quarto. Arcadius enim Imperator, ubi multæ in hæreticos leges latæ erant, hæreticos ita describit, *qui vel levi argumento à judicio catholicæ religionis, & tramite detecti fuerint deviare* (*a*). Itaque non omnis error in fide hæresis est: & certe non ex propriis sententiis hæreses æstimandæ, sed potius ex judicio catholicæ religionis & tramite: recteque observatum Gregorio M., multos esse fideles, *qui imperito zelo succenduntur, & sæpe, dum quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt* (*b*). Tria ergo ad hæresis constitutionem necessaria videntur. Unum, christianus homo errare debet in fide: alterum, doctrina, quæ negatur, debet esse ab Ecclesia catholica ad credendum proposita: tertium, necessaria est scientia & pertinacia, qua christiana doctrina ab Ecclesia proposita rejiciatur.

Ut sit hæresis adesse debet error in fide.

§. III. Quod spectat ad primum, ut hæresis dici possit, requiritur error in iis, quæ doctrinæ & fidei christianæ sunt; nam alias si quis erret in physicis, medicis, astronomicis, error simplex est, non hæresis. Ergo ante omnia videndum, quæ sit christiana doctrina, ut quidquid ei adversetur, tanquam hæresis materia haberi possit. Continetur doctrina christiana in verbo Dei scripto, vel tradito; Apostoli enim non omnia scripto consignarunt, sed multa etiam ore docuerunt, quæ quasi per manus Ecclesia accepit, & omni tempore inculcavit. Ad rem Gratianus Imperator: *nihil aliud præcipi volumus, quam quod Evangeliorum & Apostolorum fides, & traditio incorrupta servavit* (*c*). Sed non omnia, quæ continentur in verbo Dei, pertinent ad doctrinam religionis, sed tantum ea, quæ dogmata fidei & morum regulas spectant: in rebus enim naturalibus verbo Dei comprehensis Deus locutus est linguam filiorum hominum: nec inde res physicæ, geographicæ, astronomicæ, medicæ certo decidunntur: tantum demonstratur, quæ fuerint Judæorum in rebus naturalibus hæreses seu opiniones: quod viris doctis observatum est (*d*).

Quæ

(*a*) L. 28. Cod. Th. de Hæretic., l. 2. Cod. eod.
(*b*) Greg. M. lib. 9. ex. 39.
(*c*) L. 1. C. Ne sanctum Baptisma iteretur.
(*d*) Conf. Petavius præf. de Opificio dierum, & Muratoribus de Moderat. ingenior. lib. 1. cap. 23.

Quæ ab Ecclesia catholica proposita sit.

§. IV. Præterea error in rebus fidei, tum hæresis est, si pars illa verbi Dei, quam errans impugnat, ab Ecclesia catholica, tanquam fide divina credenda, proposita sit. *Illud omne & solum est de fide catholica*, inquit Veronius (*a*), *quod est revelatum in verbo Dei, & propositum omnibus ab Ecclesia catholica fide divina credendum.* Sane quum Dei verbum interpretatione indigeat, nequaquam hæresis dicenda est, si dissentiat quis ab aliqua doctrina fidei verbo Dei comprehensa, nisi illam contineri Ecclesia catholica, cui doctrinæ depositum concreditum est, & non errando privilegium promissum, declaraverit, & credendam proposuerit. Ex qua regula veteres tanquam veros hæreticos habebant, quotquot Conciliorum generalium definitionibus non adquiescebant, quod catholicæ Ecclesiæ judicium ex comitiis illis habebatur. Et quoniam depositum fidei integrius servabatur in Ecclesiis principibus & Apostolicis, maxime in Ecclesia Romana, quæ cæterarum caput est, hinc mos fuit veteribus, eos catholicos dicere, qui cum Ecclesiis Romana, Alexandrina, Antiochena in fide consentirent, quod pluribus productis monumentis Jac. Gothofredus illustrat (*b*). Quæ quum ita sint, patet profecto, quî ab hæresis nota excusari possint nonnulli ex veteribus Patribus, qui ante exortam hæresim Arianam de Christo & sacrosancta Trinitate minus caute nonnulla scripserunt; itemque veterum illi, qui doctrinam de milleno Christi in terris regno tenuerunt. Nimirum Ecclesia catholica nondum omnia ad Christum, ejusque regnum pertinentia ventilaverat, & apertis conceptisque formulis christianam doctrinam proposuerat. Et profecto Hieronymus Patres primorum sæculorum, qui de Christo minus caute locuti sunt, hæreticis non accenset, vel quia simpliciter errarunt, vel alio sensu scripserunt, *vel certe antiquam in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur: quædam innocenter & minus caute locuti sunt* (*c*).

Non est hæresis sine pertinacia.

§. V. Item ad hæresis constitutionem pertinacia requiritur; ut nempe quis sciens prudens doctrinam, quam Ecclesia catholica veluti in verbo Dei comprehensam & credendam proponit, adjiciat, & in oppositam sententiam pertinaci animo feratur. Nam si absit pertinacia, & quis contra fidem per simplicitatem, aut ignorantiam erret, putans ita esse de fide, & Ecclesiam ita tenere, nec dici, nec judicari, nec puniri potest tanquam hæreticus. Egregie Augustinus (*d*): *qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla per-*

(*a*) Veron. Reg. fidei cathol. cap. 1. §. 1.
(*b*) Jacob. Gothof. ad l. 2. Cod. Th. de Fide cathol.
(*c*) Hieronym. apol. 2. contra Rufinum.
(*d*) August. epist. CLXII. ap. Grat. Can. XXIX. c. 24. q. 3.

pertinaci animositate defendunt.... quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, quum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. Quo etiam spectat alter Augustini locus: *errare possum, sed hæreticus non ero* (*a*), quia scilicet non ero in errore pertinax, sed eo cognito è vestigio in sinum matris me conjicio. Hinc recte Synodus Lateranensis sub Innocentio III. damnatis Abbatis Joachimi opinionibus, ipsum nihilominus ab hæresi absolvit: Joachimus enim omnia scripta sua judicio Sedis Apostolicæ approbanda, aut corrigenda supposuit (*b*). Et hinc illud commune theologorum & canonistarum dictum, *non error, sed erroris pertinacia hæreticum facit.*

Soli Christiani rei hæresis esse possunt.

§. VI. Jam nec omnes, qui obstinato animo in rebus fidei errant, hæretici censentur, sed tantum, qui per Baptismum in Ecclesiam ingressi sunt, utpote qui stare tenentur Ecclesiæ judicio. *Qui in Ecclesia Christi*, inquit Augustinus (*c*), *morbidum aliquid pravumque sapiunt, si correcti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt.* Sufficit vero Baptismum recepisse, nec refert, utrum sponte & volentes, an coacti abluti sint; semper enim christiani censentur, & Ecclesiæ subjecti (*d*), etiam qui extra catholicam Ecclesiam Baptismum receperunt. Et in huc differunt christiani ab infidelibus, qui nunquam in Ecclesiam intrarunt; nam etsi isti in pluribus contra fidem errent, non tamen hæretici dici queunt: quin nec eorum perversa dogmata contra Deum & religionem hæreses sunt, nisi lata significatione, qua omnis error fidei adversus hæresis dicatur (*e*).

Crimen hæresis plene probandum.

§. VII. Christiani vero in foro externo tanquam hæretici habendi & puniendi sunt, si plene probatum fuerit, eos contraria fidei catholicæ pertinaciter sentire. Quo spectat Imperator Arcadius, dum eos hæreticos voluit haberi, *qui vel levi argumento à judicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare* (*f*), hoc est, qui convicti, & legitimis modis plene probati fuerint deviare. Nec enim verba illa *vel levi argumento* denotant, aliquem haberi posse tanquam hæreticum ex levi præsumptione, aut suspicione; sed vox *argumentum* accipitur ab Arcadio pro articulo dogmatico, sensusque est, eum pro hæretico habendum, qui in quocunque fidei arti-

(*a*) August. lib. 1. de Trinit.
(*b*) Cap. 2. ext. de Summa Trinit. & fide cathol.
(*c*) Can. XXXI. c. 24. q. 3.
(*d*) Cap. 13. de Hæret. in 6.
(*e*) Conf. Gonzalez in cap. 1. ext. de Hæretic.
(*f*) L. 28. Cod. Th. de Hæret. l. 2. §. 1. Cod. eod.

ticulo, etsi levis ipsi videatur, à judicio catholicæ Ecclesiæ deviare convictus fuerit, quod Jac. Gothofredus pluribus probat (*a*). Et profecto quum hæresis sit enorme crimen, certe exacta & manifesta probatio requiritur, antequam christianus homo tanquam hæreticus damnari possit, præsertim si alias inter catholicos versetur, & catholicam fidem publice profiteatur, ejusque communioni adhæreat. Hinc nequaquam probandus eorum zelus, qui vel ex præconceptis opinionibus, vel levibus argumentis doctos & pios catholicos tanquam hæreticos accusant, aut eorum communionem devitant: qua in re olim peccavit Epiphanius, qui Joannis Chrysostomi contubernium & communionem detrectavit, eo quod Chrysostomus illos, ut hæreticos damnare nollet, contra quos Epiphanius jam præventus erat, quum Joannes *ante causæ cognitionem hæc facere, haudquaquam justum duceret.* Sozomeno teste (*b*). Interim apud Deum vere hæretici sunt, qui sola cogitatione ex animi pervicacia à judicio catholicæ religionis recedunt.

Crimen suspecti de hæresi.

§. VIII. Quamvis vero tantum veri hæretici sint, qui ab integritate catholicæ fidei deviare legitimis probationibus detecti fuerint; tamen tanquam suspecti de hæresi merito reputantur, qui ex conjecturis & indiciis in fide obstinato animo errare præsumuntur. Atque hoc est crimen suspecti de hæresi, cujus gravitas major, vel minor habetur, prout argumenta robustiora, aut debiliora sunt. Hinc suspicio de hæresi triplex est, levis, vehemens, & violenta. Levis deducitur ex signis externis operum, vel verborum, ex quibus raro hæresis præsumi potest, veluti si quis semel hæreticorum conventiculis interfuerit. Vehemens ex argumentis desumitur sæpe concludentibus, quæ proinde juris præsumptionem inducunt, & nisi contrarium probetur, fere plenam efficiunt probationem, veluti esus carnium die prohibito, & errorum prolatio in rebus fidei. Violenta demum suspicio operatur juris & de jure præsumptionem, contra quam nulla admittitur probatio, & sufficit, ut quis tanquam hæreticus damnetur, veluti si quis hæreticorum conventicula frequentarit, & si qui suspecti de hæresi nolint jurejurando se purgare, vel hæresim abjurare, & inde excommunicati per annum in excommunicatione persistant (*c*).

Dubius in fide hæreticus est.

§. IX. Verum à suspectis de hæresi longe distant, qui in fide dubitant, hi enim veri sunt hæretici. *Dubius in fide infidelis est*, inquit Stephanus Papa, seu quisquis sub eo nomine latet (*d*). Sane

(*a*) Gothof. ad cit. l. 28.
(*b*) Sozom. lib. 8. cap. 14
(*c*) Cap. 13. §. 2. ext. de Hæretic., cap. 7. eod. in 6.
(*d*) Cap. 1. ext. de Hæretic.

ne qui sciens dubitat de fide Ecclesiæ catholicæ, hoc ipso ex pertinacia peccat in fidem, quæ docet, extra dubitationem esse, quæ catholica Ecclesia veluti fide divina credenda proponit. Dubius vero in fide non tantum dicitur, qui de universa christiana doctrina dubitat; verum etiam, qui aliquem ejus articulum in dubitationem adducit, non secus ac errans in fide dicitur, qui vel in uno fidei articulo ab judicio Ecclesiæ catholicæ dissentit. Quod si ipsum dogma dubium sit, & ab Ecclesia nondum definitum, qui de eo dubitant, parati futuro Ecclesiæ judicio obtemperare, nullius criminis rei sunt.

Hæresis maximum crimen est.

§. X. Crimen hæresis semper magnum habitum fuit inter ea, quæ homo christianus admittere potest: contradicit enim Spiritui sancto, qui per Ecclesiam loquitur, qui sciens prudens à catholicæ fidei integritate desciscit. Et merito Cyprianus majus esse crimen hæreticorum & schismaticorum docet præ idololatria, in quam vi tormentorum christiani lapsi sint: in idololatria enim vi tormentorum admissa crimen agnoscitur, & lapsi pœnitentia accepta Deum plenis satisfactionibus deprecantur: è contrario hæretici rebelles ab Ecclesia in ipsis criminibus sibi placent & delectantur. Item qui lapsus est, sibi tantum nocuit; qui hæresim, aut schisma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. Postremo lapsus martyrium postmodum consecutus, potest regni promissa percipere; hæreticus vero si extra Ecclesiam fuerit occisus, ad Ecclesiæ præmia non poterit pervenire (*a*). Quod postremum argumentum etiam alii Patres, in primis Augustinus & Chrysostomus, sæpe urgent (*b*), ut christianos à studio hæresis, aut schismatis deterreant.

Hæretici ab Ecclesia ejecti.

§. XI. Multæ autem in hæreticos pœnæ tam ab Ecclesia, quam à civili potestate statutæ sunt. Et Ecclesia quidem solemne anathema in hæreticos dixit, eosque christiana communione privavit, quod Synodi Nicænæ symbolum, & Gangrenses & Tridentini Canones, quibus sentientes contra propositas doctrinas excommunicantur, satis demonstrant. Id autem fecit Ecclesia, ut christiani melius sibi ab hæreticis caverent; nam alioquin hæretici errorum monstris & pervicacia sua ab Ecclesiæ communione separationem fecerant. Sic vero hæretici à catholica communione sejuncti, in Ecclesiam ad audiendos sermones ingredi permittebantur, non secus ac Judæi & ethnici, ut doctrinarum pondere & sanis

(*a*) Cyprian. de Unit. eccles., & epist. LII. ad Antonian.
(*b*) August. lib. 4. de Bapt. cap. 17., Chrysost. hom. XI. in Ephes.

nis admonitionibus ad bonam frugem reducerentur, quod in Conciliis Carthaginensi IV. & Valentino cautum est (*a*). Constat etiam, veteres Patres, in primis Chrysostomum, in hæreticos tanquam præsentes in homiliis suis disputasse, eosque ad catholicam unitatem invitare consuevisse. Quæ quum ita sint, mirum profecto est, quod Synodus Laodicena hæreticos ab ingressu in Ecclesiam omnino videatur prohibere: *non debent hæretici, in hæresi permanentes, in Ecclesiam ingredi* (*b*). Sed hæc regula facta videtur ex peculiaribus rationibus, fortasse quia in ipsa Ecclesia studium dilatandæ sectæ non deponebant; nisi placeat strictius sententiam illam interpretari: quasi tantum tempore oblationis & communium precum hæreticos Ecclesiam intrare prohibeat.

Hæretici perpetuo deponuntur & à Canone sunt alieni.

§. XII. Præterea ex Ecclesiæ regulis hæretici, si Clerici sint, omnibus officiis ecclesiasticis privantur, & perpetuo deponuntur; & generatim hæretici sunt à Canone alieni, sive in hæresi baptizati sint, sive post Baptismum in catholica fide acceptum in hæresim inciderint; reversi enim in catholicam tanquam laici recipiuntur, sacri ministerii in perpetuum expertes. *Ex omni hæresi*, inquit Synodus Illiberitana (*c*), *qui ad nos fidelis venerit, minime est ad clerum promovendus, vel qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponentur*. Quam regulam etiam Innocentius I. proponit (*d*). Imo Patres Africani edixerunt, neminem ordinari Episcopum, Presbyterum & Diaconum, qui non prius omnes, qui in ejus domo erant christianos catholicos fecisset (*e*). Videbatur indignum, ut qui magistri errorum fuerant, inde in doctrinæ cathedra sederent, aut alias ministrarent altari. Verum ab hac regula aliquando Ecclesia descivit, & hæreticos, aut schismaticos tanquam Clericos recepit, eosque vel in suis ordinibus, vel in inferioribus gradibus ministrare permisit, ubi ita eos ad rectam fidem, & Ecclesiæ unitatem facile reversuros animadvertit; salus enim Ecclesiæ suprema est lex ecclesiastica (*f*). Jure decretalium etiam hæretici & eorum fautores sunt à Canone alieni: quin eorum liberi paternæ lineæ usque ad secundum gradum, maternæ usque ad primum ab omnibus beneficiis ecclesiasticis excluduntur, si parentes tales sint, aut in hæresi decesserint, non item si ad fidem catholicam redierint (*g*).

Pœ-

(*a*) Conc. Carthag. IV. Can. LXXXIV., Conc. Valent. Can. I.
(*b*) Conc. Laodic. Can. VI.
(*c*) Conc. Illiber. Can. LI.
(*d*) Innocent. I. epist. XXII. ap. Dionys. Exiguum LIV.
(*e*) Conc. Carthag. III. Can. XVIII.
(*f*) Conf. Bingh. Orig. eccles. lib. 4. cap. 3. §. 12.
(*g*) Cap. 15. de Hæret. in 6.

Pœnæ per leges civiles in hæreticos decretæ.

§. XIII. Pœnis ecclesiasticis per Ecclesiam irrogatis addendæ sunt pœnæ civiles, quas summi imperantes, tanquam fidei & religionis defensores, in hæreticos statuerunt. Ejusmodi pœnæ in legibus Romanis plures & varii generis recensentur, nec omnes in cujusvis sectæ homines irrogantur, sed alii mitius, alii severius puniuntur pro qualitate hæreseon, & hæreticorum pervicacia: quin nec semper iidem eodem pœnæ genere affecti. In commune vero hæretici infamia notati, seu infames habiti, & inde eorum testimonia contra catholicos rejecta: plerique à Romana conversatione submoti, desinunt esse Romani cives: & ideo ab omnibus honoribus, militia palatina & administratione provinciæ dejecti; non tamen à castrensi, seu armata militia exclusi, neque à curia, aut cohortali militia. Præterea intestabiles facti, idest testamenti condendi in quamcunque personam criminis societate conjunctam, vel ex testamento capiendi facultate spoliati: & hinc bona hæreticorum, iisque delata velut caduca fisci commodis, vel populo Romæ vindicata. Item donandi, donationesque capiendi jure hæreticorum multi privati: nec defuerunt, quibus contrahendi, emendi, vendendi jus etiam ademptum. Multi quoque pœnæ pecuniariæ subjecti, nisi ad catholicam Ecclesiam redirent; multi ex sedibus, urbibus & provinciis quandoque expulsi: & in aliquibus casibus corporali etiam pœnæ, flagellationi & id genus aliis subjecti, antequam in exilium deportarentur. Hæ aliæque in personas hæreticorum jure Romano propositæ pœnæ salvam relinquunt vitam, easque omnes Jac. Gothofredus compendio refert (*a*), uberius vero ac fusius quisque in C. Theodosiano & Justiniano legere potest.

Nonnulli hæretici per leges Romanas pœna mortis affecti.

§. XIV. Porro leges civiles ulterius procedunt, & in nonnullos hæreticos, quorum superstitio & scelera increvisse visa sunt, ultimo supplicio animadvertunt. Et quidem Constantinus M. pœna mortis affici voluit, quotquot Arii libros occultasse deprehensi sunt (*b*), quasi qui impium dogma foverent. Inde Theodosius M. Encratitas, Saccophoros & Hydroparastatas, qui omnes Manichæorum erroribus conspurcati erant, summo supplicio & inexpiabili pœna plecti jussit (*c*). Et Arcadius procuratoribus possessionum, in quibus profana Eunomianorum & Montanistarum mysteria celebrata fuerint, ultimam animadversionem irrogavit: qua eadem pœ-

na

(*a*) Gothofr. Paratit. Cod. Theod. ad tit. de Hæreticis.
(*b*) Sozomen. lib. 1. cap. 21.
(*c*) L. 9. Cod. Theod. de Hæretic.

na affecti sunt Clerici Eunomiani & Montanistæ, si post prohibitionem urbibus ejecti, inde in aliqua urbe deprehensi essent, vel domum aliquam ingrederentur, ad suam superstitionem celebrandam (*a*). Mortis quoque pœna in eos proposita est, qui quemquam de ministris, seu potius mysteriis Ecclesiæ catholicæ rebaptizarent, tum & in rebaptizatos ipsos, si criminis per ætatem capaces essent (*b*): cujus pœnæ auctor Justinianus videtur fuisse, quamvis lex in C. Justiniani Honorio & Theodosio AA. tribuatur. Sane capitale supplicium abest à C. Th., ubi integra ea lex prostat (*c*): & præterea Augustinus post eam legem constanter asserit, ex legibus in Donatistas, qui baptizatos à catholicis rebaptizabant, gladii pœnam decretam non fuisse (*d*): ut hinc merito concludi possit, pœnam mortis contra rebaptizantes per Justinianum fuisse propositam, & Tribonianum Honorii & Theodosii legem interpolasse (*e*). Capitis quoque pœna iis irrogata, qui noxios Eunomianorum & Montanistarum libros occultarent, aut describerent (*f*). Ita tantum peculiares hæretici pœna mortis exterrentur, nec in jure Romano extat generalis lex, qua ultimum supplicium generaliter hæreticis imponatur, quod Jac. Gothofredus observat (*g*).

Omnes hæretici ultimo supplicio subjecti.

§. XV. Quæ vero lex generalis in hæreticos ultore gladio animadvertens, inter Romanas non extat, ea demum mediis christianæ religionis sæculis lata est. Post sæculum decimum innumeri in Occidente hæretici emerserunt, veluti Albigenses, Valdenses, omnes generali nomine *Patareni*, seu *Patarini* dicti, qui tum multis in fide erroribus peccabant, tum etiam Sedi Romanæ veluti bellum indixerant, eamque tanquam *synagogam Satanæ & basilicam diaboli* per summum nefas traducebant. Ergo Fridericus II., postquam cum Honorio III. summo Pontifice in concordiam rediit, Patavii degens ann. CIↃCCXXIV. severissimas contra hæreticos constitutiones edidit, quibus hæreticos pervicaces in terris imperii degentes morte & inge per magistratus affici jussit, postquam illi Ecclesiæ judicio tales judicati sint; itemque hæresim inter crimina publica recensuit, & hæreticorum bona publicari jussit (*h*). Pertinent constitutiones istæ ad imperium, seu erant ex iis, quæ *augustales* dicuntur; at præterea peculiarem constitutionem in regno Siciliæ valituram edidit, qua pœnas contra hæreticos, seu Patarenos renovavit: edixit nimirum, crimen hæresis damnatæ sectæ cujuslibet inter publica crimina maximum esse, & ipso crimine læsæ majestatis horribilius, hæreticorum bona publicari, & ipsos hæreticos pervicaces vivos ignibus consumi (*a*): mitius vero egit cum eorum fautoribus & receptatoribus, quibus perpetuum exilium, publicationem bonorum, & infamiam, qua filii etiam afficiantur, irrogavit (*b*). Cur vero hæretici posterioris ætatis generali nomine *Patareni* dicti sint, non una est omnium sententia, ut videre est apud Cangium (*c*); sed ea fortasse melior ejus nominis ratio reddi potest, quod hæretici paratissimi erant ad omnia tormenta subeunda ad suorum dogmatum confirmationem; & hinc à patiendo nomen sumsisse videntur, quam originationem ipse Fridericus proponit.

(*a*) L. 34. & 36. Cod. Theod. eod.
(*b*) L. 2 C. Ne sanctum Baptisma iteretur.
(*c*) L. 6 Cod. Theod. Ne sanctum Baptisma iteretur.
(*d*) August. epist. LXI. ad Dulcitium.
(*e*) Conf. Boehmer. Jur. eccles. lib. 5. tit. 7. §. 158.
(*f*) L. 34 C. Theod. de Hæreticis.
(*g*) Goth. f. Paratit. ad Cod. Theod. tit. de Hæretic.
(*h*) Ap. Petr. de Vineis in Friderici II. epist. pag. 175. & seq., & Goldast. tom. 1. Constit. imperial.

Religio excludere videtur coactionem.

§. XVI. Enarratis pœnis in hæreticos sive per veteres Canones, sive per Principum leges statutis, illud merito quæritur, an civiles pœnæ, infamia nempe, exilium, multæ dictio, ultimum supplicium, ultrices flammæ jure decretæ sint, & judicio Ecclesiæ probatæ. Et profecto vix videtur admittendum, solius religionis causa adhiberi pœnas civiles, quæ ad credendum vim inferant; pendet enim religio à mentis persuasione, & intimo divini numinis lumine, atque ideo non admittit coactionem. Ipse Augustinus cum nonnullis aliis Episcopis æquum non putabat, auxilium civilis potestatis implorari, quo pœnis civilibus Donatistæ ad Ecclesiam intrare cogerentur; sed potius optabat, eorum violentias per Imperatores cogi, ne eorum rabies usquequaque in catholicos sæviret (*d*). Hæresis nempe est error intellectus, & errores hujusmodi non vi, sed rationibus, & verbo Dei tantum evelli posse videntur: ipso enim Apostolo teste, arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei ad munitionum destructionem, quibus consilia destruuntur, & cogitationes in obsequium Christi adducuntur (*e*). Quin nunquam est tam major hæresis fortitudo, quam ubi citra Dei verbum tantum arma & violentia adversus hæreticos adhibentur. Ad summum violentia in causa religionis tantum falsos & simulatos credentes parat, non pietatem & rectam fidem instillat.

Ecclesia moderatas coactiones in hæreticos probavit.

§. XVII. Verum etsi admittendum videatur, violentias directo hæresibus adversari, ubi tantum solius religionis causa agitur, & hæretici à turbis & criminibus abstinent; tamen in compertis est, pœ-

(*a*) Constit. *Inconsultilem* tit. de Hæret. & pattar.
(*b*) Constit. *Patarenorum* tit. de Patarenor. receptatorib.
(*c*) Cangius in gloss. 5. *Patareni*.
(*d*) August. epist. L. ad Bonif.
(*e*) 2. ad Cor. X. v. 4. & seq.

pœnas, quæ salva vita in hæreticos irrogantur, usum habere suum, & utiles esse ipsis hæreticis, ut pœnarum rigore perterriti, melius in rationes doctrinæ suæ inquirant, & ita doctiores facti in sinum matris revertantur. Constat quippe experientia, multos inter angustias & afflictiones bonam mentem induisse, frugique factos esse, quod malis veluti excitati acrius in suam agendi rationem animum intenderint, eamque nullo fundamento nixam invenerint. Ipse Augustinus, qui vim adhiberi ob errorem Donatistis initio æquum non esse putabat, inde experientia victus agnovit, utiles esse contra hæreticos pœnas pecuniarias. Etenim ubi in Donatistas publicata est Honorii Imperatoris constitutio, qua contra eos pœna decem librarum auri irrogabatur (*a*), grandis ad catholicam fidem accessio facta est: multi scilicet, qui in schismate metu Donatistarum erant, aut suos verecundabantur offendere, ad Ecclesiam continuo transierunt: alii attentius in ipsam hæresim inquisiverunt, & nihil in ea dignum invenientes, propter quod tanta damna paterentur, sine ulla difficultate catholici facti sunt: alii, qui minus valebant per se intelligere, quid distaret inter Donatistarum errorem & catholicam veritatem, aliorum auctoritatem secuti sunt. Et ex iis, qui in perversitate permanserunt, plurimi simulando communicarunt: alii paucitate latuerunt: quin ipsi simulantes paulatim adsuescendo, & prædicationem veritatis audiendo, pro magna parte correcti sunt (*b*).

Non est Ecclesiæ sanguinem hæreticorum exposcere.

§. XVIII. Sed quod spectat pœnam mortis, quæ secundum aliquas veteres leges nonnullis hæreticis, omnibus vero secundum Friderici II. constitutionem irrogata est, ea cum Ecclesiæ doctrina & humanitate parum convenit. Repugnat Ecclesiæ fini ad mortem usque sævire. Ejus est dispersas oves Deo lucrari, ac proinde potius spatium ad pœnitentiam & conversionem hæreticis deprecari, quam eorum accelerata morte spem omnino conversionis amputare. *Nullis bonis in catholica* Ecclesia *hoc placet*, inquit Augustinus, *si usque ad mortem, in quenquam, licet hæreticum, sæviatur* (*c*). Et Chrysostomus aperte testatur, non probari in Ecclesia, si hæreticorum sanguis effundatur. *Dominus*, inquit (*d*), *prohibet colligere zizania, ne simul forte cum zizaniis herbam etiam tritici evellant: quod dicebat, ut bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur. Non prohibet conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, verum interficere atque trucidare.* Primis sæculis ob solam hæresim vix unus

(*a*) L. 39. C. Th. de Hæretic.
(*b*) August. epist. L. ad Bonif., & epist. LXVIII. ad Januar.
(*c*) August. lib. 3. contra Crescon. cap. 50.
(*d*) Chrysost. homil. XLVII. in Matth.

unus Priscillianus invenitur, qui impellentibus Episcopis morti addictus est. At id omnibus bonis Episcopis, qui alias hæresi Priscillioni adversabantur, displicuit, præsertim Martino Turonensi, qui Episcopos accusatores increpavit, ut ab accusatione desisterent, Maximum tyrannum etiam rogavit, ut sanguine infelicium abstineret, & secuta morte cum Episcopis sanguinariis fere per totam vitam communionem abrupit, quæ omnia Sulpicius Severus narrat (*a*).

Leges sanguinariæ ad terrorem olim latæ in hæreticos.

§. XIX. Jam ipsi Romani Imperatores Theodosius M., Arcadius aliique potius ad terrorem, quam ad usum pœnas sanguinis in hæreticos videntur proposuisse. Neque enim quodam exemplo constat, ante Priscillianum de ullo hæretico ob solam hæresim, aut de hæreticorum librorum occultatore, ultimum supplicium sumptum fuisse. Zelus hæreticorum, qui doctrinas suas publice spargebant, & summa cum audacia catholicis contradicebant, ejusmodi acerbissimas pœnas ab Imperatoribus videtur extorsisse, ut earum terrore audacia & publici motus compescerentur. Certe testatur Sozomenus, Theodosium M. severas pœnas contra hæreticos proposuisse, non tamen in usum deduxisse, quod satis ei fuerit, pœnarum metu illos terrere (*b*). *Et graves quidem pœnas legibus suis* contra hæreticos latis Theodosius *adscripsit*; *haudquaquam tamen executioni mandavit: neque enim punire subditos, sed tantum terrere tantummodo studebat, ut idem cum ipso de divinitate sentirent: nam & illos laudabat, qui sua sponte converterentur.* Ipsæ quoque multæ & pœna decem librarum auri ab hæreticis sæpe non exactæ, quod catholici Episcopi precibus suis pœnæ remissionem obtinuerint (*c*). Et si leges Fridericianæ in usum deductæ sint, id factum est, quod Fridericus non tam studio pietatis & religionis, quam perdendi inimicos suos, gladio & igne suas leges contra hæreticos armavit (*d*). Quo respexit Gregorius IX. eum admonens, ne perdendis fidelibus, sed delendis perfidis operam daret.

Leges sanguinarias nunquam Ecclesia probavit.

§. XX. Quæcunque vero fuerit ratio Imperatorum, qua leges suas contra hæreticos gladio & igne armarunt, certe ejusmodi sanguinariæ leges Ecclesia inscia, nec probante prodierunt. Et profecto quî poterat Ecclesia, cujus laus in humanitate & mansuetudine unice consistit, leges in hæreticos sanguine scriptas unquam probare? Statuit quidem Innocentius III. in Concilio generali, ut hæreseos damnati præsentibus sæcularibus potestatibus relinquantur

(*a*) Sulpic. Sever. Hist. sacræ lib. 2. c. 50. & dial. n. 15.
(*b*) Sozomen. lib. 7. c. 12., Conf. Fleschierius Hist. Theodosii M. Gallice scripta lib. 3. §. 26.
(*c*) August. lib. 3. contra Crescon. c. 47.
(*d*) Conf. Raynald. ann. CIↃCCXXXIII. §. 33. & seqq.

tur, *animadversione debita puniendi* (*a*): at debita animadversio non est pœna sanguinis, sed alia civilis, exilium nempe, honorum amissio, bonorum publicatio. Et procul dubio odio in Ecclesiam Romanam scribit Boehmerus, nomine *debitæ animadversionis* Innocentium intellexisse pœnam capitalem (*b*): quando enim pœna mortis & ignis mortuo demum Innocentio à Friderico II. in omnes hæreticos proposita est, quî Ecclesia in Concilio generali nomine debitæ animadversionis ultimum supplicium poterat intelligere? Aperte vero Bonifacius VIII. probat Fridericianas constitutiones, *quatenus Dei & Ecclesiæ sanctæ suæ honorem promovent, & hæreticorum exterminium prosequuntur, & statutis canonicis non obsistunt* (*c*). Sed postrema verba non obscure probant, Bonifacium probasse edicta Fridericiana, quatenus cum ecclesiastica mansuetudine componi possent. Quæ interpretatio si minus placeat, dicendum est, ex illa decretali non constare, Ecclesiam etiam ultimum supplicium & ignem à Friderico propositum probasse. Observatum nimirum est viris doctis, nullas Pontificum decretales in libris decretalium contentas satis esse ad fidei catholicæ articulum adstruendum, & hinc non semper demonstrare, quæ sit propria & vera Ecclesiæ doctrina, sed illas tantum spectare externam Ecclesiæ gubernationem (*d*).

Hæresis Regum subditos à fidelitate non solvit.

§. XXI. Illud interim verum est, in nova disciplina ad perdendos hæreticos multa singularia, & à pristina Episcoporum mansuetudine aliena inducta fuisse, qualia traditio hæreticorum judicibus sæcularibus in punitionem, bella judicio Episcoporum in hæreticos indici solita, necessitas cuique imposita accusandi quosliber hæreticos, etiam uxorem, patrem, filium, & hujus generis alia (*e*). In primis vero dogma illud vulgatum est, liberari ab omni obligatione, qui hæreticis tenebantur obstricti, etiam ab ipsa fide & subjectione Regibus debita. *Absolutos se noverint*, inquit Gregorius IX., *à debito fidelitatis hominii, & totius obsequii, quicunque lapsis manifeste in hæresim aliquo pacto, quacunque firmitate vallato, tenebantur adstricti.* Sapit doctrina ista posteriorem ætatem, qua omnia etsi alias vetita, in favorem fidei licita censentur; nam alias sit hæresis crimen enormissimum, facere certe non potest, ut pacta socialia & ipsius civitatis fundamenta, ut & promissa hominia, seu homagia ipso jure solvantur, quod veteres Patres persuasum habuere. Sane Constantius Imperator manifeste hæreticus, & Julianus apostata, Valens & Valentinianus Junior manifesti Ariani, Anastasius & plures alii Im-

(*a*) Cap. 13. §. 1. ext. de Hæretic.
(*b*) Boehmer. Jur. eccles. lib. 5. tit. 7. §. 161.
(*c*) Cap. 18 de Hæret. in 6.
(*d*) Conf. Veronius in Regula fidei §. 4., & Espen. diss. In quinque libros decretalium Gregorii IX. §. 5. Inter opera posthuma.
(*e*) Cap. ult. ext. de Hæretic.

Imperatores diversarum hæreseon fautores, & propugnatores fuerunt; Ecclesia tamen eos fidelitate, ipsis à civibus debita, aut imperio spoliare nunquam cogitavit. Et satis frigida est exceptio, tum Ecclesiæ defuisse vires temporales, quibus hæreticos Imperatores persequeretur; nam potius doctrina Patrum erat, Principibus, sive ethnicis, sive apostatis, sive hæreticis à christianis obsequium & obedientiam deberi (*a*). Quod si sub Principe apostata, aut hæretico catholica fides magnum detrimentum subeat, boni christiani est, in fide fortiter persistere: & tum magis vigere debet pastorum vigilantia, ut ab erroribus incorruptum gregem servent suum; at interim integra stare debent pacta socialia, nihil de fidelitate Principi debita minuendum.

De hæreticis, qui ad Ecclesiam catholicam revertuntur.

§. XXII. Jam si hæretici pœnitentia ducti in sinum matris reverti velint, recipiuntur quidem, sed ante omnia ex veteribus institutis perversam doctrinam scripto debent ejurare, & catholicam fidem profiteri (*b*). Facta ejuratione ex principiis veteris disciplinæ, qui in hæresi nati & baptizati erant, recipiebantur non per pœnitentiam, sed per manuum impositionem, & si in hæresi chrismate uncti non essent, etiam per sacri chrismatis unctionem (*c*): ex veterum enim sententia Baptismi apud hæreticos suscepti efficacia in suspenso erat, & tum demum operabatur, si hæretici depositis erroribus ad Ecclesiæ unitatem reverterentur, quod Augustinus & Gregorius M. docent (*d*). Hinc ubi in hæresi baptizati ad catholicam fidem transibant, per Baptismi olim suscepti vim gratia implebantur, nec pœnitentia, saltem luctuosa, indigebant; recipiebant vero manuum impositionem, qua in confirmationem & robur Spiritus sanctus dari solebat, quod in sola catholica Ecclesia Spiritus sanctus dabatur per manuum impositionem. Contra qui baptizati & educati in fide catholica in hæresim lapsi essent, si in catholicam revertebantur, per pœnitentiam recipi solebant. *Ecclesia*, inquit Augustinus (*e*), *aliter tractat illos, qui eam deserunt, si hoc ipsum pœnitendo corrigant; aliter illos qui in ea nondum fuerunt, & tunc primum ejus pacem accipiunt: illos amplius humiliando, istos lenius suscipiendo, utrosque diligendo, utrisque sanandis materna charitate serviendo.* Luctuosa autem pœnitentia, qua recipiebantur hæretici, qui in fide catholica erant baptizati, secundum Illiberitanos Canones erat decem annorum (*f*); at Synodi Agathensis & Epaonensis Canones an-

(*a*) Ambros. lib. 2. epist. IV. ad Marcellinam sororem, Conf. Dupin. de Antiq. Eccl. discipl. diss. VII. c. 2. §. 3.
(*b*) Conc. Nicæn. Can. VIII., Conc. Constantinop. I. Can. VII.
(*c*) Conf. Petrus de Marca not. in Conc. Claromont. Can. XXVIII.
(*d*) August. de Bapt. lib. 6. c. 9., Gregor. M. lib. 9. epist. LXI.
(*e*) August. epist. XLVIII. ad Vincentium.
(*f*) Conc. Illiber. Can. XXII.

antiquam severitatem relaxarunt, & trium annorum pœnitentiam imposuerunt (*a*). Hæc erat generalis regula, at pro ratione adjunctorum & personarum tempus, vel contrahebatur, vel producebatur, qua de re Binghamus disciplinæ varietatem proponit (*b*).

CAPUT XXXVII.

De schismate.

Definitio schismatis.

§. I. Schisma etiam græcum nomen est, & scissuram, seu divisionem denotat: quo generali sensu quælibet societatis abruptio, sive societas illa bona, sive mala sit, schismatis nomine venit. At in re ecclesiastica schisma proprie sic dictum est dissociatio unitatis ecclesiasticæ, ex intestinis discordiis contingens, integra tamen christiana doctrina remanente. *Schisma faciunt*, inquit Augustinus (*c*), *quibus cum eis, à quibus se dividunt, una religio est, eadem Sacramenta, nihil in christiana observatione diversum.* Et inde Pelagius Papa recte ait schismaticos *corpus Christi, hoc est sanctam Ecclesiam lacerare* (*d*). Supponit itaque schisma veram Ecclesiæ scissionem, qua dissentientes in separatos cœtus abeunt; nam si tantum dissidia inter Episcopos ob violatos Canones intercedant, & interim nulla Ecclesiæ scissura emergat, dissidia ista vocantur quidem schismata in mediæ ætatis monumentis, at proprie nullam Ecclesiæ scissuram inducunt, tantumque animorum schismata sunt, quæ tamen pacem Ecclesiæ turbare & verum schisma solent invehere (*e*). Item dissociatio unitatis Ecclesiæ tum proprie schisma censetur, si ex intestinis discordiis contingat: nam si quis ob crimen omni jure fraternitatis Ecclesiæ decreto privetur, ejectus quidem ab Ecclesiæ unitate separatur, at inde nullus exoritur schisma.

Hæresis & schisma quomodo distant.

§. II. Jam vero quoniam unitas Ecclesiæ non minus schismate, quam hæresi dissociatur, quid proprie hæresis à schismate distat, videndum est. Monstra ista in eo conveniunt, quod utrumque Christi corpus, seu Ecclesiam, dilacerant: at hæresis id facit fide læsa, schisma vero charitate corrupta; seu hæresis violat Ecclesiæ unitatem novis doctrinis, schisma ob disciplinæ causas vincula unitatis abrumpit, & episcopalem auctoritatem concutit. *Inter hæresim & schisma hoc interesse arbitramur*, inquit Hieronymus (*f*), *quod hæresis*

(*a*) Conc. Agath. Can. LX., Epaon. Can. XXIX.
(*b*) Bingham. Orig. eccles. lib. 16. c. 6. §. 17. & seqq.
(*c*) August. lib. 2. contra Crescon. c. 7.
(*d*) Can. XLIII. c. 23. q. 5.
(*e*) Conf. Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 4. c. 8.
(*f*) Can. XXVI. c. 24. q. 3.

sis perversum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. Et Augustinus (*a*): *solet quæri, schismatici quid ab hæreticis distent, & hoc inveniri, quod schismaticos non fides diversa faciat, sed communionis disrupta societas.* Interim ea est schismatis natura, ut in hæresim vertatur, quod de Donatistis Augustinus observat (*b*), apud quos contigit, ut geminatione Baptismi hæresis ex schismate nasceretur. Et in universum de schismaticis tradit Hieronymus, eos proprium aliquod dogma sibi conficere solitos, ut recte ab Ecclesia recessisse videantur. Quin si schisma diu Ecclesiam dilaceret, ex veterum sententia in hæresim degenerat; nam pervicaciæ continuatio Ecclesiæ auctoritatem contemnit, & sacras Scripturas, quæ illam commendant (*c*); ipsique schismatici obstinato animo profitentur, extra unitatem Ecclesiæ esse salutem, quod Ecclesiæ catholicæ doctrina non patitur. *Non putavit*, inquit Ambrosius de fratre suo, qui Luciferianas partes fugerat, *fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent; tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent cujus patiebantur velut quosdam artus dividi & membra lacerari.*

Schisma internum.

§. III. Quod vero schisma Ecclesiæ unitatem abrumpit, & unitas Ecclesiæ in eo consistit, quod cum sua quisque Ecclesia, & Ecclesiæ ipsæ particulares altera cum altera conjunctæ & subordinatæ esse debent, hinc duo veluti schismatis genera constitui possunt, internum unum, alterum externum. Et internum quidem si quis ab Ecclesia sua secessionem faciat, eamque excitatis turbis in diversos cœtus dissolvat. Hujusmodi schisma, auctore Hieronymo, ipso christianæ religionis initio contingit pœne in omnibus Ecclesiis, quando regimen ecclesiasticum penes Presbyteros in commune erat: cujus dissidii causa in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur (*d*). Interni dissidii quoque reus censetur Presbyter, qui, contempto Episcopo suo, seorsum congregationem faciat, & aliud altare figat, quum nihil ad pietatem & justitiam pertinens in Episcopo damnaverit; quæ est regula in Canonibus sic dictis apostolicis proposita (*e*). Separationem istam Presbyteri ab Episcopo suo *schismaticorum ortus atque conatus* Cyprianus appellat (*f*). Et quoniam inde schismata nascuntur, *quod Sacerdoti Dei*, hoc est Episcopo, *non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi co-*

(*a*) August. lib. unic. q. 17. in Matth. q. 11.
(*b*) August. lib. 2. contra Crescon. c. 7.
(*c*) Conf. Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 4. c. 8. n. 3. & seqq.
(*d*) Hieronym. in c. 1. epist. ad Titum, ap. Gratian. Can. V. D. 95.
(*e*) Can. Apost. XXXII.
(*f*) Cypr. epist. LV. al. III. ad Rogatian.

cogitatur, ut idem Cyprianus loquitur (*a*); schismatici, ut schismatis notam à se averterent, sibi Antiepiscopos constituere consueverunt. Verum hac ratione schismata potius augentur, quam extinguuntur. Tum vero ex veterum sententia schismaticus est Presbyter, qui ab Episcopo suo seorsum congregationem facit, si ob contemptum separatio contingat; nam si alias Episcopus in pietate & justitia peccet, christiani à peccatore præposito recte se separabunt (*b*).

Schisma externum.

§. IV. Externum autem schisma est, ubi Ecclesiæ particulares, quæ mutuis fœderibus & subordinatione inter se connexæ sunt, communionem inter se propter intestinas discordias abrumpunt, nec amplius unam majorem Ecclesiam componunt, sed potius tot diversos cœtus, quot sunt Ecclesiæ invicem dissidentes. Atque hoc schisma tum universale est, ubi Ecclesia aliqua, seu aliqui christiani ab unitate Ecclesiæ catholicæ, quæ ex omnibus particularibus Ecclesiis sub uno visibili capite coalescit, separantur, quales fuerunt olim Donatistæ. Hinc ut aliqui per omnia schismatici censeantur, non sufficit, quod non communicent cum aliqua Ecclesia particulari, sed insuper necesse est, ut à communione Ecclesiæ catholicæ recedant. Censentur vero recessisse à communione universalis Ecclesiæ, si recedant ab omnibus, aut maxima parte particularium Ecclesiarum, quæ Ecclesiam catholicam componunt. Qua ratione Optatus Milevitanus Donatistas schismaticos esse probat, quod ab Ecclesiarum totius orbis communione discesserant (*c*). *Videndum est*, ait, *quis in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit.* Nimirum Donatistæ in multis Africæ angulis suos cœtus agitabant, & tantum inter se adjuncti cum reliquis omnibus Ecclesiis non communicabant.

De iis, qui Ecclesiæ Romanæ communicant.

§. V. Quod vero Ecclesia Romana centrum est ecclesiasticæ unitatis, ejusque Antistes cæterorum Episcoporum caput est constitutus, ut schismatum occasiones tollerentur, ut habet veterum Patrum doctrina, profecto schismatici dici non possunt, qui summo Pontifici tanquam capiti universalis Ecclesiæ adhærent, & ei communione junguntur, & contra schismatici audiunt, qui ab eo unitatis centro recedunt. Cæterum quod Ecclesia Romana eo ipso quod centrum ecclesiasticæ unitatis constituit, etiam una est particularis Ecclesia, quæ cum aliis catholicam Ecclesiam componit, hinc docet

(*a*) Cypr. epist. LV. al. LIX. ad Cornel.
(*b*) Cypr. epist. LXVIII. al. LXVII.
(*c*) Optat. lib. 1. adversus Parmenian.

cet Nicolius (*a*), & post eum Espenius (*b*), Ecclesias quæ cum Romana Ecclesia tanquam Ecclesia particulari non communicant, nequaquam tanquam universalis schismatis reas argui posse, hoc est tanquam ab unitate totius Ecclesiæ catholicæ separatas, modo cum multis aliis Ecclesiis communionem foveant. Quo sensu schismaticæ fuisse non videntur Asianæ Ecclesiæ, quæ propter dissidium de tempore celebrationis Paschæ per Victorem Pontificem ab Ecclesiæ Romanæ communione abscissæ sunt; sive quod Victor Episcopus Romanus cum ipsa sua particulari Romana Ecclesia cum Asianis communicare noluit. Etenim etsi Asiani non communicabant cum Ecclesia Romana tanquam particulari Ecclesia; tamen cum plerisque aliis Ecclesiis, etiam Occidentalibus, quæ de tempore celebrationis Paschæ cum Victore sentiebant, in communione perstiterunt. Similiter Cyprianus aliique tum Africani, tum Orientales Episcopi, qui tenebant, Baptismum ab hæreticis datum omnino nullum esse, tanquam schismatis rei nunquam accusati sunt, etsi à Stephano Romano Episcopo communione Ecclesiæ Romanæ ejecti sint.

Causæ schismatum.

§. VI. Intestinæ autem discordiæ, quæ inter Ecclesias schismata solent inferre, ex pluribus causis erumpunt, ambitione nempe, superbia, invidentia, avaritia Antistitum, aliisque similibus causis. Sane Augustinus statuit, scissionem facere non posse, *nisi aut superbiæ timore furiosos, aut invidentiæ livore vesanos, aut sæculari commoditate corruptos, aut carnali timore perversos* (*c*). Ita schisma Donatistarum ex ipsius Augustini sententia ab ambitione natum est, quod illi ex mera æmulatione communicare nollent catholicis, qui causam Cæciliani tuebantur (*d*). Lugendum vero illud schisma & omnibus sæculis memorandum, quod florentissimas Orientis Ecclesias à capite suo sejunxit, originem duxit à contentione de diœcesibus, quas Leo Isaurus, ira in summos Pontifices percitus, ab Romana metropoli avulsit, & Constantinopolitanæ addixit. Contentio ista diu animos exacerbavit, tandem vero tempore Photii Patriarchæ Constantinopolitani in apertam scissuram abiit ob Bulgariam de novo ad fidem sub Nicolao I. conversam, à cujus possessione Ecclesia Romana per vim à Constantinopolitanis ejecta erat, quod pluribus Petrus de Marca enarrat (*e*). Qua facta divisione nata est Græculis occasio de summis christianæ religionis capitibus, & certis dis-

(*a*) Nicol. in opere de Unitate Ecclesiæ gallice scripto lib. 2. c. 10.
(*b*) Espen. part. 3. tit. 4 c. 2.
(*c*) August. contra Parmen. lib. 3.
(*d*) August. serm. IV. de Jacobo & Esau.
(*e*) Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 1. c. 1. n. 4. & seqq.

disciplinæ articulis litis movendæ adversus Romanam Ecclesiam, ut secessionem suam necessariam omnibus comprobarent. Non uno quoque schismate laboravit Ecclesia Occidentis de finibus Sacerdotii & imperii exortis controversiis, quale illud, quod propter investituras per Principes Episcopis & Abbatibus dari solitas diu Ecclesiam dilaceravit: itemque illud, quod tempore Friderici I. exortum est à contentione de hominii sacramento, quod sibi veluti jure debitum Imperator contendebat; contra Hadrianus IV. summus Pontifex ab ea servitute Episcopos in libertatem vindicabat.

Pœnæ contra schismaticos.

§. VII. Quod spectat ad pœnas contra schismaticos, Ecclesiæ Canones de schismate & hæresi eodem ferme modo loquuntur, & utrosque iisdem ferme pœnis afficiunt. Etenim licet schisma possit esse sine hæresi; tamen ut plurimum hæresim conjunctam habet, aut temporis lapsu in hæresim erumpit. At si schisma purum est, Canones sic dicti apostolici tantum deponunt Presbyteros & Clericos, qui se ab Episcopo sejungunt, & in separatum cœtum abeunt; laicos vero extra Ecclesiam projiciunt (*a*), idque ex veterum Patrum regula, quæ non patiebatur, idem crimen duplici pœna puniri. Sunt tamen nonnulli Canones, qui generatim schismaticos communione ecclesiastica dejiciunt (*b*), etiam Episcopos (*c*). Ordinationes quoque à schismaticis & hæreticis factas, & dignitatum & beneficiorum concessiones, & alienationes bonorum ecclesiasticorum Ecclesia transfixit, & omni effectu carere voluit (*d*): quamvis aliquando ordinationes hujusmodi Ecclesia tolerarit, & in nova disciplina irritæ potius usu & exercitio, quam omnino nullæ censeantur (*e*). Præterea ad pervicaces schismaticos compescendos Ecclesia sæpe civilis potestatis auxilium imploravit (*f*).

(*a*) Can. Apost. XXXII.
(*b*) Conc. Gangr. Can. VI.
(*c*) Can. XLIII. c. 23 q. 5.
(*d*) Can. I. ext. de Schismat.
(*e*) Conf. Gonzalez in c. 2. ext. eod.
(*f*) Cit. Can. XLIII.

CAPUT XXXVIII.

De simonia.

Res spirituales gratis conferendæ.

§. I. Proximum hæresi crimen ecclesiasticum simonia est, qua res spirituales & sacra officia non gratis & ex regulis christianæ religionis, sed per pecuniam conferuntur, nefario prorsus commercii genere, quo Dei dona in turpem quæstum adducuntur. Nimirum si quæ alias nequeunt pretio æstimari, ea certe sunt divina mysteria & officia ecclesiastica; qua ratione Jesus Christus Apostolis præcepit, ut gratis accepta spiritualia & ipsi gratis elargirentur: *gratis accepistis, gratis date.* Hinc ad adquirenda spiritualia animæ puritas & merita requiruntur, & procul dubio iis indigni sunt, qui non gratis ea adquirere contendunt. *Non est venalis gratia*, inquit Synodus Trullana, dum pro Eucharistiæ administratione aliquid exigere vetat (*a*), *nec pro pecuniis spiritus sanctificationem impertimur; sed ea iis, qui digni sunt, absque ulla calliditate communicanda.* Itaque profanatorum donorum cœlestium rei sunt, qui non gratis, sed pro pecunia, aut humanis respectibus ea elargiuntur, aut adquirunt.

Quam frequens ferme omni tempore fuerit simonia.

§. II. Originem simoniæ crimen habet à Simone mago, qui ab Apostolo Petro Spiritus sancti dona sibi emere volebat; deinceps vero semper infecit ecclesiasticos, præsertim post datam christianis pacem, nam primis tribus sæculis, quando nullis divitiis auctæ erant Ecclesiæ, & officia ecclesiastica plus oneris, quam commodi invehebant, admodum rara esse debuit simonia. Sed ubi per publicam pacem Ecclesia dives, potens & honorata evasit, ambitus frequentior esse cœpit in Ecclesia, multique largitionibus aut promissis dignitates & officia ecclesiastica adquirere studuerunt. Sæculo sexto in Galliarum & Germaniæ partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi ratione perveniebat, quod Gregorius M. testatur (*b*), qui pessimi mores hac eadem ætate in Ecclesia Orientali recepti erant (*c*). Præsertim vero vitium simoniæ latissime sese diffudit mediis sæculis, ubi beneficia ecclesiastica magnis reditibus aucta instituta sunt, & ubi feuda & regalia Regum beneficio Ecclesiis & Monasteriis accesserunt. Et profecto sæculo undecimo vix reperire erat aliquem ex Clericis, sive majoribus sive minoribus, qui simoniaca labe conspurcatus non esset, quod Rudolphus Glaber coævus historicus testatur (*d*). Et tempore Alexandri III. adeo increbuerant in plerisque Ecclesiis rerum ecclesiasticarum nundinationes, ut multi eas licitas ob receptam longam consuetudinem reputarunt (*e*). Nec aula Romana hac labe immunis fuit, sæculo enim decimosecundo decanus aliique Clerici Ecclesiæ Carnotensis *Ecclesiæ Romanæ consuetudine* à se admissas simonias tuebantur, teste Ivone Carnotensi. Sed res ista potius ad historiam pertinet.

Si-

(*a*) Conc. Trullan. Can. XXIII.
(*b*) Greg. M. lib. 4. epist. L. ad Virgilium Arelatens.
(*c*) Greg. M. lib. 9. epist. XL. Isicio Hierosolym.
(*d*) Rudolph. Glaber. Hist. lib. 5. cap. 5.
(*e*) Cap. 9. ext. de Simonia.

Simonia crimen gravissimum.

§. III. Jam simonia gravissimum crimen est, adeo ut scripserit Paschalis Papa, *omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo sunt reputanda* (*a*). Principio per simoniam Spiritus sancti dona in vilem conditionem reducuntur, ut eis nemo amplius præstet reverentiam. Quis enim *veneratur, quod venditur, aut quis non vile putat, quod emitur*? ut scite Gregorius M. observat (*b*). Item ubi non gratis res spirituales administrantur, disciplina ecclesiastica paulatim labitur, & religio in quæstum vertitur: etenim non optimi quique sacro ministerio augentur, sed pessimi nebulones; & in creandis sacris ministris nulla amplius de actu probatio, nulla solicitudo de moribus, nulla de vita discussio adhibetur; sed ille tantummodo dignus, qui dare potuerit, æstimatur, quod totidem ferme verbis idem Gregorius M. deplorat (*c*). Et qui ita ad sacrum ministerium promoventur, fures potius quam pastores sunt, & toti in Ecclesiæ perniciem intenti. Quæ enim sub malo pastore potest esse disciplinæ observantia? Nec omittendum, simoniacos pejores esse Macedonianis; hi enim Spiritum sanctum Dei Patris creaturam & servum faciebant; illi vero ejusdem Spiritus dona in quæstum vertunt, & quatenus possunt, sibi in servitutem Spiritum sanctum addicunt, ut Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus ratiocinatur (*d*).

Simoniæ variæ species.

§. IV. Communis ferme est apud doctores nostros simoniæ partitio in eam, quæ perfecta utrinque est, quæque *realis* passim dicitur, conventionalem, & mente conceptam. Quæ perfecta utrinque est, admittitur, si reapse per pecuniam spiritualia data sint, & pecunia item numerata. Conventionalis pacto constat, ut si pactum initum sit de danda re spirituali non gratis, & nulla vel tantum ex una parte traditio accesserit. Mente vero concepta est simonia, si quis per simulationem officii rerum spiritualium dispensatori aliquid offerat spe beneficii ab eo impetrandi: quæ simonia quum interius lateat, non ecclesiasticum judicem, sed solum Deum, qui corda hominum scrutatur, vindicem habet (*e*). His speciebus addunt etiam simoniam, quæ per *confidentiam*, seu contracta fiducia fieri dicitur, veluti si beneficium recipiam eo pacto, ut fructus illius alteri reddam, aut certe post tempore titulum restituam, aut si usque ad certam infantis ætatem in amici alicujus fide beneficium deponam, ut illud adulto resignet: in omnibus his speciebus pactio fiducia quadam innixa continetur, & de rebus spiritualibus pacisci simoniacum censetur (*a*).

(*a*) Can. XXVII. c. 1. q. 7.
(*b*) Greg. M. lib. 7. epist CXIV.
(*c*) Greg. M. loc. cit. epist. III.
(*d*) Can. XXI. c. 1. q. 1.
(*e*) Cap. 33. & seq. ext. de Simonia.

Notio rei spiritualis in causa simoniæ.

§. V. Quando autem ut simonia admittatur, res spirituales per pecuniam dari debent, quid rei spiritualis, quid pecuniæ nomine in hac causa veniat, explicandum est. Et rei spiritualis nomine veniunt proprie sic dicta spiritualia, quæ à Deo instituta sunt in Ecclesiæ stabilitatem & ad animarum salutem, qualia dona miraculorum, Spiritus sancti gratia, potestas ecclesiastica, Sacramenta, quæ media sunt, quibus Deus salutem nostram operatur. Spiritualia quoque sunt consecratio Ecclesiarum & sacrarum virginum, professio religiosa, sepultura ecclesiastica, & ecclesiastica beneficia. Præterea inter spiritualia censentur, quæ tantum lato sensu spiritualia dici possunt, & veluti per reductionem, cujus generis sunt ea, quæ spiritualibus adhærent, vel eo reducuntur, veluti pallii archiepiscopalis datio & in beneficiis electio & præsentatio; quin ipsum jus patronatus, utpote rei spirituali adnexum, pretio alienari interdictum est (*b*). Tam late patet notio rei spiritualis, atque ideo qui per pecuniam vel ipsa mere spiritualia, vel spiritualibus adnexa pretio elargitur, vel adquirere præsumit simoniacus habetur. Et quamvis Simonis magi crimen in eo positum fuerit, quod pecunia divinam virtutem, qua per manuum impositionem ad patrationem miraculorum Apostoli Spiritum sanctum dabant, adquirere tentaret (*c*); tamen Dei dona in hac causa plenius accepit Ecclesia, ut sacra omnia & iis adnexa intelligerentur, utpote quæ non per pecuniam, sed potius propter merita accipientium & in Ecclesiæ utilitatem debent administrari.

Simonia frequentior in ordinationibus & ecclesiasticis beneficiis.

§. VI. Quamvis vero tam late pateat simoniæ materies, tamen nullibi frequentius vitium hoc admissum est, quam in sacris ordinationibus & ecclesiasticis beneficiis; sæculi enim commoda inhiant in Ecclesia homines profani, quæ præsertim ex sacris ordinibus & beneficiis consequi se posse credunt. Interest autem inter veterem & novam Ecclesiæ disciplinam; nam in veteri disciplina damnantur simoniacæ ordinationes, nulla ferme facta beneficiorum mentione: contra in nova sæpe damnatur simonia in beneficiis, raro in sacris ordinationibus. Hujus diversitatis ratio ea est, quod per decem ferme priora sæcula ordinationi adhærebant beneficia, & simul cum or-

(*a*) Cap. 5. ext. de Rer. permut.
(*b*) Cap. 16. ext. de Jurepatronatus.
(*c*) Actor. VIII. v. 18. & seqq.

ordinibus jus ad proventus ecclesiasticos dabatur: inde ordinatio ministrorum à beneficii collatione separata est, ordinatio tantum potestatem spiritualem contulit; jus vero ad temporalia collationi beneficii adhæsit. Quum vero profani homines sacrum ministerium appetant ob honores & temporalia lucra, patet cur in veteri disciplina tantum damnantur simoniacæ ordinationes; in nova vero frequentissime damnatur simonia in beneficiis, raro in ordinationibus. Interim Ecclesiæ finis semper idem est & invariatus, nam damnata, sive in ordinationibus, sive in beneficiis, simonia, id Ecclesia semper intellexit, ut in electione ministrorum merita, non munera attendantur (*a*).

Pecuniæ notio in causa simoniæ.

§. VII. Nomine pecuniæ in causa simoniæ non venit tantum pecunia numerata, sed quidquid pretio æstimatur; semper enim verum est, rem spiritualem non gratis dari, ubi non propter merita accipientis, sed propter aliquod temporale commodum confertur. Hinc veteres Patres, in primis Hieronymus & Gregorius M. docuerunt, tria esse, quæ in materia simoniæ pecuniæ nomine veniunt, nempe *munus à manu*, *munus à lingua*, *& munus ab obsequio* (*b*). Quæ doctrina deinceps in Ecclesia semper custodita est. *Qui res ecclesiasticas*, inquit Urbanus II. (*c*), *non ad hoc ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simoniacus est.* Et Petrus Damianus post hæc tria munera recensita subjungit (*d*), *quisquis in dandis accipiendisque dignitatibus ecclesiasticis una dumtaxat earum, quæ prædictæ sunt, peste corrumpitur, simoniacæ hæreseos teneri crimine judicatur.* Nimirum sive munus à manu, sive munus à lingua, sive munus ab obsequio vel ipsa pecunia est, vel ejus vicem subit.

De munere à manu.

§. VIII. Et quidem munere à manu continetur pecunia stricte sic dicta, seu omne id, quod homines possident in terra. *Totum*, inquit Augustinus (*e*), *quidquid homines possident, omnia, quorum domini sunt, pecunia vocatur... ideo autem pecunia vocata est, quia antiqui totum quod habebant, in pecoribus habebant.* Hinc dare spiritualia propter munus à manu, sive propter aliquid eorum, quæ in terra possidemus, simonia est, etiamsi temporale exiguum aliquid sit. Et quidem simoniacum pronunciare non dubitavi Alexander III. Clericum, qui sex tantum solidos Archidiacono solverat, quod ipsum ad ordinem aliter præsentare noluisset (*a*). Nec necesse est, ut reapse de manu in manum temporale tradatur; sed sufficit, ut simonia dicatur, quod in effectu detur etiam fictione *brevis manus*, ut formulis jurisconsultorum utar. Itaque si collator nolit dare beneficium, nisi accipiens debitum remittat, certe uterque simoniæ vitio laborat, quod collatio gratis non fiat.

(*a*) Conf. Espen. part. 2. tit. 30. cap. 1.
(*b*) Can. VI. c. 8. q. 1. Can. CXIV. c. 1. q. 1.
(*c*) Can. VIII. c. 1. q. 3.
(*d*) Petr. Damian. lib. 2. ep. 1.
(*e*) Can. VI. c. 1. q. 3.

De munere à lingua.

§. IX. Præterea muneri à lingua pecunia & pretium inest. Munus *à lingua favor est*, inquit Gregorius M. (*b*), seu si aliquid spiritualis, aut quasi eis detur, *pro quibus majorum quisquam rogaverit*, ut loquitur Hieronymus (*c*). Et profecto favor & gratia apud homines, & maxime potentes, pretio & quidem summo æstimatur; experientia enim compertum est, sæpe plus valere gratiam & favorem potentiorum, quam summos & honestos labores. Hinc gratis non censentur dare spiritualia, qui id faciunt ad preces potentiorum, ut hinc gratiam eorum ad propriam utilitatem obtineant & vertant, sive ne quæsitam gratiam admittant. Nec enim minus prætio æstimabile censetur favorem alicujus potentioris quæsitum non amittere, quam non quæsitum comparare. Verum si preces potentiorum tantum moveant Antistites, ut in merita commendatorum inquirant, & inde tantum ob vera merita officia ecclesiastica conferant, alias non daturi, nulla est simonia, quamvis preces intercesserint, quæ est S. Thomæ doctrina, qui etiam recte tenet, simoniacum etiam apud Deum esse, qui confert quidem digno res spirituales, si id potius faciat favore precum, aut timore rogantis, quam meritis accipientis (*d*).

De munere ab obsequio.

§. X. Pecuniæ quoque vicem subit munus ab obsequio, quo nomine venit *servitus indebite impensa*, ut Gregorius M. loquitur (*e*). Quotusquisque enim est, qui non debita servitia pretio non æstimat? Scilicet nullus gratis servit, & qui gratis servire videntur, id ut plurimum spe compensationis faciunt. Itaque simoniæ rei sunt, qui servitia collatoribus, aut patronis nulla pacta mercede exhibent, sed ea conditione tacita vel expressa, ut sibi beneficium conferatur: eodemque vitio irretiuntur collatores, si eadem spe illiciant Clericos, ut sibi obsequia & servitia gratis exhibeant. Et merito Petrus Damianus quosdam aulicos Clericos perstrinxit, qui licet indebitis obsequiis ad beneficia subreperent, se tamen nulla simo-

(*a*) Cap. 20. ext de Simonia.
(*b*) Can. CXIV. c. 1. q. 1.
(*c*) Can. VI. c. 8. q. 1.
(*d*) S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 5.
(*e*) Can. CXIV. c. 1. q. 1.

moniæ labe infectos gloriabantur, quod pecuniam non dedissent (*a*). *Dic mihi, ò Clerice*, sunt verba Damiani, *quisquis es, si redempto quolibet aureo vase, vel prædio, distractor exigeret, ut retenti apud te vice pretii hujusmodi sibi sedulitatis impendium exhiberes, numquid non postmodum constanter assereres, te, quod acceptum est, justo pretio comparasse?* Nec refert, num præstitum servitium sit in rebus temporalibus, an spiritualibus, nam etiam si quis in spiritualibus servitium Episcopis ea mente gratis præstet, ut beneficium inde consequatur, procul dubio simoniacus est (*b*). Quæ quum ita sint, S. Carolus obtestatur Episcopos aliosque collatores beneficiorum, ut certam familiaribus suis mercedem constituant, ne isti ecclesiastica beneficia tanquam suæ operæ & laboris mercedem sibi proponant (*b*).

Sponte oblata in administratione spiritualium.

§. XI. Cæterum serio distinguenda sunt sponte oblata ab iis, quæ in eum finem dantur, ut spiritualia accipiantur. Sane sponte oblata in rerum spiritualium administratione recte accipiuntur, quod pluribus Thomassinus exsequitur (*d*); sunt enim potius medium, quo sacri Ministri vitam sustentent, quam rerum spiritualium pretium. Christus scilicet Apostolos suos ad prædicandum Evangelium misit, postquam illi terrena omnia relinquissent. Hinc voluit, ut de Evangelio viverent, non quod eis temporalia, tanquam sui ministerii merces, jure deberentur; sed potius quod defutura non essent media, quibus vivere possent. Ex hac doctrina, sive in administrandis Sacramentis, sive in aliis officiis ecclesiasticis exhibendis, sponte oblata Ecclesia recepit, quibus oblationibus fideles cum Ecclesia communicare etiam significabatur. Quarto sæculo adeo solemnis erat mos aliquid offerendi in Baptismi susceptione, ut multi ex pauperibus illuminari differrent, quod munus offerendum non haberent: *ubi est munus, quod post Baptismum offeram?* ut eos loquentes Gregorius Nazianzenus inducit (*e*). Eodem cum sponte oblatis jure censentur reditus ecclesiastici, quos propter officium Ministri Ecclesiæ percipiunt; sunt nimirum reditus isti media vitæ sustentandæ, non pretium rerum spiritualium, nec merces laborum, qui in Ecclesiæ ministeriis impenduntur. Et certe profani sunt Clerici illi, qui reditus ecclesiasticos sibi debitos pro laboris mercede credunt.

Omnis avaritiæ suspicio ab altaris Ministris amovenda.

§. XII. Quamvis autem sponte oblata in administrandis Sacramentis & reliquis sacris officiis accipere simoniacum non sit; tamen omnis avaritiæ turpisve quæstus suspicio ab altaris Ministris procul esse debet. Hinc Synodus Illiberitana vetuit, ne de more catechumeni tempore Baptismi nummos in concham mitterent, *ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur* (*a*). Non malum, sed mali species Canoni dedit occasionem, adeo nimirum ab omni avaritiæ & turpis lucri suspicione Ecclesiæ Ministri liberi & immunes esse debent. Qua ratione Tridentini Patres in sacris ordinationibus nec sponte oblata ab Episcopis eorumque Ministris accipi voluerunt, tantumque permittunt, ut notarii in locis, ubi non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus decimam unius aurei partem accipere possint, modo eis pro officio exercendo nullum salarium constitutum sit, nec Episcopus ex notarii commodis aliquod emolumentum percipiat (*b*). Cui disciplinæ adhærens S. Carolus statuit, ne quis Presbyterorum pro administrandis Sacramentis, ne obtentu quidem eleemosynæ, quidpiam accipiat (*c*). Et bene profecto esset, si legitima auctoritate saltem in Ecclesiis, quæ statos reditus possident, abolerentur consuetudines omnes, quæ in administratione Sacramentorum, in danda mortuis sepultura & aliis sacriis officiis aliquid offerre præcipiunt.

(*a*) Petr. Damian. lib 2. epist. 1.
(*b*) Conf. Espen. part. 2. tit 30. cap. 2.
(*c*) Conc Mediol. II. const. adversus simoniacos.
(*d*) Thomass part. 3. lib. 1. c. 69. & seq.
(*e*) Greg. Nazianz. orat. 40. de Bapt.

Simonia esse potest inscio eo, qui accipit spiritualia.

§. XIII. Jam vero ut admittatur simonia, non requiritur, ut accipiens spiritualia datæ in eum finem pecuniæ conscius sit; sed sufficit, ut collator spiritualium illam acceperit, quicumque tandem sit, qui donet (*d*). Hinc electio aliave collatio beneficii ipso jure nulla est, nullumque jus tribuit beneficiario, si quocunque modo simoniaca fuerit, etsi ipse beneficiarius vitium omnino ignoret, quod Cælestinus III. aperte respondit (*e*). Sane semper verum est, non gratis dari Ecclesiæ ministeria, ubi collator aliquid acceperit, etiam inscio beneficiario, qui in hac specie tantum extra culpam est, atque ideo excommunicatione & suspensione, in quas alii simoniaci scientes incidunt, non percellitur. Verum si qui dederint temporalia, id fecerint in fraudem & dispendium ejus, qui eligendus erat, electio sustinetur, quum malitiis hominum non sit indulgendum (*f*); licet alias qui temporalia acceperint, simoniæ rei sint.

Simonia tegitur larva pietatis.

§. XIV. Nunc sophismata & larvas, quibus simoniaci suam pravam

(*a*) Conc. Illiber. Can. XLVIII.
(*b*) Trid ses. XXI. de Ref. c. 1.
(*c*) Conf. Jussan. vit. S. Caroli lib. 8. cap. 4.
(*d*) Can. III. c. 1. q. 5., cap. 25. ext. de Simonia.
(*e*) Cap. 27. ext. eod.
(*f*) Cit. cap. 27.

vam agendi rationem tegere studuerunt, aperiamus, oportet: profani enim homines, qui alias in simoniam proclives sunt, ne nundinationis donorum divinorum rei facile convincerentur, mysteria quædam verborum & larvas excogitarunt, quibus seipsos excusarent, & simoniam, ut nostri loqui amant, *palliarent*. Sed sophismata ista pereunt omnia ad Christi doctrinam collata, *gratis accepistis, gratis date*. Harum astutiarum illa videtur antiquissima, qua sub specie pietatis tegitur simonia, ubi videlicet temporalia accipi dicuntur pro spiritualibus, ut illa in usus pietatis, veluti in eleemosynas & Ecclesias ædificandas, impendantur; cujus technæ tanquam per Episcopos sibi subjectos usurpatæ, S. Basilius meminit (*a*). At qui ita spiritualia administrat, licet alias pietatem intendat, certe non gratis elargitur. Et deinde non licet peccata gravissima admittere, ut pietas exerceatur. Ut enim bene observat Gregorius M., *aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas peccata committere* (*b*). Illud nempe tanquam justum & pium semper commendavit Ecclesia; vero tanquam nefarium semper reprobavit.

Simonia tegitur larva honorarii, aut grati animi.

§. XV. Præterea non defuerunt, qui nullam simoniæ labem esse docuerunt, si pecunia non tanquam pretium rei spiritualis detur, sed potius tanquam honorarium, vel tanquam *motivum*, ut loquuntur, nimirum ut dans spiritualia ad dandum excitetur & moveatur; itemque, si detur ad gratum animum adversus collatorem demonstrandum. Sed apage manifestas iniquitates. Etenim admissa hac doctrina, nulla in Ecclesia admitteretur simonia; quilibet enim daret non tanquam pretium, sed potius ad impellendum collatorem, & ad gratum animum demonstrandum. Quin ipse simoniacorum princeps à simonia posset hujus doctrinæ præsidio excusari, neque enim videtur obtulisse pecuniam ad emendam divinam virtutem, sed potius ut Apostoli ad eam dandam impellerentur (*c*). Rationes, unde moveri debent Ecclesiæ Ministri ad dispensanda spiritualia, non sunt lucra temporalia, sed personarum merita & Ecclesiæ utilitas. Et qui spiritualia ex doctrina Ecclesiæ procurant, à Deo tantum procurationis suæ præmium debent exspectare; adeo ut quidquid grati animi nomine dicitur exhiberi in elargiendis spiritualibus, mera larva esse videatur ad obtegendam simoniam. Ut vero internosci possit, an muneris oblatio collatoris, aut patroni animum ad conferendum beneficium, aut præsentationem faciendam impulerit, tria spectanda esse Alexander III. observat, *dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus* (*a*), quæ verissima observatio est.

(*a*) S. Basil. ep. ad Episcopos sibi subjectos inter Basilii Canones Can. XCI. apud Beveregium in pandectis Canonum.
(*b*) Greg. M. lib. 7. epist. CX., ap. Gratian. Can. XXVII. c. 1. q. 1.
(*c*) Conf. Paschal. ep. XII.

Et separatione temporalium à spiritualibus.

§. XVI. Non minus speciosa est illa simoniæ larva, qua temporalia dari dicuntur non propter ipsa sacra ministeria & officia, sed pro opibus & reditibus, qui inde percipiuntur & obveniunt. Quia quum hoc fit, inquiunt, *non emitur sacerdotium, sed possessio prædiorum: sub hac enim præstatione pecuniæ opes tantum, non honoris vel Ecclesiæ redimitur sacramentum. Venalia siquidem sunt, unde sint divites; gratis accipiunt, unde fiant Sacerdotes.* Ita quidam Capellani Gothofredi ducis apud Petrum Damianum (*b*): quos ipse Damianus tanquam *Satanæ prædicatores & apostolos Antichristi* exagitat, meritoque exclamat, *ò novum schismaticorum genus & os sacrilegum æterni silentii censura damnandum!* Sane quum reditus ecclesiastici ipsi ecclesiastico officio adhæreant, & inde pendeant (beneficium datur propter officium), qui pecuniam pro ipsis reditibus donat, & pro ipso ecclesiastico officio dedisse censetur. *Quisquis horum alterum vendit*, inquit Paschalis Papa (*c*), *sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

De larva, qua vexatio redimi dicitur.

§. XVII. Inter larvas, quibus simonia tegitur, etiam referri solet *redemtio* vexationis, qua temporalia dari dicuntur, ne ad obtinendam consecrationem sive beneficium opponatur impedimentum. Hac in re videtur distinguendum, num ille, qui impedimento est, jus habeat, vel non habeat ad spiritualium collationem. Si primum, vera est simonia, ubi pecunia datur ei, qui jus habet ad spiritualium collationem; pecunia enim, quæ datur, ne sit impedimento, revera facit, ne spiritualia gratis collata intelligantur, & vexationis redemptio est tegmen simoniæ. Hinc recte Lucius III. summus Pontifex respondit, electionem Archiepiscopi Turonensis, qui à majore Canonicorum parte electus, pecunia molestiam redemerat, quam ei minor pars inferebat, simoniæ vitio laborare. *Multum tibi consulis*, sunt verba summi Pontificis (*d*), *si administrationem celeriter ac sponte dimittas, illius verbi memor existens, nihil prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* Si alterum, nulla videtur esse rerum sacrarum nundinatio: etenim qui alteri, à quo spiritualem non consequitur, pecuniam dat, ne impedimento sit ad rei spiritualis adquisitionem, gratis accipit, maxime si jus perfectum in rem spiritualem adquisierit: licet il-

(*a*) Cap. 18. ext. de Simonia.
(*b*) Ap. Petr. Damian. lib. 1. ep. XIII. & lib. 5. ep. XIII.
(*c*) Can. VII. c. 1. q. 3.
(*d*) Cap. 23. ext. de Simonia.

ille, qui, ne impedimento sit, pecuniam accipit, injuste faciat. Quoniam vero in hac specie latere simonia potest, & periculosum est, nos in re nostra judices sedere, scite S. Carolus nemini licere statuit, *ad redimendam vexationem, ne in casibus quidem jure permissis, pecuniam dare, quidquamve pacisci, aut transigere, nisi Episcopi consensus accesserit* (*a*).

De Episcopis, qui ante ordinationem tributum solvebant.

§. XVIII. Atque ex hac doctrina simoniæ vitio liberantur Episcopi, qui certam pecuniæ quantitatem ante consecrationem Principibus offerre tenebantur, quæ abusio in Ecclesia occidentali & orientali olim obtinuit. Et quidem testatur Gregorius Turonensis (*b*), Arvernos multis muneribus à Rege Theodorico B. Galli à se in Episcopum electi impetrasse consecrationem, additque, *tum germen illud iniquum cœpit pullulare, ut sacerdotium aut venderetur à Regibus, vel compararetur à Clericis.* Cœperunt ejusmodi pensitationes in Ecclesia Romana sub Odoacre Erulorum Rege, eæque deinceps sub Regibus Gothis & sub Imperatoribus Orientis continuarunt (*c*). Vel ipse Gregorius M. ante consecrationem consuetam auri summam Imperatori pensitavit (*d*). Sed sæculo septimo ad preces Agathonis Pontificis Romana Ecclesia per Constantinum Pogonatum eo onere levata est, reservato tamen Imperatori jure electum Pontificem confirmandi (*e*). Etiam in Ecclesia orientali episcopatus saltem majores vectigales fisco evaserunt; Imperatores enim vel ipsi Patriarchas eligebant, vel ex tribus electis præferebant unum, eoque nomine certum honorarium seu tributum accipiebant (*f*). Persolvebant quidem Episcopi consuetas summas, at minime simoniæ rei erant, quod iniquo animo eam pecuniam pendebant, injustam, ut dicitur, vexationem redimentes; quod ex ipso Gregorio M., constat qui eo ipso quod consuetum auri pondus persolvit, exactionem illam, veluti divinæ legi atque ecclesiasticæ libertati adversam, multis exagitavit (*g*). Itaque persolvit, inquit Christianns Lupus (*h*), *quod nec papatum declinare posset, nec Principis avaritiam moderari. Solus Princeps, non ipse fuit simoniacus, quia iniquam ac inevitabilem vexam redemit.*

Pœna contra simoniacos secundum veteres Canones.

§. XIX. Jam vero pœna contra simoniacas ordinationes secundum veteres Canones est depositio contra Clericos, tum ordinantes,

(*a*) Conc. I. Mediolan. tit. de Constitut. contra simoniacos.
(*b*) Greg. Turon. vit. Patr. cap. 6.
(*c*) Conf. Christ. Lupus diss. de Simonia cap. 5. & seq. tom. 4. opera E. V.
(*d*) Jo. Diacon. in vit. Greg. M., Greg. M. in Psalm. 5. pœnit.
(*e*) Cant. XXI. D. 63.
(*f*) Cantacuz. lib. 41. Hist. cap. 37.
(*g*) Greg. M. loc. cit.
(*h*) Christ. Lupus. cit. diss. c. 5.

tes, tum ordinatos; excommunicatio vero contra laicos hujus criminis sequestres & interpretes, quam pœnam proposuit Synodus Chalcedonensis, inde reliqui Canones confirmarunt (*a*). Sed unus ex dictis apostolicis Canonibus, qui Synodo Chalcedonensi posterior videtur, etiam ab Ecclesiæ communione ordinantem & ordinatum abscindit (*b*). Depositio autem per Canonem Chalcedonensem non videtur eadem ratione in ordinantem & ordinatum decreta; etenim de ordinatore ait, *de proprio gradu in periculum veniat*: quibus verbis non depositio vi ipsa juris inflicta, sed ab homine infligenda designatur: de ordinato ait, *sit à dignitate vel curatione alienus*, quibus verbis depositio ipso jure inflicta irrogari videtur. Verum alii Canones & Justiniani leges & ordinantem & ordinatum ipso jure depositos exhibent (*c*). Instar omnium sunt verba Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani in litteris, quæ in Synodo Nicæna II. recitatæ & probatæ sunt: *Omnis Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus convictus, quod pro muneribus ordinationem dederit, vel acceperit, à sacerdotio cadit*, utique ipso jure. Quin magnis argumentis contendit Jo. Morinus, ordinationes simoniacas in veteri disciplina omnino nullas & irritas fuisse (*d*): quam sententiam Christianus Lupus impugnavit, contendens irritas habitas olim simoniacas ordinationes, non quasi omnino nullas sed potius illicitas, & nefarias & usu vacuas (*e*).

Depositio simoniacorum perpetua erat.

§. XX. Depositio autem contra simoniacos, qui non gratis ordines conferebant, aut accipiebant, perpetua erat, nec per pœnitentiam licebat amissos gradus recuperare. Hinc interrogantibus Britonum Episcopis, utrum per simoniam ordinati possent in ordine sacerdotali pœnitentiam agere, an tantummodo extra ordinem, & sacerdotalem fieri gradum, respondit Leo IV., nulla eos adjuvari posse pœnitentia (*f*): quod rescriptum supponit, per simoniam ordinatos, ne post actam quidem pœnitentiam posse sacerdotio restitui. Et quid quæso justius, quam ut ordine suo perpetuo caderet, qui illum per simoniam turpiter maculavit & existimavit, sacerdotii gratiam per pecuniam posse adquiri? Sic vero depositi simoniaci in monasterium *sub perenni pœnitentia* detrudebantur (*g*), idque ex veteri disciplina descendit, quæ depositos Clericos in monasteriis ad pœnitentiam includebat.

Col-

(*a*) Conc. Chalcedonens. Can. II., Aurelian. II. Can. IV., Trullan. Can. XXII.
(*b*) Can. Apost. XXX.
(*c*) Novell. VI. cap. 1.
(*d*) Joan. Morin. de Sacris ordinationib. part. 3. exercit. 5.
(*e*) Christ. Lupus cit. diss. cap. 16.
(*f*) Can. V. c. 1. q. 7.
(*g*) Can. VII. c. 1. q. 1.

Collatio beneficiorum simoniaca omnino nulla.

§. XXI. Perpetua depositio in antiquis Canonibus proposita proprie spectabat simoniacas ordinationes, quibus olim beneficia erant adnexa; at ubi beneficia seorsum ab ordinibus conferri cœperunt, depositio etiam affecit simoniacas beneficiorum collationes, eoque veteres Canones extensi sunt. *Si aliquis divinorum præceptorum & animarum salutis immemor*, ait Alexander II. (*a*), *beneficia Ecclesiæ iniqua cupiditate ductus vendere, vel emere temerario ausu præsumserit, sicut in Chalcedonensi Concilio definitum est, gradus sui periculo eum subjacere decernimus, nec ministrare possit Ecclesiæ, quam pecunia venalem fieri concupivit.* Quin collationes beneficiorum per simoniam omnino nullæ sunt & inanes (*b*), idque locum habet, tam si utrinque simonia perfecta fuerit, quam si conventione nitatur; aperte enim Urbanus II. irritum & omnino inane pronunciavit, *quidquid vel in sacris ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia adquisitum est* (*c*); ut hinc nulla ratione admitti possit eorum sententia, qui ipso jure nullas esse docent collationes beneficiorum, ubi reapse munus intervenerit; non item si tantum promissum fuerit (*d*). Nulla quoque est electio seu collatio, sive pecunia ab ipso electo, sive ad ejus amicis & parentibus eo ignorante data sit, vel promissa; semper enim verum est, electionem seu collationem non gratis factam esse (*e*). Hinc tenentur simoniaci dimittere beneficia, quæ nullo jure tenent, & suos non faciunt fructus, si quos interim percipiant.

Pœnæ contra simoniacos in nova disciplina.

§. XXII. Vetus depositionis pœna, qua Episcopi ordinantes per simoniam, itemque eodem vitio ordinati perpetuo afficiebantur, in nova disciplina desuevit, ejusque loco suspensio successit. Et ordinantes quidem ex Gregorii IX. constitutione suspenduntur à quorumcunque ordinum collatione per triennium; ordinati vero ab ordinis suscepti usu, quousque veniam à summo Pontifice impetraverint (*f*). At per constitutionem Pii V. qui ecclesiasticos ordines per simoniam susceperint, ab eorundem exercitio sunt ipso facto suspensi per decennium, & carceribus ad annum mancipantur (*g*); collator vero ex bulla Sixti V. perpetuo à quorumcunque ordinum collatione, & ab exercitio munerum pontificalium suspensus, ab ingres-

(*a*) Can. IX. c. 1. q. 3.
(*b*) Extravag. 2. de Simon. inter comm., Martin. V. sess. XLIII. Conc. Constantien.
(*c*) Can. V. c. 1. q. 3.
(*d*) Conf. Garzias de Benef. part. 8. cap. 1.
(*e*) Cap. 27. ext. de Simon.
(*f*) Cap. 45. ext. eod.
(*g*) Pius V. constit. *Cum primum.*

gressu in Ecclesiam interdicitur (*a*). Item in nova disciplina simoniaci omnes, etiam tanti criminis sequestres & mediatores, excommunicationem latæ sententiæ summo Pontifici reservatam incurrunt (*b*). Remissus fuit depositionis rigor ex frequentibus indulgentiis, quas in tanta peccantium multitudine summi Pontifices & Episcopi concesserunt, ut per simoniam ordinati Clerici gradus suos recuperarent. Etenim *ex quo hæc lepra*, inquit Christianus Lupus (*c*), *passim cœpit accipere gratiam, etiam inflicta illi per Patres depositio decrevit in pœnalem solummodo suspensionem.*

Indulgentia simoniacis concessa.

§. XXIII. Jam vero in nova disciplina tantum summo Pontifici licet simoniacis veniam indulgere, ita scilicet, ut pœnæ contra eos latæ remittantur. Et olim quidem magnus fuit in simoniacos rigor, nunquam enim videtur indultum, ut relaxatis Canonibus, qui per simoniam in Ecclesiam ingressi essent, in ea deinceps ministrare permitterentur. At post sæculum decimum, ubi simonia longe lateque pervagata erat, pœnæ contra simoniacos cœperunt relaxari, quod initio summa moderatione & prudentia factum est: datæ nimirum indulgentiæ iis, qui non per pecuniam, sed gratis à simoniacis ordinati essent; itemque iis, qui parvuli parentum cupiditate Ecclesias & ecclesiastica beneficia per pecuniam adepti essent, ut postquam Ecclesias dimisissent, in iis possent *canonice vivere*, hoc est, vitam communem & regularem agere: itemque iis, qui majoris ætatis ipsi sibi Ecclesias per pecuniam quæsiverant, indultum, ut in aliis Ecclesiis canonice viverent, & in suis ordinibus ministrarent; in suis vero Ecclesiis canonice viverent, & minoribus ordinibus contenti ad sacros ordines non accederent (*d*). Hac moderatione sæculo undecimo venia simoniacis concedebatur; at labentibus annis sine ullo delectu indulgentia & quidem plenissima omnibus simoniacis concedi cœpit, adeo ut ipsa beneficia per simoniam quæsita iis iterum collata sint, qui scientes prudentes pecuniam dedissent. Vigebant in aula Romana hi degeneres mores, quo tempore Synodus Tridentina habebatur, eosque deplorant sapientes illi theologi, qui à Paulo III. interrogati, abusiones in Synodo illa emendandas candide exposuerunt.

Auctoritas Pontificis vitium simoniæ non eluit.

§. XXIV. Venia autem & indulgentia, quam summus Pontifex pro rerum adjunctis & personarum qualitate concedit simoniacis, spectat tantum pœnas canonicas, non ipsum vitium, quod, utpote na-

(*a*) Sixtus V. const. *Sanctum & salutare.*
(*b*) Extravag. 2. de Simon. inter comm.
(*c*) Christ. Lupus cit. diss. cap. ult.
(*d*) Conf. Espen. part. 2. tit. 30. cap. 7.

natura sua malum, nulla unquam auctoritate purgari potest; atque ideo nequit summus Pontifex auctoritate sua efficere, ut collatio beneficii, quæ alias foret simoniaca, vitio illo non laboret, quæ sapientiorum theologorum & canonistarum sententia est (*a*). At qui tenent, simoniam aliam esse juris divini, aliam juris humani, seu ecclesiastici, docent, summum Pontificem posse eluere ipsum vitium, non tantum pœnas relaxare, ubi de simonia tantum jure humano interdicta agitur. Simoniam juris ecclesiastici committi ajunt in beneficiis, in quibus munus à Pontifice accipi docent non pro sacris officiis, sed pro fructibus, quum possit præbendam ab officio separare. Verum doctrina ista prorsus absurda est: jus enim percipiendorum fructuum ita sacro officio adhæret, ut sine illo nunquam intelligatur. Et bene est, quod sapientes illi theologi, quos Paulus III. de capitibus disciplinæ in Synodo Tridentina emendandis percontatus est, damnant & tanquam meros adulatores traducunt doctores illos, qui tenebant Pontificem omnium beneficiorum dominum esse, ac inde ei licere sine vitio beneficia vendere.

CAPUT XXXIX.

De pœnis & censuris ecclesiasticis generatim.

Ecclesia jure divino jus habet pœnas infligendi.

§. I. Ecclesia, quæ est hominum societas ad animarum spiritualem salutem instituta, certe jure divino potestatem habet pœnas fini suo congruas irrogandi; vix enim concipi potest hominum societas, cui jus non sit in eos animadvertendi, qui sociales leges infringunt, præsertim quando societas proprio jure & auctoritate regitur. Sane apertis constat Apostoli verbis, in Ecclesia regimen aliquod à Christo institutum, & Antistitibus demandatum: *attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei* (*b*). Quum vero regimen omni coactione destitutum nullius usus sit, patet, in Ecclesia jus esse pœnarum, quæ ejus fini conveniant, irrogandarum. Deinde aperte Christus Ecclesiæ suæ pœnas infligendi jus concessit, dum ei claves communicavit, quibus solveret & ligaret, & in sontes animadverteret (*c*). *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum..... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos.... quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveri-*

(*a*) Conf. S Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7., Christ. Lupus cit. diss. cap. 4., & Espen. part. 2. tit. 30. cap. 7.
(*b*) Actor. XX v. 28.
(*c*) Matth. XVIII. v. 15. & seqq.

ritis super terram &c. Quibus verbis edicit, eos, qui in peccatis suis pertinaces fuerint, quique nec privatorum, nec Ecclesiæ admonitionibus paruerint, à communione & jure fraternitatis expelli debere; quæ expulsio vera pœna est, utpote quæ quæsitis juribus privat. Ita constat, jure divino Ecclesiam sacro quodam imperio auctam esse, quo in sontes & contumaces animadvertat.

Confutatur systema Boehmeri de pœnis ecclesiasticis.

§. II. Quæ quum ita sint, divinæ institutioni adversantur hæretici, in primis Pfaffius & Boehmerus, qui contendunt, Ecclesiam nulla jurisdictione, nullo sacro imperio ex Christi institutione ad pœnas irrogandas auctam esse, pœnasque ecclesiasticas initio veras pœnas non fuisse, sed potius pactitias, ex confœderata nimirum disciplina pendentes (*a*). Ecclesia (hæc ferme ex tota Boehmeri philosophia) natura & origine sua collegium æquale est: cumque tribus primis sæculis nullo externo auxilio fulciretur, rationem excogitare debuit, qua à sontibus seipsam purgaret, & à tritico lolium secerneret. Ergo christiani mutuam confœderationem induxerunt, qua initis pactis se adstrinxerunt ad societatis leges sancte servandas, eosque jure fraternitatis & officio & administratione privandos, qui ex regulis societatis non viverent. *Hoc intuitu*, inquit Boehmerus (*b*), *hæc pœna erat conventionalis & pactitia, non vero, ut in republica, virtute jurisdictionis & imperii sacri infligebatur, à qua potestate adhuc plerique Episcopi alieni erant.* Ita Boehmerus ecclesiasticam potestatem omnino evertit, dum non ex Christi Servatoris concessione, sed potius ex pactis christianorum eam repetit. Sed quî fieri potest, ut Ecclesia sit æquale collegium, quando Christus Apostolos & eorum successores ejusdem regimini præfecit? Deinde verum est, primos christianos inter se fuisse confœderatos; at pœnas infligendi potestas non inde manavit, sed ab jure clavium, quo Christus Ecclesiam armavit suam, quod evangelicus contextus aperte demonstrat. Etenim postquam Christus excommunicandi potestatem Ecclesiæ suæ fecit, statim jus clavium, unde ea emanabat, proposuit (*c*): qua sermonis consequentia docuit, ligandi & solvendi jure excommunicationis potestatem contineri. Cui sententiæ universa suffragatur antiquitas, quod adeo verum est, ut ipse Boehmerus concedat, à tempore Cypriani nobiscum Patres consensisse (*d*).

Natura pœnarum ecclesiasticarum.

§. III. Illud interim verum est, pœnas ecclesiasticas longe differre à pœnis civilibus, quæ hominibus in civitate solent irroga-

ri;

(*a*) Pfaf in Originib. jur. eccles., Boehm. Jur. eccles. lib. 5. tit. 37. §. 27. & seqq.
(*b*) Boehm. loc. cit. §. 31.
(*c*) Matth XVIII 15. & seqq.
(*d*) Boehm. loc. cit. tit. 39. §. 19.

ri; illæ enim spirituales sunt, utpote quæ tantum animarum & Ecclesiæ salutem spectant. Ex societatis finibus pœnas, quibus illæ reguntur & sustinentur, metiri oportet. Qui in civitatem coalescunt, præsentis tantum vitæ commoda spectant, & securitatem: qui vero coalescunt in Ecclesiam, alterius vitæ, quæ tota spiritualis est, consecutionem intendunt. Hinc civiles pœnæ terrorem & dolorem in hominem injiciunt, adque bonis, aut jure civitatis privant; item corpus atterunt, & ipsam vitam subinde adimunt, & per equuleos, ungues, laminas, laqueum, carnifices exercentur. Contra ecclesiasticæ animam, non corpus spectant, & quæ iis inest coactio, potius in privatione alicujus boni ad religionem pertinentis, quam in irrogatione mali consistit, quamvis illius boni privatio etiam malum contineat. Et recte spiritualium pœnarum ratione Ecclesiæ potestatem Cyprianus *gladium spiritualem* dixit (*a*). Itaque pœna ecclesiastica origine & natura sua est irrogatio mali spiritualis, quod jure sacerdotii infligitur christianis invitis ob delictum admissum in emendationem delinquentis & Ecclesiæ salutem.

Coactio ecclesiastica consistit in boni privatione.

§. IV. Coactio autem, quam in irrogandis pœnis adhibet Ecclesia, non est proprie sic dicta vis externa, sed potius vis indirecta, qua boni spiritualis privatione delinquentes coguntur. Ecclesia, utpote imperio civili destituta, vim facere non potest. Itaque hortatur, suadet, docet; & ubi exhortationes ad frangendam contumaciam non sufficiunt, extra suam communionem contumaces exturbat, & Satanæ relinquit: quæ projectio per indirectum coactionem continet. Nihil quippe tam debet formidare homo christianus, quam privari jure fraternitatis, quæ ecclesiastica bona omnia communicat. *Summum futuri judicii præjudicium erat*, inquit Tertullianus (*b*), *si quis ita deliquerit, ut à communione orationis & conventus & omnis sacri commercii relegaretur.* Quod si quis animæ suæ oblitus ecclesiasticam coactionem respuat, alia arma spirituali gladio non insunt, quibus contumaces ulterius cogat. Atque ex hac doctrina intelligendus Hieronymus, qui hoc inter Reges & Episcopos discrimen ponit, quod illi *nolentibus*, hi vero *volentibus* imperent (*c*). Inde etiam docuit Chrysostomus si contemnatur Episcopus, *non oportere ultiones ingerere, sed totam ultionem esse plorare & ingemiscere* (*d*). Et inde etiam est, quod apud veteres Patres, ubi de episcopali potestate mentio fit, non adhibentur nomina *jurisdictionis, majestatis & tribunalis*, sed duntaxat *ministerii* & *cathedræ*, quod Richerius observat. Nimirum ideo volentibus Ecclesiam imperare veteres Patres tenent, quod illa vi externa, qua contumaces ad officium cogat, destituitur; nam alias ecclesiasticæ pœnæ sui generis coactionem continent.

(*a*) Cypr. epist. LXII. al. IV. ad Pompon.
(*b*) Tertull. Apol. cap. 39.
(*c*) Hieronym. epist. III. ad Nepotian.
(*d*) Chrysost. hom. ult. in epist. ad Hebræos, & in epist. ad Titum.

Pœnæ ecclesiasticæ in excommunicatione continentur.

§. V. Jam pœnæ ecclesiasticæ continentur omnes in privatione ecclesiasticæ communionis, qua ex veteribus regulis delinquentes vel in totum Ecclesiam, tanquam ethnici & publicani, ejiciuntur, aut sacro ministerio ad tempus, vel in perpetuum cadunt, vel alias communibus precibus & Eucharistiæ participatione interdicuntur. Et quidem ex sententia Cypriani disciplina & castigatio ecclesiastica in communionis christianæ, vel officii sacri privatione consistebat; scribens enim Sanctus Martyr Rogatiano Episcopo, eidem inculcat, ut Diaconum contumacem vel *deponat vel abstineat* (*a*). Præterea pœnitentiæ, quæ peccatoribus invitis irrogabantur, erant veræ pœnæ, iisque delinquentes communibus precibus & Eucharistiæ communione excludebantur. Nimirum ex veteris disciplinæ regulis publici peccatores inviti ad suscipiendam pœnitentiam per excommunicationem cogi solebant: qua ratione imposita pœnitentia veræ pœnæ rationem habebat, quæ id natura sua postulat, ut irrogetur invitis. Pœnalia enim opera sponte suscepta & libenter tolerata veræ pœnæ dici vix poterant, iisque potius ipsius criminis malitia eluebatur, quam delinquentis frangebatur contumacia. Quæ omnia si quis diligentius expendat, nullo negotio animadvertet, pœnas omnes ecclesiasticas origine sua in communionis privatione contineri.

Pœnæ ecclesiasticæ olim dictæ censuræ.

§. VI. Pœnæ autem ecclesiasticæ à veteribus Patribus, in primis Tertulliano & Cypriano, alio nomine *censuræ* dicuntur (*b*). Et si rem in origine sua attentius spectemus, apparebit, pœnis ecclesiasticis censuræ nomen potius convenire. Censura apud Romanos in privatione juris vel dignitatis consistebat; etenim notatio censoria procedebat, ut qui Senator esset, senatu ejiceretur, qui eques, equum publicum perderet, qui plebejus in Cæritum tabulas referretur, ut Asconius Pedianus docet (*c*). Nota ista censoria species erat pœnæ, seu coactionis, quæ vitia legibus non interdicta spectabat (in criminibus locum habebant pœnæ publicæ legibus propositæ) eratque in recta instituta civitate omnium magistratuum judiciis & sententiis acerbior, quod Bodinus observat (*d*). Hujusmodi naturæ origine sua sunt pœnæ ecclesiasticæ, quæ

(*a*) Cypr. epist. LXV. al. III. ad Rogatian.
(*b*) Tertull. Apol. cap. 39. & de Pudicit. cap. 16., Cypr. epist. LV. al. LIX. ad Cornel.
(*c*) Ascon. Pedian. in Ciceron. p. 20.
(*d*) Bodin. de Republ. lib. 6. c. 1.

quæ vel jure fraternitatis, vel dignitate omnino privant. Hinc ex analoga ratione placuit christianis in imperio viventibus censuræ nomen, sive ad excommunicationem, sive ad depositionem designandam usurpare, utpote quæ juribus & dignitate in Ecclesiæ quæsitis spoliabant. Ipsa etiam pœnitentia sive publica, sive privata erat vera censura: omnis enim pœnitentia, etiam mitissima, communione corporis Christi pœnitentem interdicebat: gravior vero excludebat ab omnibus communibus precibus & consecratione corporis Christi; quin etiam ubi pœnitentes inter flentes erant, ipso ingressu in Ecclesiam interdicti videntur (*a*). Cæterum in Ecclesia, præter censuras, non erant aliæ diversæ pœnæ Canonibus irrogatæ, qua in re à republica Ecclesia distabat.

Ecclesia olim pœnas civiles non irrogavit.

§. VII. Suis finibus adstricta stetit in veteri disciplina potestas ecclesiastica, & pœnis spiritualibus contenta à civilibus abstinuit. Quod adeo verum est, ut si quando intelligerent Episcopi, opus esse civilibus pœnis, vel ad cohibendos hæreticos, vel ad Clericos aut laicos in officio continendos, ejusmodi pœnas ab Imperatoribus exorare consueverint. Ita Patres Africani præsidium contra furentes Donatistas ab Honorio Imperatore petendum statuerunt, eumque rogarunt, ut pœna decem librarum auri, quæ in ordinatores & ordinatos hæreticos proposita erat, ad Donatistas apertius extenderetur, maxime contra eos, qui clandestina vel aperta violentia Ecclesias invaderent (*b*). Et paucos ante annos itidem Africani Patres ab Imperatoribus petendum edixerunt (*c*), *ut statuere dignentur, ut si quis cujuslibet honoris Clericus judicio Episcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum, sive ab Ecclesiis, quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari, interposita pœna damni, pecuniæ, aut honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse præcipiant.* Cur vero ejusmodi legem ab Imperatoribus Episcopi petunt, & non in eandem sententiam ipsi Canonem statuunt? *Lex petenda erat ob pœnam civilem*, inquit Petrus de Marca (*d*), *quæ ab Ecclesia infligi non poterat, sed tantum Canonica.*

Recentiores Canones pœnas civiles minantur.

§. VIII. Verum labentibus annis scena mutata est, & ecclesiasticis regulis passim additæ pœnæ civiles, quibus delinquentes infamia notantur, aut privatione dignitatis puniuntur. Tantæ mutationis causam præsertim præbuit Canon Carthaginensis, qui ab Imperatoribus petendum decernit, ut pœna damni, pecuniæ, atque honoris statuatur in eos, qui damnatos Clericos defenderent. Nimirum à mediæ ætatis falsariis miscellionibus Canon iste in alienum sensum detortus est, & quod à Principibus petendum erat, corruptus Canon veluti à Synodo decretum exhibuit; quasi nempe Synodus ipsa pœnam damni atque honoris statuerit contra eos, qui damnatos Clericos tuerentur. Ita corruptus Canon extat in illa farragine, quæ Concilii Carthaginensis nomen præfert, quæque vel Isidorum Mercatorem, vel alium similem falsarium habet auctorem. Accessit inde Gratianus, qui jam corruptum Canonem suum fecit, eumque sub nomine Concilii V. Carthaginensis retulit (*a*). Ex hac Canonis corruptione in tanta sæculi noni & sequentium ignorantia facile creditum fuit, non esse alienum à potestate ecclesiastica pœnas civiles irrogare: & hinc *plures mediæ ætatis Pontificum constitutiones damno honoris & privatione dignitatis afficiendos jubent, qui suis decretis reluctati fuerint*, quod Petrus de Marca observat (*b*). Addit Espenius, corruptum eundem Canonem judicibus ecclesiasticis dedisse occasionem imponendi quoque pœnas pecuniarias & civiles, præsertim quando sub nomine Concilii Carthaginensis V. per Gratianum relatus erat (*c*).

Pœnæ ecclesiasticæ à censuris distinctæ.

§. IX. Apud veteres Patres admodum simplex & plana de pœnis ecclesiasticis & censuris loquendi ratio, nec illi pœnas à censuris & irregularitatibus scrupulose distinguunt, quin potius censuras & pœnas promiscue solent usurpare. At postquam scholastica philosophia rebus sacris intexta est, de pœnis & censuris ecclesiasticis per logicas subtilitates disputari cœpit, invaluitque tandem doctrina, pœnas ecclesiasticas stricte sic dictas distingui à censuris, censuras esse tantum tres, excommunicationem, suspensionem & interdictum; irregularitates esse impedimentum canonicum, non censuras, quod Morinus aliique viri docti observant (*d*). Initio sæculi decimitertii jam dubium erat, quidnam censuræ nomine in rescriptis apostolicis intelligeretur, & ea de re Innocentius III. consultus respondit, quod *per eam* (censuram scilicet) *non solum interdicti, sed & suspensionis & excommunicationis sententia valet intelligi* (*e*). Ex hac responsione videtur scholasticis data occasio, pœnas ecclesiasticas à censuris distinguendi, & simul statuendi, tres tantum esse censuras, excommunicationem, suspensionem & interdictum: quamvis Gibalinus, & Gonzalez etiam irregularitatem ex crimine inter censuras referant (*f*).

De

(*a*) Conf. Morin de Administr. pœnit. lib. 5. c. 26. n. 18.
(*b*) Can. XCIII. C. Afr.
(*c*) Can. LXII. ejusd. C.
(*d*) Petrus de Marca de Veterib. collectionib. Canonum c. 8. n. 6.

(*a*) Can III. c. 21. q. 5.
(*b*) Petr. de Marca loc cit.
(*c*) Espen. part. 3. tit. 11. c. 1.
(*d*) Morin de Administr. pœnit. lib. 6. c. 25. n. 12., Espen. part. 3. tit. 11. c. 2.
(*e*) Cap. 20 ext de V. S.
(*f*) Gibal. de Irregular. c. 1. q. 2., Gonzalez in cit. c. 20.

Definitio pœnæ & censuræ ecclesiasticæ.

§. X. Hac recepta distinctione solliciti fuerunt theologi scholastici, & decretalium interpretes propriis notis & characteribus pœnas ecclesiasticis & censuras describere, qua in re inter omnes non convenit. Communior tamen & receptior sententia ita habet, pœnam ecclesiasticam esse privationem bonorum spiritualium, quæ in criminis punitionem sontibus infligitur; censuram vero esse privationem aliquorum spiritualium bonorum, quæ ad rei emendationem irrogatur. Similis est descriptio censuræ, quam Suarez tradit: *est pœna spiritualis & medicinalis, privans usu aliquorum spiritualium bonorum per ecclesiasticam potestatem ita imposita, ut per eandem ordinarie absolvi possit* (*a*). Itaque inter se conveniunt pœna ecclesiastica & censura, quod utraque privat usu spiritualium bonorum, distant vero, quod illa in punitionem & vindictam criminum; ista vero imponitur in emendationem & medicinam: item illa natura sua perpetua est; hæc vero, utpote in emendatione imposita, ab ecclesiastica potestate jure ordinario tolli potest. Ex quibus notis illud etiam conficitur, censuras ipsas degenerare in pœnas, si non in emendationem, sed in punitionem criminum irrogentur (*b*).

Jus infligendarum censurarum Ecclesiæ datum.

§. XI. Quoniam vero potestas ferendarum censurarum gladio spirituali adhæret, qui in clavibus regni cœlorum continetur, hinc origine sua potestas illa Ecclesiæ competit. Nimirum claves regni cœlorum Ecclesiæ datæ sunt (*c*): & licet Christus eas Petro promiserit; tamen veteres Patres id factum tradunt ad Ecclesiæ unitatem demonstrandam, & quod Petrus Ecclesiæ personam referebat. *Petrus, quando claves accepit*, inquit Augustinus (*d*), *Ecclesiam sanctam significavit.* Ecclesiæ autem nomine in sacris litteris non Sacerdotes soli, sed universus fidelium cœtus intelligitur. At non propterea fideles omnes censuras ferre possunt; nam Ecclesiæ claves datæ sunt, ut per ejus ministros seu præpositos exercerentur: quo sensu recte dici potest, solis Sacerdotibus claves fuisse communicatas. Recte observatum Tostato Abulensi, jurisdictionem quidem competere posse multitudini; at ejus exercitium & usum vix per multitudinem, præsertim si numerosior fuerit, posse explicari (*e*). Hinc Christus Ecclesiæ suæ consulens pastores & præpositos instituit, qui spiritualem potestatem veluti Ecclesiæ nomine in usum deducerent. Atque ex clavium potestate Ecclesiæ communicata factum

(*a*) Suarez de Censur. disp. 1. sect. 1.
(*b*) Conf. Gibal. de Sacra jurisd. disq. 1. q. 2.
(*c*) Conf. superius dicta cap. 1. §. 6. & seq.
(*d*) August. tract. 50. in Joann.
(*e*) Tostat. Abulens. in c. 15. Numer. q. 48.

tum videtur, ut primis Ecclesiæ sæculis non soli Episcopi, sed cum eis Presbyteri, accedente etiam nonnunquam laicorum consensu, excommunicationis judicium in noxios ferrent, quod pluribus Dupinus probat (*a*).

Irrogatio censurarum erat fori interni.

§. XII. Jus vero infligendarum censurarum in veteri disciplina sejunctum non fuit à potestate clavium, quæ spectat forum internum. Nimirum, ut recte Morinus docet, forum ecclesiasticum, quod criminum punitionem eorumque medelas spectat, in veteri disciplina unum fuit, & omnis potestas ecclesiastica à sacerdotio pendebat. Ita non erat alius Presbyter, qui excommunicationem, alius qui peccata solveret, ad quem soluta excommunicatione peccator remitti deberet: nec aliud erat forum, in quo excommunicandus vel excommunicatus judicabatur, aliud in quo pœnitens excommunicatione relaxata: sed unus homo, Episcopus scilicet vel Presbyter, unius ejusdem fori præses id præstabat, vel si antiquissima tempora respicias, id præstabat Episcopus Presbyteris assessoribus cinctus. Et quamvis absolutio à censuris, seu ab excommunicatione diversa fuerit à sacramentali peccatorum absolutione; nam excommunicatus statim ac inter pœnitentes admittebatur, in Ecclesiæ pacem erat restitutus; tamen ex usu veteris disciplinæ relaxatio excommunicationis ad forum pœnitentiæ spectabat, & veluti præparatio ad promerendam à peccatis absolutionem usurpabatur, vinculoque necessario ex Ecclesiæ mente cum absolutione sacramentali ab iisdem judicibus accipienda connectebantur. Nec quod in excommunicatione aliaque simili publica peccatorum vindicta adhiberi solerent multa judicialia, id unius fori naturam mutabat; nam hæc omnia saltem per accidens Sacramento Pœnitentiæ adhærebant (*b*).

Sed in nova disciplina pertinent ad forum externum.

§. XIII. Verum labentibus annis hæc disciplina mutata est, & irrogatio censurarum earumque relaxatio diverso plane judicio ab judicio sacramentali peragi cœpit. Forum internum, ubi forenses tricæ in Ecclesiam irrepserunt, in duo abiit, unum sacramentale, alterum externum & judiciale; quorum illud Sacramentum Pœnitentiæ procul omnibus juris ambagibus administrat, hoc vero causas judiciali modo disceptat, & censuras infligit. Et licet forum pœnitenti le auctoritate, virtute & Spiritus Sancti communicatione multum prævaleret & dignius esset judiciali & contentioso; tamen hoc judiciale & minus dignum primario alicui Presbytero cæteris domina-

(*a*) Dupin. de Antiq. Eccles. discipl. diss. 3. c. 1.
(*b*) Conf. Morin. de Administr. pœnit. lib. 1. c. 10. n. 1.

naturo delegatum est, prioris vero sive pœnitentialis exercitium inferioribus Presbyteris cessit (*a*). Qua facta separatione receptum est, auctoritatem fori externi & judicialis nec rationem Sacramenti, neque remissionem culpæ in foro interno, sive coram Deo, attingere; sed tantum ligamen, vel absolutionem in foro externo spectare. Hinc absolutus in Sacramento Pœnitentiæ adhuc remanet fori externi vinculis irretitus, donec in foro judiciali censura relaxetur; & vicissim solutus nexu censurarum adhuc vinculis fori interni subjacet. Cumque tantum inter se distarent duo ista Ecclesiæ fora, theologi etiam docuerunt, forum internum potestate ordinis stricte sic dicta niti; forum vero externum sola jurisdictionis potestate armari: nec ad exercendam jurisdictionem satis esse, ut quis in foro interno retinendi & dimittendi peccata habeat potestatem.

Quis in nova disciplina censuras irrogat.

§. XIV. Quando autem irrogatio censurarum in nova disciplina potestati clavium, quæ in foro exteriore exercetur, adhæret, illi tantum censuras licet infligere, cui vel proprio jure, vel alterius delegatione jurisdictio ecclesiastica in foro externo competit. Ita dubium non est, posse Episcopos, licet non consecratos, sed tantum confirmatos censuras ferre, quod secundum novam disciplinam confirmatio Episcopis jurisdictionem tribuat. Mediis quoque sæculis Parochi, Decani rurales & Archidiaconi etiam censuras ferebant (*b*), quod assiduis moribus jurisdictionem ecclesiasticam sibi quæsiverant. Quin potestas irrogandarum censurarum etiam simplici Clerico, utpote qui ecclesiasticæ jurisdictionis capax est, competere potest, veluti si ab Episcopo Vicarius generalis constituatur. Quod vero ordinis ecclesiastici omnino expertes exercitii spiritualis potestatis, quæ ab jure clavium descendit, omnino incapaces sunt, nec laici, nec feminæ, etsi alias in ecclesiastica dignitate constitutæ, potestate ferendarum censurarum unquam possunt augeri; quod communiter docent doctores post Innocentium III., qui ita rescripsit, *licet beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis universis; non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cælorum commissit* (*c*).

De censuris, quæ à laicis irrogantur.

§. XV. At huic doctrinæ, quod laici potestatis infligendarum censurarum augeri nequeant, obstant antiquæ Monachorum regulæ, unde constat Abbates, etsi laicos, Monachos excommunicare consue-

(*a*) Conf. Morin. loc. cit. c. 9. n. 6.
(*b*) Cap. 1. & 3. ext. de Off. ordinar., cap. 11. ext. de Major. & obedient.
(*c*) Cap. 10. ext. de Pœnit. & remissionib.

suevisse (*a*); itemque exemplum illius Abbatissæ, quæ canonicas & Clericos suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientias & culpas eorum ab officio & beneficio suspendebat, quod Honorius III. refert & probat (*b*). Verum excommunicationes, quas Abbates laici olim Monachis irrogabant, non erant proprie sic dictæ mortales excommunicationes, quæ extra corpus Christi seu Ecclesiam projiciebant; sed potius salutares admonitiones, quæ communione Monachorum, vel in totum, vel pro parte interdicebant. Et ex sententia interpretum suspensio ab Abbatissa irrogari solita erat præceptum & mandatum, quo vi subjectionis tenebantur Canonicæ & Clerici illi obedire, non vera censura. Sane summus Pontifex non respondit, servari debere censuram ab Abbatissa latam, sed *ejus salubria monita & mandata*; & inde cuidam Abbati injungit, ut si subditi Abbatissæ obedire noluerint, eos per censuras obedire compellat, indicans, Abbatissæ suspensionem non fuisse censuram, sed simplicem prohibitionem seu mandatum, quod lato sensu censura dictum est. Hæc tamen responsio Espenio non satisfacit, qui propterea addit, suspensionem antiquitus non æque ac hodie censuris à potestate clavium dependentibus fuisse adnumeratam (*c*).

De legibus Principum, quæ excommunicationes minantur.

§. XVI. Præterea multæ extant leges Principum christianorum, in quibus excommunicationes decretæ occurrunt, quasi etiam Regibus facultas infligendi censuras competat. Ita edicto Theodosii M. hæretici, præsertim qui Nicænam fidem non reciperent, *ab omni submoti Ecclesiarum limine arcentur* (*d*). Hæretici quoque, & in primis Apollinariani, alia ejusdem Principis lege, *à congressu honestorum & à communione sanctorum* inhibentur (*e*). Item alia edita lege idem Theodosius statuit, ut feminæ, quæ crimen suum contra divinas humanasque leges instinctu persuasæ professionis absciderint, *ab Ecclesiæ foribus arceantur*; *non illis fas sit sacrata adire mysteria* (*f*). Et Arcadii lege statuitur, eos, qui ab Arsacii, Theodosii & Porphyrii Episcoporum communione dissentiunt, *ab Ecclesia procul dubio repellendos* (*g*). Id genus alia habentur tam in Theodosiano, quam Justinianeo codice passim obvia: in primis vero negotium facessunt Justiniani constitutiones, qui suis legibus contra hæreticos latis excommunicationem adjungit hac formula, *anathematizamus* (*h*). Sed si attente expendantur Principum pleræque istius-

(*a*) Reg. Bened. cap. 25. & 44.
(*b*) Cap. 12. ext. de Majorit. & obed.
(*c*) Espen. part. 3. tit. 11. cap. 2.
(*d*) L. 6. Cod. Th. de Hæret.
(*e*) L. 14. Cod. Th. eod.
(*f*) L. 27. Cod. Th. de Episc.
(*g*) L. 6. Cod. Th. de His, qui super religione contendunt.
(*h*) L. 5. & l. 6. §. 2. 3. & 4. C. de Summa Trinit.

tiusmodi leges, apparebit, non eos excommunicationes irrogare; sed potius edicere, ut ab judicibus competentibus ferantur (*a*). Quid quod Principes sæpe excommunicationes decernunt ad Canonum executionem? Formula vero *anathematizamus* apud Justinianum non proprie excommunicationem denotat, sed potius execrationem & rei anathematizatæ perditionem & destructionem. Quo sensu laici aliquot in Synodo Ephesana Quartadecimanos & alios hæreticos & eorum hæreses *anathematizabant* (*b*).

Qui censuris subjecti.

§. XVII. Censuris tantum obstringi possunt homines baptizati, qui gravioris criminis rei sunt, & potestati ejus, qui censuras irrogat, subjecti. Itaque ethnici, Judæi, ac etiam cathecumeni censuris non innodantur. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* inquit Apostolus (*c*). Sane per censuras communio ecclesiastica sive in totum, sive pro parte interdicitur, & qui foris sunt quî extra communionem abjici possunt? Sed in hæreticos, schismaticos & apostatas recte Ecclesia censuris animadvertit, ut ad fidem & obedientiam, à qua desciverunt, revertantur. Quod si in eos, qui subditi non sunt, censura feratur, nulla & irrita est defectu jurisdictionis. Ne vero propter exemptiones ab jurisdictione Episcoporum censuræ episcopales à regularibus contemnantur, atque ita earum vilescat auctoritas, statuit Synodus Tridentina, ut censuræ & interdicta ab ordinariis lata ex mandato Episcopi à regularibus in suis Ecclesiis publicentur, atque serventur (*d*).

An magistratus & Reges censuris obstringi possint?

§. XVIII. Subjici vero possunt censuris non tantum privatæ conditionis christiani, verum etiam magistratus, etiam Reges. Sane licet Reges in republica à nullo dependeant, tamen in Ecclesia christiani sunt, & legibus ecclesiasticis debent obtemperare, aut ab ea excedere (*e*). Hinc Chrysostomus (*f*) opportune Clericos suos instruit, ut indignos quoslibet cujusque dignitatis ad Eucharistiam non admittant, *si dux quispiam, si consul ipse, si qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe ac coerce, majorem tu illo habes potestatem.* Et reapse constat, etiam in veteri disciplina multos Principes ob admissa crimina Ecclesia ejectos fuisse. Sic Philippus Imperator, si vera Eusebius narrat (*g*), excommunicatus & Ecclesia ejectus est,

(*a*) L. 27. Cod. Th. de Episc., l. 54. Cod. Th. de Hæreticis, l. 42. §. 10. Cod. de Episc.
(*b*) Conc Ephes. part. 2. act. 6.
(*c*) 1. ad Cor. V. v. 12.
(*d*) Trid. ses. XXV. de Regularib. cap. 12.
(*e*) Conf. Dupin de Antiq. Eccles. discipl. diss. 3. cap. 2.
(*f*) Chrysost. hom. LXXXII. sive LXXXIII. in Matth.
(*g*) Euseb. lib. 6. Hist. eccl. cap .34.

est, donec pœnitentiam ageret. Ambrosius Maximum tyrannum (*a*) & Theodosium M. à communione & Ecclesiæ ingressu interdixit (*b*). Et ut multa alia exempla mittam, Chrysostomus Eudoxiam Imperatricem aditu Ecclesiæ prohibuisse fertur. Et licet ejusmodi excommunicationes non semper mortales fuerint, sed potius medicinales; tamen inde recte concluditur, etiam mortali excommunicatione Imperatores plecti potuisse, si Ecclesiæ vocanti contumaces resisterent. Quod si aliqui negarint, Reges posse excommunicari, id de excommunicatione videntur intellexisse, qua ex placitis posterioris disciplinæ non solum ecclesiastica communione & juribus fraternitatis, verum etiam regnis & imperio privari credebantur. Cæterum nunquam, aut raro expedit, Reges ecclesiastica communione interdicere; plus enim inde detrimenti, quam boni Ecclesiæ solet evenire, nec id fieri potest sine magno periculo schismatis, aut pacis publicæ perturbatione. Qua in re veterum Antistitum prudentia summa fuit, qui multos Imperatores vel manifestos hæreticos, & Ecclesiæ infensos lata sententia communione christiana non exturbarunt, ne ea ratione animos eorum magis in Ecclesiam exacerbarent (*c*).

An mortui censuris Ecclesiæ subjecti?

§. XIX. Quæres num christianis in communione Ecclesiæ defunctis possint anathema & censura irrogari, si constiterit, eos, dum adhuc erant in vivis, crimina admisisse, quæ censuris plecti deberent. Et quidem si agatur de censuris proprie sic dictis, eæ in mortuos nequeunt irrogari; non enim ecclesiastica communione, sive in totum, sive pro parte recte excluduntur, qui amplius inter vivos non versantur. At non veratur Ecclesia mortuos detestari & execrari ob ea, quæ viventes plane senserunt, aut fecerunt; quo sensu recte in mortuos fertur anathema, non quod communione Ecclesiæ proprie exscindantur, sed quod Ecclesia eorum memoriam detestatur (*d*). Antiqua est ejusmodi disciplina in Ecclesia Africana: Cyprianus enim vetuit cujusdam Gemini Victoris jam mortui deprecationem in Ecclesia fieri, aut ejus nomine recipi oblationes, eo quod ille contra regulam in Concilio factam Presbyterum quendam testamento suo tutorem constituisset (*e*). Et in Canonibus Africanis anathema post mortem etiam dicitur Episcopo, qui ethnicos aut hæreticos heredes sibi institueret: *post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur* (*f*). Contra Ecclesia Romana tempore Leonis M. tenebat, de mortuis judicium ullum

(*a*) Paulin. vit. Ambros.
(*b*) Theodoret. lib. 5. cap. 18.
(*c*) Conf. Dupin. loc. cit.
(*d*) Conf. Dupin. de Antiq. Eccles. discipl. diss. 3. cap. 2.
(*e*) Cyprian. ep. LXVI. al. I. ad clerum Furnitan.
(*f*) Can. LXXXI. Cod. Afric.

lum ferri non licere, utpote qui Dei judicio jam erant addicti (*a*). In Ecclesia orientali primis sæculis rara occurrunt exempla mortuorum execratorum; at in Synodo quinta generali mos execrandi mortuos probatus est; Synodus enim illa Theodoro Mopsuesteno jam mortuo anathema dixit. Et exinde in Ecclesia Romana sensim eædem execrationes etiam admissæ. Dum mortuos Ecclesia anathemate feriebat, eorum nomina à diptychis Ecclesiæ, seu libris mortuorum, eradebat, ut ita eorum nomina non amplius inter synaxes recitarentur, nec pro iis oblatio fieret.

CAPUT XL.

De excommunicatione.

Communio ecclesiastica in quibus consistit.

§. I. Potissima censurarum species excommunicatio est, unde veluti totidem rivuli suspensiones & interdicta manarunt. Excommunicatio vi nominis eadem est ac ejectio de Ecclesiæ communione, diciturque etiam in vetustis monumentis *segregatio*, *abstentio*, *abjectio*, aliisque vocibus, quæ separationem designant. Communio autem ecclesiastica consistit in actionibus & exercitiis religionis, quibus christiani, tanquam unius Ecclesiæ membra, inter se communicant, & in unam societatem coalescunt. Sunt religionis exercitia ecclesiastici ritus, Sacramenta & officia omnia ecclesiastica, quorum celebrationi interesse christianis omnibus licet. Ecclesiæ item particulares, quæ ex grege pastori suo adhærente coalescunt, inter se mutuo communicant, ex qua communione Ecclesia catholica oritur (*b*). Explicabatur vero communio ista inter Ecclesias duobus præcipue modis, admissis nempe ad sacra officia alterius Ecclesiæ christianis, qui extra suam Ecclesiam peregrinabantur, modo litteras communicatorias deferrent, & litteris formatis, quas propter negotia ecclesiastica Episcopi sibi mutuo dabant. Et hinc illud Optati, *totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.*

Excommunicatio mortalis *sive major.*

§. II. Quoniam vero communio ecclesiastica suos habet gradus, variæ quoque in Ecclesia excommunicationis species fuerunt, quæ tamen ad duas referri possunt, excommunicationem nempe majorem, & minorem. Major excommunicatio, quæ *mortalis* & *anathema* veteribus dicebatur, in christianos gravium criminum reos fer-

(*a*) Leo M. ep. LXXXIII. ad Theodorum Forojuliens. edit. Quesn., Gelas. Papa ep. ad Episc. Dardaniæ.
(*b*) Conf. superius dicta part. 1. cap. 1. §. 19. & seq.

fertur, qui in sceleribus pertinaces crimen suum agnoscere & detestari detrectant, & inde tanquam ethnici & publicani reputantur. Mortalis ab antiquis hæc excommunicatio dicta est, quod peccatores corpore Christi, seu Ecclesia, abscissi in mortem traditi videbantur, salus etiam & christiana vita nulla esse potest extra Ecclesiæ communionem. Et hæc ipsa excommunicatio est, quam Christus ipse expressit, dum fratres tanquam ethnicos & publicanos haberi præcepit, si nec privata & quidem duplici, nec publica Ecclesiæ admonitione à peccando desistant (*a*).

Excommunicatio medicinalis.

§. III. Minor excommunicatio veteribus *medicinalis* dicebatur, & ferebatur in eos, qui vel per spontaneam confessionem, vel per convictionem alicujus criminis rei erant; & quia pœnitentiam & pacem petebant, à communione eucharistica & reliquis sacris officiis ad tempus removebantur tam in medicinam, quam ad exemplum. Itaque hæc excommunicatio fidelem à corpore Christi tanquam ethnicum & publicanum non abscindebat, sed tantum inter publicos pœnitentes ablegabat. *Neque enim*, inquit Augustinus (*b*), *à populo Dei separamus, quos degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitentiæ locum redigimus.* Et alio loco idem Augustinus medicinalem excommunicationem tanquam veram pœnitentiam describit (*c*). *Agunt etiam homines pœnitentiam, si post Baptismum ita peccaverint, ut excommunicari, & postea reconciliari mereantur.* Nimirum qui publicam pœnitentiam subibant, eucharistica communione & sacrorum commercio excludebantur: non tamen erant extra Ecclesiam tanquam ethnici & publicani. Et recte observat Morinus, tot olim fuisse species medicinalis excommunicationis, quot erant publicæ pœnitentiæ gradus (*d*).

De Ecclesiis, quæ se mutuo excommunicabant.

§. IV. Species quoque minoris seu medicinalis excommunicationis illa etiam veteribus erat, qua Episcopi, aut Ecclesiæ se à mutua communione separabant, atque inde non mittebant, aut missas rejiciebant litteras communicatorias, nec alterius à se excommunicatæ Ecclesiæ filios in suam communionem admittebant, etsi litteris commendatitiis sui Episcopi instructi venirent. Locum habebat hæc excommunicatio, si Ecclesia aut Episcopus in altera Ecclesia aliquid perversum, vel in fide doceri, aut in disciplina fieri arbitrabatur. Ita Epiphanius Joannis Episcopi Hierosolymitani rejecit communionem, quod Origenis errores & dogma-

ta

(*a*) Matth. XVIII. 15. & seqq.
(*b*) August. lib. post collat. contra Donatistas.
(*c*) August. epist. CVIII.
(*d*) Morin. de Administr. pœnit. lib. 6. cap. 25. n. 13.

ta illum defendere sciret (*a*). Quin tanta est christianorum libertas, ut eis licuerit vel à proprio pastore separationem instituere, si aliquid in ejus fide dissonum animadvertissent, quod constat exemplo populi Constantinopolitani, qui ubi primum Nestorius Patriarcha suam hæresim in publica synaxi promsit, dicendo, *si quis Mariam Deiparam esse dixerit, anathema sit*, exhorruit, & à synaxi se abstinuit, quod S. Cyrillus Alexandrinus testatur (*b*). Quod vero facile Episcopi aliis Episcopis, & plebes proprio Episcopo communionem subtrahere solebant, statuit (*c*) Synodus VIII. Œcumenica, ut Clericus Episcopi sui, & Episcopus Metropolitæ, & Metropolita Patriarchæ communionem non repudiet ante diligentem examinationem & synodicam sententiam. Interim hæc Ecclesiarum & Episcoporum mutua excommunicatio proprie censura ecclesiastica non erat, si communione exclusi excommunicanti non subjiciebantur; sed potius nuda communionis subtractio, seu denegatio, quam una Ecclesia alteri sibi non subjectæ poterat denegare.

De excommunicatione minore in nova disciplina.

§. V. Hæ & aliæ minoris excommunicationis species apud veteres occurrunt, quæ labentibus annis mutata ecclesiastica disciplina fere nullius usus evaserunt. At in nova disciplina minor excommunicatio ea dicitur, qua innodatus Sacramenta suscipere vetatur, nec ad beneficia potest promoveri. Contrahitur hæc excommunicatio ubi quis cum excommunicato & prorsus Ecclesia ejecto extra crimen communicat. Ignota veteribus fuit hoc sensu minor excommunicatio, & forte primus de ea Gregorius IX. loquitur (*d*): stante enim veteri disciplina, qui cum excommunicato communicabat, eandem omnino excommunicationem incurrebat: sed post sæculum decimum in magna excommunicatorum multitudine mitigatum est anathematis scabiosum contagium, inductumque, ut qui cum excommunicato extra crimen communicaret, tantum à perceptione Sacramentorum & beneficiis excluderetur. Sed excommunicationis istius in plerisque locis hodie vix aliquis usus reliquus est.

Propria excommunicationis *&* anathematis *notio.*

§. VI. Jam vero in veteribus monumentis generali excommunicationis nomine sæpe medicinalis, aut alia partialis excommunicatio intelligitur, qua christiani vel eucharistica communione, aut communibus precibus, aut fraterno & episcopali consortio excludebantur, quod viris doctis observatum est (*e*): veteres enim Canones & Patres, dum aliquem excommunicatum dicunt, sæpe numero indicant, eum ab Ecclesia tanquam ethnicum & publicanum ejectum non esse, sed tantum communibus precibus & Eucharistiæ communione in pœnitentiam abstineri (*a*). Major seu mortalis excommunicatio à veteribus proprio nomine *anathema* dicta est, eaque percussi *anathematizati*. Anathema usu scripturarum rem execrabilem & exitio dignam denotat, quod pluribus Dupinus probat (*b*). Quum vero qui ab Ecclesia omnino ejecti erant, tanquam ethnici & publicani haberentur, atque ideo execrabiles & tanquam flammis æternis digni putarentur, hinc vox anathema apta visa est, qua major excommunicatio diceretur. Verum in nova disciplina, desuetis ferme omnibus excommunicationis medicinalis speciebus vocabula alias significationes induerunt; siquidem nomine *excommunicationis* simpliciter dictæ ipsa major excommunicatio venire cœpit, quod Gregorius IX. respondit (*c*), ac ideo quæ excommunicatio à Christi corpore non separat, *minor* dicta est.

In nova disciplina tres species excommunicationis.

§. VII. Hac nova inducta vocum significatione excommunicatio simpliciter dicta, seu major sensim à theologis & canonistis veluti diversa ab anathemate haberi cœpit, creditumque per anathema ipsam excommunicationem intendi & veluti augeri. Ita ex eorum sententia excommunicatio est quæ fertur sine ulla solemnitate; anathema vero, si solemnitas addatur. Ergo anathematismus est veluti auxesis & aggregatio detestationis contra excommunicatum contumacem, & excommunicationem præcedentem auget non vi ipsa segregationis, sed potius majorum execrationum horrore. Extant hujus novæ disciplinæ vestigia in quadam Cælestini III. seu, ut Cujacius sentit, Clementis III. decretali (*d*). Et in pontificalia Romano triplex excommunicationis species proponitur *minor*, *major* & *anathema* (*e*). Videtur distinctio ista ab ignorantia antiquitatis originem habuisse. Nimirum in antiquis Canonibus sæpe dicitur, excommunicatum, si rebellis & contumax perseveret, anathemate feriendum: excommunicatus autem veteribus erat, qui medicinali excommunicatione plectebatur. At theologi & canonistæ novis opinionibus imbuti excommunicationem illam medicinalem tanquam majorem interpretati sunt, & inde eam ab anathemate distinxerunt (*f*).

Item

(*a*) Epiph. epist. LX. inter Hieronym.
(*b*) Cyril. epist. XVIII. ad Cælestin. Papam.
(*c*) Conc. VIII. Can. X.
(*d*) Cap. ult. ext. de Clerico excomm. ministr., cap. 59. ext. de Sentent. excomm.
(*e*) Conf. Gonzalez in cap. 59. ext. de Sentent. excomm.

(*a*) Can. XII. c. 3. q. 4., Can. XLI. c. 11. q. 3., August. lib. post collat. contra Donatistas.
(*b*) Dupin. de Veteri Eccles. discipl. diss. III. cap. 2.
(*c*) Cap. 52. ext. de Sent. excommun.
(*d*) Cap. 10. ext. de Judic.
(*e*) Pontif. Roman. tit. Ordo excommunicandi.
(*f*) Conf. Espen. tract. de Censur. cap. 1. §. 3.

Item excommunicatio alia ferendæ, *alia* latæ sententiæ.

§. VIII. Præterea in nova disciplina celebris est partitio excommunicationis in eam, quæ *ferendæ sententiæ*, & in eam, quæ *latæ sententiæ* dici consuevit. Excommunicatio ferendæ sententiæ ministerio judicis per sententiam irrogatur, atque ideo Canonis transgressor per solum crimen non incurrit in excommunicationem, sed demum ubi judex cognovit, & sententiam pronunciavit. Excommunicatio latæ sententiæ ipso facto, sive admissione delicti, sine judicis sententia ab ipso Canone infertur, incurriturque ipsa Canonis transgressione. Quoniam vero excommunicatio ista, præter delictum seu Canonis transgressionem, nullam judicis sententiam requirit, hinc vocari solet *excommunicatio Canonis* vel *juris*; quemadmodum ea, quam judex infert, *hominis* seu *judicis* excommunicatio audit. Ex formulis, quibus Canones utuntur, quæ sit ferendæ, quæ latæ sententiæ excommunicatio facile discernitur; illa enim his similibusve formulis exprimi solet, *excommunicetur*, *segregetur*, vel *præcipimus sub pœna excommunicationis*: hæc vero, *sit ipso facto excommunicatus*, vel *ipso jure excommunicationem incurrat*.

Excommunicatio latæ sententiæ veteribus ignota.

§. IX. Excommunicatio latæ sententiæ ignota veteribus fuit, & demum circa sæculum decimum secundum cœpit innotescere. Sane in Canonibus per duodecim priora sæcula editis nusquam occurrunt hæ formulæ, *sit ipso facto*, aut *ipso jure excommunicatus*, aut his similes, sed tantum hæ, *excommunicetur*, *segregetur*, quibus excommunicationem ferendæ sententiæ denotari constat. Ipsa formula *anathema sit*, quæ in veteribus monumentis occurrit, certe comminatoria est, idemque valet ac diris devoveatur, sicque factum judicis supponit, quod Dupinus multis probat (*a*). Innotuit itaque excommunicatio ista circa sæculum decimum secundum, sed initio parce admodum adhibita est, tempore addito mire percrebuit. In tota Gratiani concordia, quæ sæculo decimo secundo medio in lucem prodiit, vix unum ejus excommunicationis exemplum reperitur, modo verba illa *anathematis vinculo subjaceat*, quibus Synodus Lateranensis sub Innocentio II. plectit Clericorum & Monachorum dolosos percussores, latæ sententiæ excommunicationem contineant (*b*). Deinceps usque ad annum CIↃCCXCVIII. quo sextus decretalium editus est, si vera est Navarri (*c*) supputatio, vix triginta sex ejus excommunicationis extabant exempla, quæ tamen ad viginti sex redigi possunt. Porro eodem supputante Navarro, solus sextus decretalium habet exempla triginta duo, Clementinæ quin-

(*a*) Dupin. de Veteri Eccles. discipl. diss. III. cap. 2.
(*b*) Can. XXIX. c. 17. q. 4.
(*c*) Navar. in Manuali cap. 27. n. 49.

quinquaginta, & ita porro innumera alia exempla recentiores Canones & decretales invexerunt.

Effectus mortalis excommunicationis.

§. X. Jam vero mortalis seu majoris excommunicationis jure divino effectus est omnimoda ab Ecclesia separatio, ita ut excommunicatus ejus membrum non amplius reputetur. Fratrem contumacem *tanquam ethnicum & publicanum* Christus ipse habendum edixit (*a*). Ethnici Judæis erant gentes omnes, quæ judaica sacra non profitebantur: publicani ut plurimum erant equites Romani, qui publicas res conducebant, in primis tributorum & vectigalium exactiones. Ethnici Judæis de more gentis antiquo erant odio: publicani vero gentibus omnibus, qui erant in Romano imperio, odio habebantur, & præsertim Judæis, qui eos tanquam pestem reipublicæ & generis humani propudium abominabantur; nec fortasse injuria propter vexationes, quas in exigendis tributis inferebant. Utrique porro, utpote à sacris judaicis alieni, à synagogis seu sacris Judæorum conventibus excludebantur. Quum vero Christus fratrem contumacem in Ecclesia tanquam ethnicum & publicanum haberi jusserit, patet, fratrem excommunicatum extra Ecclesiam fuisse projectum, nec amplius tanquam ejus membrum habitum fuisse. Hinc excommunicatus omni jure, quod per Baptismum adquisierat, cadit: atque ideo Sacramentis, sacris officiis, ecclesiastica potestate, suffragiis communibus, totoque fraternitatis commercio privatur. Non tamen excommunicatus odio haberi debet; id enim à Christi Servatoris voluntate alienum est; & si contumacem veluti ethnicum & publicanum haberi præceperit, id tantum separationem ab Ecclesia spectavit, non item odia, quibus Judæi ethnicos & publicanos prosequebantur. Et hinc recte Ecclesia aut christiani pro excommunicatis orant ad eorum conversionem, quia id non est in sacris communicare, sed potius misericordiæ officium, quod S. Thomas observat (*b*).

Excommunicatio etiam privat officiis civilibus liberis.

§. XI. Apud Judæos ethnici & publicani synagoga seu sacris conventibus, non item civili societate, excludebantur. Hinc inspectis Christi verbis excommunicatio mortalis sacris conventibus, non civili commercio officiisque excludit. Verum ab ipsa Apostolorum ætate, ad aliorum exemplum & ad majorem excommunicati confusionem, receptum est, ut quædam officia civilia excommunicatis denegarentur: præcipiunt quippe ipsi Apostoli excommunicatis nec ave dicendum; eorum conversationem & convivia fu-

(*a*) Matth. XVIII. 15. & seqq.
(*b*) S. Thomas in 4. sentent. dist. 11. q. 1. art. 4.

fugienda, eosque in domum non recipiendos (*a*). Videntur autem officia civilia, quæ Apostoli excommunicatis neganda præcipiunt, tantum fuisse officia libera, quæ ab hominum voluntate dependent, qualia amicitia, salutationes, mutuus conv ctus & alia ejusmodi. Nam, ut scite Dupinus observat, officia civilia, quæ necessitate juris debentur, veluti conjugum cohabitatio, parentum in liberos, liberorum in parentes officia, Regibus debita obedientia, & hujus generis alia non videntur excommunicatis per Apostolos denegata (*b*). Sane præcipit Apostolus, ut christiani Principibus etsi infidelibus, obediant; item vetat, ne mulier fidelis virum infidelem relinquat; vult, ut servi fideles dominis obediant suis, quia nempe hæc omnia officia erant necessaria. Et ipsi veteres Canones, qui officia civilia excommunicatis denegari jubent, ferme tantum de conviviis & colloqu is loquuntur; nihilque habent, unde constet, in veteri Ecclesia officia omnia civilia denegari consuevisse (*c*); nisi eo trahatur Canon quidam Concilii Toletani I., qui habet, cum uxoribus, quæ peccaverint, nec cibum sumendum (*d*). Interim etsi ex Apostolorum doctrina descendat in officiis civilibus liberis excommunicatorum devitatio, passim docent theologi, id jure humano, non divino inductum fuisse (*e*).

Excommunicatio privat omni civili commercio.

§. XII. Verum enimvero lapsu temporis hæc excommunicatorum in civilibus officiis devitatio latissime extensa est, ut etiam in officiis civilibus necessariis locum haberet. Itaque inculcatum, neminem posse in civili conversatione excommunicato communicare, ne uxorem quidem, liberos, domesticos: neque excommunicato licere jura sua in judicio experiri: excommunicatum quoque omni honore & muneribus publicis cadere, & subditos à subjectione & fide regibus extra Ecclesiam projectis debita solutos esse. *Nos sanctorum prædecessorem statuta tenentes*, inquit Gregorius VII (*f*), *eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, apostolica auctoritate à juramento absolvimus, & ne eis fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus.* Et Urbanus II. prohibet, ne jurati milites Hugoni Capeto, quamdiu excommunicatus fuerit, servian; & si sacramenta prætenderint, admoneri præcipit, oportere Deo magis obedire, quam hominibus (*g*). Ita christiana excommunicatio redacta est ad speciem interdictionis aquæ & ignis, qua apud Romanos omni humano auxilio & omnibus civilibus officiis interdicti privabantur. Invaluit tantus excommunicationis rigor post sæculum decimum, ubi frequentiores esse cœperunt excommunicationes, iisque Episcopi & Pontifices usi sunt ad tuenda sua jura, etiam temporalia contra Principes eorumque magistratus. Nimirum ut ex votis cederent excommunicationes, visum est, interdictionem in civilibus latissime extendere, ut excommunicati omnibus juribus & officiis privati, Episcopis necessario cederent (*a*).

(*a*) Epist. II. Joan. v. 10. & seq., 1. ad Cor. V. v. 11., ad Roman. cap 16. v. 17., 2. ad Thessal. III. v. 14.
(*b*) Dupin. de Antiq. Eccles. discipl. diss III. cap. 3.
(*c*) Conc. Tolet. I. Can. XV., Conc. Venet. Can. III., Conc. Aurelian. I. Can. III.
(*d*) Conc. Tolet. I. Can. VII.
(*e*) Conf. Dupin. loc. cit.
(*f*) Can. IV. c. 15. q. 6.
(*g*) Can. V. eod.

Pœna eorum, qui excommunicatis communicant.

§. XIII. Devitatio autem commercii, sive sacri, sive civilis severa pœna puniebatur; etenim qui commercia cum excommunicatis fovebant, eadem censura ligabantur: quæ disciplina primum obtinuit, ubi quis in sacris cum excommunicato communionem foveret: tum etiam extensa est ad eos, qui cum excommunicatis convivia agitarent. Et Sane Canones Antiocheni, sic dicti apostolici, & Carthaginenses tantum abstineri jubent, quotquot cum excommunicatis oraverint, aut eos etiam in Ecclesiam receperint (*b*); at Canones posterioris ætatis, veluti Concilii Toletani I., Epaonensis & Antiossidorensis etiam iis abstentionem minantur, qui colloqui & convivari cum excommunicatis deprehenderentur (*c*). Qui conversabantur cum excommunicatis, Ecclesiæ auctoritatem parum curare videbantur, contumaciæ projectorum vim addebant, & præterea se peccandi periculo exponebant; malorum enim consuetudo corrumpit bonos mores. *Recedendum est à delinquentibus*, inquit Cyprianus (*d*), *vel imo fugiendum, ne dum quis male ambulantibus jungitur, & per itinera erroris & criminis graditur, à via veri itineris exerrans, pari crimine & ipse teneatur.* Scabiosum istud contagium ex veteri disciplina tantum eos videtur affecisse, qui cum ipso excommunicato communicabant: inde ulterius serpere cœpit, & in infinitum productum est, quo factum, ut una excommunicatio sæpe plures excommunicationes inveheret.

Communicatio cum excommunicatis in certis casibus permissa.

§. XIV. Disciplina, quæ commercium cum excommunicatis etiam in civilibus officiis necessariis interdicebat, & contagiosum contagium in infinitum derivabat, media ætate, ubi excommunicationes evaserunt frequentiores, rempublicam non minus, quam Ecclesiam turbavit. Excommunicati pejores erant illis, quibus apud Romanos aqua & igni interdictum erat, omnes nimirum eorum conver-

(*a*) Conf. Espen. tract. de Censur. cap. 7. §. 3.
(*b*) Conc. Antioch. Can. II., Can. Apost. XIII., Conc. Carth. IV. Can. LXXIII.
(*c*) Conc. Tolet. I. Can. XV., Conc. Epaonense Can. XV., Conc. Antiossid. Can. XXXIX.
(*d*) Cypr. de Unit. Eccles.

versationem defugiebant, omni humana ope destituebantur, & si qui cum eis communicarent, similiter tanquam contagiosi devitabantur. Itaque ad evitanda majora mala, rigor interdicti civilis commercii moderatus est in pluribus casibus, qui ad tres restringi possunt: nempe permissum est cum excommunicato conversari, si officium aliquod jure debitum sit; aut si necessitas, vel utilitas sive ipsius excommunicati, sive aliorum commercium exigat; itemque, si aliquem esse excommunicatum ignoretur. Cœpit moderatio ista à Gregorio VII. & quidem in specie particulari, hoc est quousque mala ob anathema Henrico Imperatori dictum Ecclesiam & rempublicam concutiebant; inde in constantem & generalem regulam abiit, quod factum videtur opera Gratiani, qui temporarium illud decretum concordiæ suæ inseruit (*a*). Hinc Innocentius III. veluti tanquam in jure cautum scripsit, licere transeuntibus per terras hæreticorum aut excommunicatorum, necessaria ibidem emere & recipere; præterea licere sine contagionis vitio universam familiam cum patrefamilias abstento communicare (*b*).

Vetitum commercium inducit minorem excommunicationem.

§. XV. Præterea scabiosum contagium, quod in infinitum serpebat, etiam suis cancellis inclusum fuit, quin pestis illa mitior evasit. Ipse Gregorius VII., qui commercium in officiis civilibus necessariis aut in utilibus in specie particulari concessit, eadem occasione etiam statuit, ut contagio excommunicationis tantum pollueretur, qui cum ipso excommunicato commercia agitaret, ulterius vero contagium illud non serperet (*c*). Successores Pontifices hanc moderationem probarunt; qu n experientia edocti in tanta excommunicatorum multitudine etiam limitatum illud contagium incommoda multa in Ecclesiam & rempublicam invehere, excommunicationem majorem, quæ ex commercio cum excommunicato contrahebatur, effectibus anathematis ferme spoliarunt, & ad minorem excommunicationem reduxerunt, qua tantum quis vetatur Sacramenta percipere, non vero à reliquo sive sacro, sive humano commercio interdicitur (*d*). Tantum in nova disciplina communicans cum excommunicato eodem contagio polluitur, si scienter in crimine communicet, puta si ei consilium, aut auxilium impendat (*e*); & si Clericos à Pontifice excommunicatos scienter & sponte in sacrorum communionem receperit (*f*).

Qui

(*a*) Can. CIII. c. 11. q. 3., Conf. Espen. tract. de Censuris cap. 7. §. 4.
(*b*) Innoc. III. in epist. ad Crucesignatos ap. Bosquet. in ejus vita.
(*c*) Can. CIII. c. 11. q 3.
(*d*) Cap. ult. ext. de Cleric. excomm. Ministr., cap. 59. ext. de Sent. excomm.
(*e*) Cap. 29. ext. de Sent. excomm.
(*f*) Cap. 18. ext. eod.

Qui excommunicati vitandi *in nova disciplina.*

§. XVI. Porro in nova disciplina mitigatus est magna ex parte rigor excommunicationis & reliquarum censurarum etiam eo nomine, quod non omnium excommunicatorum devitatio sive in divinis, sive in humanis interdicatur. Etenim is tantum & in divinis & in humanis devitandus est, in quem excommunicationis sententia est *à judice publicata vel denuntiata specialiter & expresse*, exceptis iis, qui sacrilegas manus in Clericos palam injecerint, qui etsi ab judice denuntiati non sint, evitari debent. Cautum id est in quadam decretali, quam veluti à Martino V. Pontifice in Synodo Constantiensi editam primus S. Antoninus exhibuit (*a*), & ex ejus fide universa Ecclesia recepit. Hinc inductum discrimen inter excommunicatum *vitandum*, & *toleratum*, & inde illius in divinis officiis & in communi vitæ consuetudine communicatio, & non vero istius interdicta est. Ut vero quis tanquam vitandus habeatur, necesse est, ut sententia ab judice in eum *publicata vel denuntiata sit specialiter & expresse*, id est nominatim lata sit, & præterea ipsi excommunicato denuntiata. Utrumque enim requiri observant theologi (*b*), etsi constitutio alterutrum requirere videatur. Quo tempore frequentiores evaserant excommunicationes, præsertim latæ sententiæ, necessaria erat ista moderatio, alias in tanto excommunicatorum numero viros bonos angi necesse erat, si nulla præcedente, saltem declarante, sententia evitare & in sacris & in civilibus deberent, quos ipso jure Canones extra Ecclesiam projecissent.

De excommunicatis Satanæ traditis.

§. XVII. Jam tempore Apostolorum fideles extra Ecclesiæ communionem projecti, aut ad humilem pœnitentiæ locum redacti *Satanæ in interitum carnis* tradi solebant. Gulielmus Beveregius & Estius (*c*) post Balsamonem, Zonaram, S. Thomam aliosque multos recentiores interpretes tenent, hanc traditionem esse aliam excommunicationis appellationem, inde dictam quod excommunicati prorsus Ecclesia ejecti, & omnibus bonis illi societati propriis privati, tyrannidi & incursibus diaboli, cujus regnum est extra Ecclesiam, expositi relinquuntur. Contra Hugo Grotius, Henricus Hammondus, Binghamus aliique (*d*) contendunt, excommunicatos traditos Satanæ & Ecclesia fuisse ejectos, & præterea in corporis afflictionem à Satanæ ministris statim fuisse obsessos, & variis tormentis fuisse vexatos. Et certe Apostolus dum Satanæ tra-

de-

(*a*) S. Antonin. Summ. part. 3. tit. 25. cap 3.
(*b*) Conf. Suarez de Censur disp. 9. sect. 2. n. 8.
(*c*) Bevereg. not. in Can. X Apostolor., Estius in 1. Cor. V. 5.
(*d*) Grotius in 1. Cor. V. 5., Hammond. in cit. Apostoli locum, Bingh. Orig. eccles. lib. 16. cap. 2 §. 15.

debat, præter pœnitentiam & ejectionem à sacris, videtur irrogasse etiam corporis afflictionem & vexationem; nam verba Apostoli indicant, etiam carnis interitum & macerationem corporis passos fuisse, qui ab eo Satanæ traditi erant (*a*). Veteres quoque Patres, præsertim Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus aliique aperte docent (*b*), Satanæ traditos variis doloribus & miseriis corpore fuisse vexatos, non secus ac Job corporaliter vexatus & afflictus fuerat. Interim si traditi Satanæ initio Ecclesiæ etiam corporis cruciatus paterentur, fuit hoc donum extraordinarium, quod post Apostolos ferme cessavit; tantumque sequenti ætate excommunicati extra Ecclesiam projecti sunt, & miraculosa illa in interitum carnis traditio raro admodum contigit.

Excommunicatio mortalis est pœna gravissima.

§. XVIII. Quando autem mortalis excommunicatio à Christi corpore omnino abscindit, certe maxima est inter omnes pœnas, quæ ab Ecclesia infligi possunt. Et quid quæso pejus christiano homini poterit evenire, quam Ecclesiæ communione tanquam ethnicum & publicanum omnino exturbari, Dei O. M. gratia destitui, sacramentorum usu & fraternitatis commercio prohiberi, & in eum statum ablegari, in quo positi homines spe æternæ salutis destituuntur? *Summum*, inquit Tertullianus (*c*), *futuri judicii præjudicium erat, si quis ita deliquerat, ut à communione orationis & conventus & omnis sancti commercii relegaretur.* Hinc ex Patrum doctrina nihil magis debet formidare christianus, quam à Christi corpore separari (*d*): qua ratione Augustinus excommunicationem pœnam *gravissimam* appellat (*e*). Quod si talis non habeatur, quod externos effectus nullos producat, & solvat potius, quam liget, nihil habeo, quod reponam, nisi procul esto profani, & Christum obnixe rogem, quo renovet exempla Apostolorum & maxime Pauli, qui dum criminosos christianos Ecclesiæ consortio expellebat, ejectos Satanæ in corporis afflictionem & cruciatus consignabat.

Et debet irrogari ob grande crimen.

§. XIX. Quæ quum ita sint, non debet profecto mortalis excommunicatio decerni, nisi ob grande crimen: & qui levibus ex causis anathema infligit, abutitur potius, quam utitur ecclesiastica potestate, non secus ac si magistratus ob leves culpas noxios morte puniret. *Anathema*, inquit Synodus Meldensis (*f*), *est æternæ mor-*

(*a*) 1. Cor. V. 5., 2. Cor XII. 21., & 2. Cor. XIII. 1. & seqq., 1. Timoth. I. 20.
(*b*) Hieronym. Comm. in 1. Cor. V. 5., Aug. de Serm. Dom. in monte lib. 1. cap. 20., Chrysost. hom. XV. in 1. Cor., Theodor. in 1. Timoth. I. 20.
(*c*) Tertull. Apol. cap. 39.
(*d*) August. tract. XXVII. in Jean.
(*e*) August. lib. de Corrept. & gratia cap. 15.
(*f*) Ap. Grat. Can. XLI. c. 11. q. 3.

mortis damnatio, & nonnisi pro mortali debet imponi crimine. Et Synodus Arvernensis (*a*): *nullus Sacerdotum quenquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus causis à communione suspendat.* Cui doctrinæ consonat veteris Ecclesiæ disciplina, ut enim probat Dupinus in veteri Ecclesia tres præcipue videntur fuisse excommunicationis causæ (*b*). Una, prava doctrina & traditæ à Christo & Apostolis fidei adversa. Altera, vita flagitiosa à Christi præceptis contraria. Tertia demum privati alicujus adversus disciplinam Ecclesiæ suæ, aut particularis Ecclesiæ adversus Ecclesiæ universæ disciplinam rebellio. Quod si antiqua monumenta aliquos ob leves culpas excommunicatos memorant, id de medicinali, non de mortali excommunicatione intelligendum est, quod superius adnotatum.

Crimen debet esse probatum & manifestum.

§. XX. Nec tantum grave sit, oportet, delictum ad irrogandam excommunicationem; verum etiam manifestum & per judicem legitime in judicio probatum, separat enim excommunicatio christianum ab Ecclesiæ consortio. *Ubi peccatum non est evidens*, inquit Origenes (*c*), *ejicere ab Ecclesia neminem possumus, ne forte eradicantes zizaniam, eradicemus & triticum.* Et Augustinus (*d*): *nos quenquam à communione prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum mortalis sit, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Hinc multoties in Canonibus præcipitur, excommunicationem non irrogari, nisi causa probata, aut alias manifesta fuerit (*e*). Qua in re distat excommunicatio mortalis à medicinali, nam hæc etiam pro criminibus occultis irrogabatur; quum contra illa crimen manifestum supponat & plene probatum.

Excommunicationi canonica monitio præmittenda.

§. XXI. Præterea nec ubi crimen grave & manifestum est, decerni facile potest excommunicatio, nisi adsit contumacia, qua criminosus obstinato animo in criminibus persistat. Tum demum fratrem tanquam ethnicum & publicanum habendum Christus edixit, si post duas fraternas admonitiones, nec Ecclesiam admonentem exaudierit (*f*). Hinc aperte constat, jure evangelico ad irrogandam excommunicationem, obstinationem & contumaciam esse necessariam. Et inde receptum est, ante excommunicationem criminosum semel, iterum atque tertio admoneri oportere: quam trinam admonitionem *per Canones* præscriptam ait Synodus Ephesina in relatione

(*a*) Ap. Grat. Can. XLII. eod.
(*b*) Dupin de Antiq. Eccles. discipl. diss. II. cap. 2.
(*c*) Orig. hom. XX. in Josue.
(*d*) Aug. lib. Quinquaginta homiliar. hom. ult.
(*e*) Can. XI. c. 2. q. 1., cap. 48. ext. de Sent. excomm.
(*f*) Matth. XLVIII. v. 15. & seqq.

ne ad religiosissimos Imperatores de depositione Nestorii, & *secundum sanctos Canones* esse Synodus Chalcedonensis docet. Et quoniam hæc trina admonitio satis erat ad probandam criminosi contumaciam, hinc *competens monitio* & *canonica* dicta est (*a*). Concessit quidem Synodus Lugdunensis sub Gregorio X. judicibus sive tres monitiones, sive unam pro omnibus adhibere; at hæc una admonitio instar omnium fuisse videtur, nam aliquot dierum intervalla adhiberi voluit, nisi facti necessitas ea suaderet moderanda (*b*). Quod vero lapsa ecclesiastica disciplina judices ecclesiastici etiam non admonitos excommunicarent, Synodus Tridentina tam immane arbitrium coercuit, & saltem duas monitiones præmittendas decrevit (*c*).

Canonica monitio excommunicationi juris adversatur.

§. XXII. At hic nodus vindice dignus occurrit, etenim trina monitio jure evangelico ad irrogandam excommunicationem necessaria non bene videtur convenire cum excommunicatione latæ sententiæ, qua innodamur nulla præmissa monitione, statim ac crimen per Canones sub ea pœna vetitum admittimus. Vidit difficultatem Gersonius, eamque evasurus docet, excommunicationem latæ sententiæ id tantum operari, ut judex probato crimine statim possit excommunicationis sententiam publicare nulla alia adhibita solemnitate. Alii vero respondent, satis esse contumacem, qui legi seu Canoni præcipienti non obtemperat; lege enim ipsa continuo admonemur, & revocamur ad officium. Verum nescio an responsiones istæ nodum solvant; Christus enim præter peccatum in legem requirit animi obstinationem in peccato, & expressam repetitamque Ecclesiæ admonitionem, ut non sufficere videatur generalis & continua Canonis jubentis admonitio. Illud interim verum est, excommunicationes latæ sententiæ veteribus Patribus ignotas fuisse, & demum sæculo decimo secundo innotescere cœpisse, deinceps vero magis magisque labente ecclesiastica disciplina passim per novos Canones invectas, quod supra dictum est (*d*). Quod vero auctis numero latæ sententiæ excommunicationibus, fidelium animæ assiduis laqueis, sæpe etiam incognitis, innodarentur, & ecclesiastica disciplina sensim deficeret; optavit Godeschalcus Rosemundus in academia Lovaniensi theologiæ professor (*e*), ut omnes constitutiones, quæ excommunicationem latæ sententiæ irrogant, *in jure vel statutis contentæ, quarum usus nullus est, aut plus obest, quam prodest, expressa revocatione cessarentur.*

Ex-

(*a*) Cap. 48. ext. de Sent. excomm., cap. 5. eod. in 6.
(*b*) Cap 9. eod in 6.
(*c*) Trid. sess XXV. de Reform. cap. 2.
(*d*) Conf. Espen. part. 3. tit. 11. cap. 6.
(*e*) Godeschal. Rosemund. in opere inscripto Confessionale.

Excommunicatio irroganda post adhibita alia remedia.

§. XXIII. Præterea etsi causa legitima & manifesta, & contumacia adsit, non tamen gladius spiritualis statim exerendus est, & criminosus fraternitatis consortio abjiciendus; sed tum demum cum dolore & ægritudine putrescentis membri abscissio ab Ecclesia decerni debet, si omnia alia remedia ad sanationem idonea adhibita fuerint: quæ ex Patrum doctrina. *Cum dolore amputatur*, inquit Ambrosius (*a*), *etiam quæ putruit, pars corporis, & diu tractatur, si possit sanari medicamentis; si non possit, tunc à medico bono adscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, obducere aliqua, non abscindere; postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere.* Et Prosper ait (*b*), *qui diu portati & salubriter objurgati corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes, debent ferro excommunicationis abscindi.* Atque ita Synesius Andronicum crudelem & perversum Ptolemaidis præfectum admonuit, à crudelitate sua dehortatus est, & ubi insanabilem deprehendit, ei sacris omnino interdixit (*c*). Hinc excommunicatio *ultimum remedium & ultima pœna* dicta est.

Aliquando excommunicatione est abstinendum.

§. XXIV. Quin nec semper ubi alia remedia frustra adhibita sunt, licet ad excommunicationem devenire; etenim si ab excommunicatione aliquod majus malum in Ecclesiam impendere prospiciatur, censura est abstinendum. Hinc ad excommunicationem non facile licet excurrere, si excommunicandus sociam habeat multitudinem, ne inde schisma in Ecclesia generetur. *Non potest esse salubris à multis correptio*, inquit Augustinus (*d*), *nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem.... si contagio peccandi multitudinem invaserit, divinæ disciplinæ misericordia necessaria est.* In hac specie non censuræ, sed generales admonitiones, aut objurgationes ex ejusdem Augustini doctrina adhibendæ sunt, præsertim si occasionem præbeat aliqua calamitas, seu divinum flagellum, quo appareat, christianos pro suis peccatis vapulare. Ob eandem rationem non facile Reges extra Ecclesiæ communionem projicere licet; nam illi, si parum pii sunt, aut alias faciles ad iram, à sacris ejecti plus mali, quam boni in Ecclesiam inferre solent, præsertim si ob temporales causas excommunicentur, qua in re mediis Ecclesiæ sæculis Episcopi peccarunt. Quis enim nescit turbas & bella, quæ rempublicam non minus, quam Ecclesiam agitarunt, quod ma-

gis-

(*a*) Ambros. de Off lib. 2. cap. 27.
(*b*) Prosper. de Vit. contemplat. lib. 2. cap. 7.
(*c*) Synes. epist. LVII. & seq.
(*d*) August. lib. 3. contra epist. Parmenian. cap. 2.

gistratus & Principes subinde extra Ecclesiæ communionem projecti sunt?

De excommunicatione injusta.

§. XXV. Si excommunicatio justa causa destituatur, & qui censura tanquam nocens obstringitur, revera innocens est, hæc excommunicatio *injusta* à doctoribus appellatur, nec per eam christianus coram Deo ligatur; Ministri enim Ecclesiæ potestatem non habent in cœlis aliquem ligandi, qui non prius proprio crimine se obstrinxerit, quod veteres Patres, in primis Origenes & Augustinus docent (*a*). Hinc evenire potest, ut ille, qui foras pellitur, intus sit, & ille foras, qui intus retineri videtur. Interim injusta censura christiano etiam timenda est, pertinetque ad ejus officium illam expendere & videre, an sua culpa, quam ipse non satis adprehendit, talem pœnam commeruerit. Quo sensu intelligenda sunt Gregorii M. verba apud Gratianum (*b*): *Sententia pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est*, ut ex integro homiliæ Gregorianæ contextu constat (*c*). Quin pertinet ad boni christiani officium, censuram in foro externo servare, si sibi quidem illius injustitia satis nota est, reliquis vero omnibus ignota, idque ne aliis offensionis causam præbeat: quæ exterior separatio in hac specie non nocet christiano, imo potius cum humilitate tolerata ad meritum imputatur (*d*). At si revera censura sit injusta, & injustitia omnibus innotescat, tum regula Gelasii Papæ locum habet; *sed si injusta est* (censura), *tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia* (*e*).

Ritus in proferenda excommunicatione.

§. XXVI. Ex veteris disciplinæ regulis excommunicatio nullo certo solemnique ritu, nec specialibus conceptisque formulis ferebatur: sed Episcopus in Ecclesiæ senatu contumaces & à pœnitentia alienos non sine dolore ejiciebat (*f*), quemadmodum in constitutionibus sic dictis apostolicis videre est (*g*). Verum ubi lapsu sæculorum ob frequentiam, & parum justas causas censuræ contemni cœperunt, ad earum auctoritatem sustinendam, certi ritus & formulæ diris & execrationibus plenæ inductæ sunt, quibus solemni apparatu excommunicatio infligeretur. Ritus iste est: Episcopus paramentis violaceis & mitra simplici indutus & candelam ardentem in manu tenens, in conventum duodecim Presbyterorum, qui etiam can-

(*a*) Can. IV. c. 24. q. 3., & Can. LXXXVII. c. 11. q. 3.
(*b*) Can. I. c. 11. q. 3.
(*c*) Greg. M. hom. XXVI. in Evangelio.
(*d*) August. de Vera religione cap. 6.
(*e*) Can. XLVI. eod.
(*f*) Conf. Espen. part. 3. tit. 11. cap. 8.
(*g*) Const. Apost. lib. 2. cap. 37. & seq.

candelas ardentes in manibus habent, sedet ante altare majus, aut alio publico loco, & ibi solemniter anathema pronunciat; quo dum pronunciatur, candelæ ardentes in terram projiciuntur non sine diris & execrationibus, quibus excommunicatus cum diabolo & angelis ejus damnatur in ignem æternum, nisi à peccatis resipiscat. Prostat ritus iste in pontificali Romano (*a*), at cæremonia ardentium lucernarum sæculo decimo usurpabatur (*b*). Verum non in omni excommunicatione descripta solemnitas adhibetur; sed tantum in ea quæ *anathema* scholasticis audit. Illud interim inest omni excommunicationi, ut qui excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & ejus causam expresse addat (*c*).

Lata excommunicatio cæteris Ecclesiis nuntianda.

§. XXVII. Lata excommunicationis sententia ab una Ecclesia in aliis quoque servanda est, ut habet vetustissima regula in Synodo Nicæna & deinceps in aliis Conciliis multoties confirmata (*d*). *De iis*, inquiunt Nicæni Patres, *qui à communione segregati sunt... ab Episcopis... valeat sententia secundum Canonem, qui pronunciat, eos, qui ab aliis ejecti sunt, non esse ab aliis admittendos.* Id certe postulabat mutuum fœdus & harmonia, quæ inter Ecclesias intercedebat, quæque id operabatur, ut unaquæque Ecclesia promta esset ad ratos habendos & confirmandos omnes disciplinæ actus, quos insontes singulæ Ecclesiæ egissent. Excommunicationes quoque facile contemnerentur, si ab una Ecclesia ejecti ab aliis in communionem recipi possent. Hinc mos inolevit, ut Ecclesiæ de iis, quos extra communionem projecerant, alias scriptis litteris encyclicis seu circularibus facerent certiores (*e*). Hæc litterarum formula eleganter expressa est à Synesio in excommunicatione, quam adversus Andronicum crudelem & tyrannicum Ptolemaidis præfectum irrogavit; ubi inter cætera Ecclesia Ptolemaidis id asserit, se eodem atque Andronicum loco habere sive levitam, sive presbyterum, sive Episcopum, qui illum in communionem receperit (*f*). Nec alia est hodierna disciplina: in pontificali enim Romano habetur, ut prolato anathemate Parochis & vicinis Episcopis litteræ mittantur, quæ nomen excommunicati & causam contineant, ne quis per ignorantiam ulterius illi communicet (*g*).

Ex-

(*a*) Pontif. Rom. tit. de Ordine excommunicandi.
(*b*) Regin. lib. 2. de Discipl. ecclesiast. cap. 412.
(*c*) Cap. 1. de Sent. excomm. in 6.
(*d*) Conc. Nicæn. Can. V., Antioch. Can. VI., Conf. Bingh. Orig. ecclesiast. lib. 16. cap. 2. §. 10.
(*e*) Socrat. lib. 1. cap. 6., Conc. Tolet. I. Can. XI.
(*f*) Synes. epist. LVIII.
(*g*) Pontif. Rom. tit. de Ordine excommun.

Excommunicationes apud Judæos.

§. XXVIII. Jam vero excommunicationes, seu ejectiones à sacris apud omnes ferme gentes religiosas, Judæos nempe, Græcos, Romanos, Gallos obtinuerunt, & Judæi quidem duplicem excommunicationis speciem habuerunt, unam minorem, quam Rabbini *Niddui*, separationem vel segregationem vocabant, aliam majorem, quæ *Cherem* dici consuevit, quod Seldenus & Vitringa pluribus docent (*a*). *Niddui* levis excommunicatio erat, qua quisquam à synagoga & civili aliorum commercio ad tempus prohibebatur, ut à via sua mala resipisceret. Sic excommunicati eam status mutationem patiebantur, ut intra quatuor cubitorum spatium nemo, exceptis uxore & liberis, ad eos accedere posset. *Cherem* vero segregatio gravissima erat, horrendis instructa diris, quæ à reipublicæ & Ecclesiæ communione omnino exturbabat, eaque irrogabatur, si intra tempus legitimum minori excommunicationi subjectus, absolvi non curasset, vel si delicti qualitas statim majorem postularet (*b*). Morinus, Beveregius aliique tertiam addunt speciem excommunicationis per *Shammatha*: quam tamen Seldenus explodit, ostenditque *Shammatha* pro ipso deperditionis aut mortis decreto quocumque usurpari, & sic interdum *Niddui*, interdum vero *Cherem* denotare. Sed hæc aliis curæ sunto.

Excommunicationes apud gentes.

§. XXIX. Aliæ quoque gentes sacrorum interdictiones usurparunt, iisque facinorosi vel in totum vitæ communione inter suos citra soli mutationem, vel expresso nomine sacris quandoque cum aliis vitæ commodis prohibebantur, quod pluribus Seldenus probat (*c*). Generalis interdictio irrogabatur apud Græcos graviore illa ἀτιμίας seu infamiæ pœna, qua flagitiosi quidam, veluti maritus adulter adulteram damnatam retinens, pulsantes, aut non alentes parentes omni jure patrio cadebant, atque ideo ipsa sacrorum communione prohibebantur, erantque quasi exules in civitate. Expressa sacrorum interdictio frequens apud Græcos usurpabatur, homicidæ enim, adulteræ, militiam detrectantes, ordinum desertores aliique à cunctis templis & sacris arcebantur. Hisce gravioribus interdictionibus addebantur diræ seu execrationes, quibus facinorosi diis inferis devovebantur & sacri fiebant. Apud Romanos in aquæ & ignis interdictione una cum civili commercio etiam sacra interdicebantur. Et apud Gallos Druidæ jure sacro scelestos, & commercio religioso & civili ejiciebant. *Si quis privatus, aut publicus*, inquit Cæsar (*d*), *eo-*

(*a*) Selden. de Synedr. lib. 1. cap. 7., Vitringa de Synag. vet.
(*b*) Morin. de Administr pœnit lib. 4. cap. 23., Bever. Comm. ad Can. X. Apostol.
(*c*) Selden. de Synedr. lib. 1. cap. 10.
(*d*) Cæsar de Bello Gallico lib. 6.

eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita interdictum est, ii numero impiorum & sceleratorum habentur. Iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant. Neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.

CAPUT XLI.

De interdicto.

Definitio ecclesiastici interdicti.

§. I. Interdictum sic stricte sumtum & ab excommunicatione & suspensione distinctum, est censura ecclesiastica, quæ in emendationem privat usu quarundam rerum sacrarum, qua res sacræ sunt & fidelibus communes. Nimirum tum rerum sacrarum interdictus usus inter censuras numeratur, si in emendationem & resipiscentiam irrogetur; nam si in vindictam criminis decernatur, potius pœnæ quam censuræ ex regulis novæ disciplinæ rationem habet. Interdictum quoque sic stricte dictum privat usu rerum sacrarum, quæ usus est; nam si usus rerum sacrarum consideretur veluti quædam communicatio cum fidelibus, interdictus usus potius excommunicatio est. Nec interdictum privat usu omnium rerum sacrarum, sed quarundam, earum nempe, quæ in Canonibus & Decretalibus exprimuntur: quo etiam distat ab excommunicatione, quæ omnino jure fraternitatis & omnibus rebus sacris interdicit. Et demum interdictum privat usu quarundam rerum sacrarum, quatenus fideles omnes iis uti possunt: quo distat à suspensione, quæ etiam usu rerum sacrarum privat, sed uti ipsis Clericis proprius. Descriptio ista interdicti tot logicis subtilitatibus instructa novæ disciplinæ debetur; nam ex veterum simplicitate interdictum veluti species excommunicationis habebatur (*a*).

Variæ interdicti species.

§. II. Jam ex novæ disciplinæ placitis dividitur interdictum in *personale*, *locale*, & *mistum*. Personale personas directe afficit, easque usu quarundam rerum sacrarum ob contumaciam in delicto, quocumque eant, privat: & hinc solet dici *ambulatorium*. Locale directe fertur ad locum, tantumque in eo res sacræ fieri vetantur. Mistum utrinque participat, & locis & personis usu rerum sacrarum ob contumaciam interdicit. Personale autem & locale interdictum, vel generale, vel particulare est, prout collegium aliquod personarum, puta clerus, populus, aut quidam peculiares christia-

(*a*) Conf. Espen. tract. de Censur. in cap. 9. §. 1.

tiani usu rerum sacrarum abstinentur; itemque prout regnum, provincia, diœcesis, civitas, aut Ecclesia seu capella aliqua usu rerum sacrarum prohibetur. Sed si interdicto populus afficiatur, eo nomine clerus non venit, nisi aliud exprimatur; nec contra si res sacræ clero interdicantur, populus interdicto obstrictus censetur (*a*): at si interdicto supponatur civitas aut Ecclesia, etiam suburbia & capellæ & cœmeterium Ecclesiæ adjacentia interdicto continentur (*b*). Item, non secus ac excommunicatio, interdictum vel est ferendæ, vel latæ sententiæ, prout scilicet, vel sententia judicis, vel ipso jure usus rerum sacrarum prohibetur. Interim interdicti nomine hodie communiter generale interdictum solet intelligi.

Causæ & solemnitas in irrogando interdicto.

§. III. Interdicta nonnisi ex gravi causa & cum magna prudentia decerni debent, præsertim si generalia sint; nec enim exiguum malum est, Ecclesiis sacra interdici, sacra officia cessare, & Sacramenta fidelibus non administrari. Quin interdictum etiam ob aliena crimina irrogari consuevit, veluti si ob peccatum patris usu rerum sacrarum universa familia privetur. Certe Basilius interrogatus quid agendum de illo, qui puellam rapuerat, respondit, filiam parentibus restituendam, ipsum raptorem & conscios excommunicandos: κώμην vero seu pagum, qui raptorem cum rapta susceperit, nec reddiderit, à precibus & orationum communione prohiberi debere (*c*): & tamen non omnes illius oppidi cives in illud crimen videntur consensisse. Similiter Leudewaldus Episcopus Ecclesias omnes Rothomagenses clausit ob infandum crimen, quo S. Prætextatus Episcopus in ipso die Paschæ, dum divina officia celebrabat, fuit occisus, donec communi indagatione sceleris auctor innotesceret, quemadmodum Gregorius Turonensis testatur (*d*). Porro interdictum iisdem solemnibus, quibus excommunicatio, ferri debet, scilicet præmittendæ tres monitiones, & scripto pronunciandum causa inserta; irrogatur nimirum in emendationem, & contumaciam supponit.

Interdicta generalia veteribus ferme ignota.

§. IV. Generalis interdicti exempla, quibus ob paucorum peccata pluribus Ecclesiis sacra officia interdicantur, in veteribus monumentis pauca admodum occurrunt exempla; nec inde recte infertur, ejusmodi interdicta frequentari consuevisse. Sed post decimum sæculum integræ provinciæ & Regna interdictis subjici cœperunt ad frangendam magistratuum & Principum contumaciam, sive quod isti graviter peccassent, sive quod Ecclesiæ jura & ecclesiasticam li-

(*a*) Cap. 16. de Sent. excomm. in 6.
(*b*) Cap. 17. eod.
(*c*) Basil. ep. CCXLIV.
(*d*) Gregor. Turon. lib. 8. Hist. Franc. cap. 31.

libertatem læsisse viderentur. Hujus novi interdicti forma fortasse primum occurrit in Synodo Lemovicensi anno MXXXI. celebrata, ubi Oldericus Abbas, ut Pontificem bellis vexatum sublevaret, consuluit Episcopis, ut excommunicationis sententiam ferrent in eos, qui paci non adquiescerent, ita ut contumaces post mortem sepultura ecclesiastica privarentur, publicum officium apud eos interdiceretur, atque ut, excepto parvulorum Baptismo & morientium viatico, nullum administraretur Sacramentum. *Verum*, subdit Dupinus (*a*), *usque ad Gregorium VII. rara fuerunt admodum interdicta, & in peculiares Ecclesias ferebantur; at ille Pontifex suæ auctoritatis augendæ perquam studiosus iis frequenter etiam in integra regna usus est, & aliis Episcopis, ut idem tentarent, exemplo fuit.* Hinc Ivo Carnotensis interdictum *remedium insolitum* dixit (*b*), quod nempe tum primum adhiberi cœperat, observatque usurpari potissimum consuevisse in causa sacrilegii, aut pacis violatione. Exinde interdicta generalia ad magistratuum & Principum frangendam contumaciam semper adhibita sunt; at post Paulum V., qui Venetorum rempublicam interdixit, exemplum nullum occurrit.

Generalia interdicta non semper rationi congrua.

§. V. Jam interdicta illa, quibus ob paucorum crimina, præsertim vero ob Regum & magistratuum contumaciam in dissidiis de finibus imperii & sacerdotii, integræ provinciæ & regna rerum sacrarum usu privantur, non semper bonis rationibus niti videntur. Etenim non patitur recta ratio, ob unius aut paucorum peccatum universas societates puniri. Qua ratione Augustinus obstupuit, ubi intellexit, juniorem quendam Episcopum Africanum nomine Auxilium ob crimen Classiciani cujusdam universam familiam extra Ecclesiam projecisse; eique gravi scripta epistola denuntiat, ut tanti facinoris rationes, si quas habeat, communicet (*c*). *Nos quoque docere digneris, quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini servus, aut quisquam etiam in domo nondum natus, si eodem tempore, quo universa domus est anathemate obligata, nascatur.* Multo magis obstupuisset vir magnus, si intellexisset, integra regna ob unius Principis peccatum usu rerum sacrarum prohiberi. Deinde ex veterum Patrum sententia censurarum vis cessare debet, nec gladius spiritualis exserendus, si eo exserto schismatis aut alterius gravioris mali periculum in Ecclesiam immineat. Et si S. Basilius in integro pago, qui raptorem cum rapta receperat, nec reddiderat, preces & orationes fieri vetuerit (*d*), id fortasse recte fieri potuit, quod plerique illius pagi cives crimine se obs-

(*a*) Dupin. de Antiq. Eccles. discipl. diss. III. cap. 2.
(*b*) Ivo Carnot. ep. XCIV.
(*c*) August. ep. LXXV. ad Auxil.
(*d*) Basil. ep. CCXLIV.

obstrinxerant, & deinde aliud est unum pagum, aliud integras provincias & regna à sacris abstinere.

Effectus generalis interdicti.

§. VI. Interdicta generalia origine sua id efficiebant, ut in Ecclesiis interdicto subjectis divina omnia officia, uno ferme excepto parvulorum Baptismo & morientium necessario viatico seu pœnitentia, cessarent. Hinc plus damni quam utilitatis Ecclesiæ & reipublicæ afferre consueverunt, præsertim si longo tempore stetissent. Etenim licet interdictum ex una parte ad terrendos contumaces multum conducat, tamen ex altera cultui divino detrahit multum; nam tempore interdicti non solum populus desuetudine frequentandi divina officia religionis vim sensim excutit: verum etiam clerus ipse remissior & segnior ad ea celebranda evadit; qua ratione & divina religio detrimentum patitur, & populus parum christianos mores induit, quod Soto observat (*a*). Eadem interdictorum mala Bonifacius VIII. proponit: *tunc excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt, ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur* (*b*). Et sane si quis interdicta omnia, quorum memoria superest, percurrat, intelliget, ea semper fuisse dissensionum, schismatum, bellorum aliarumque magnarum calamitatum causas, & vix unquam aliquid boni, sæpe vero multum mali in Ecclesiam invexisse. Nec à ratione videtur alienum, quod de quodam loco in Marchia, qui diu interdicto obstrictus steterat, se audisse auctor glossæ testatur, quod facta relaxatione homines triginta & quadraginta annorum, qui nunquam audiverant Missam, Sacerdotes celebrantes deriderent (*c*).

Rigor interdictorum relaxatus.

§. VII. Quæ quum ita sint, illi ipsi Romani Pontifices, qui interdictis sæpe ad jura Ecclesiæ temporalia asserenda contra Principes usi sunt, in dies eorum severitatem emollierunt. Ergo præter parvulorum Baptismum & morientium pœnitentias, quæ ferme ab initio celebratæ sunt (*d*), Innocentius III. permisit, ut tempore interdicti prædicationes Evangelii ad populum fierent, & confirmatio parvulis baptizatis daretur (*e*). Item idem Pontifex concessit sepulturam in Ecclesiæ cœmeterio Clericis, qui servaverant interdictum, sed nullis solemnibus adhibitis, nec pulsatis campanis, & pœnitentium cruce signatis & peregrinis etiam bene valentibus (*f*), quo-

(*a*) Soto in IV. dist. 22. q. 3. art. 1.
(*b*) Cap. ult. de Sent. excomm. in 6.
(*c*) Glos. in cit. cap. ult. v. *Insurgunt*.
(*d*) Cap. 11. ext. de Sponsalib.
(*e*) Cap. 43. ext. de Sent. excomm.
(*f*) Cap. 11. ext. de Pœnit. & remissionib.

quorum transitus de more ejus ætatis per civitates erant frequentes. Porro Gregorius IX. permisit, ut in unaquaque hebdomada celebraretur privata Missa, sed silentibus campanis, voce sumissa, clausis Ecclesiæ januis, & excommunicatis & interdictis exclusis, ut Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur, conficeretur (*a*). Demum Bonifacius VIII. pœnitentiam sanis omnibus dari permisit, & divina omnia officia portis clausis & silentibus campanis quotidie celebrari, exceptis festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes & Assumptionis B. Virginis (quibus festum Corporis Christi ejusque octavam Martinus V. addidit), in quibus etiam concessit divina officia solemniter celebrari, sed exclusis excommunicatis, & admissis interdicto affectis, modo qui causam interdicto dederint, ad altare non accedant (*b*).

Pœnæ contra violantes interdictum.

§. VIII. Violantes interdictum ex justa & canonica causa & ordine legitimo latum gravis criminis rei sunt, utpote qui Ecclesiæ auctoritatem in re gravi transgrediuntur. Clerici vero, qui scienter in loco interdicto celebrant, à Canone sunt alieni, nec ad eligendum cum aliis admittuntur, à qua irregularitate nonnisi à summo Pontifice absolvi possunt, quod Bonifacius VIII. habet (*c*). Et quamvis summus Pontifex loquatur de sola *celebratione*, quæ ad solam Missam recepto loquendi usu restringitur; tamen in præsenti celebratio omnia divina officia, quorum celebratio permissa non est, comprehendit. Item, qui interdicto affectos in loco sacro sepeliunt, excommunicatione ipso facto obligantur, cujus absolutio Episcopo reservata est (*d*). Excommunicantur quoque regulares etiam exempti, qui interdictum generale aut locale à Pontifice, vel ab Episcopo latum non servaverint (*e*).

De cessatione à divinis.

§. IX. Interdictum ex placitis novæ disciplinæ distat *à cessatione à divinis*; etenim qui in loco, ubi à divinis cessatur, celebrat, à Canone non est alienus, quum tamen contrarium in interdicto decretum sit (*f*). Per cessationem à divinis ipso jure vetantur divina officia celebrari in Ecclesia, quæ homicidio, aut adulterio, seu alio admisso crimine polluitur (*g*), ut populo salutaris terror & criminis horror incutiatur. Non ergo infligitur in criminis admissi emen-

(*a*) Cap. 57. ext. de Sent. excomm.
(*b*) Cap. ult. de Sent. excomm. in 6.
(*c*) Cap. 18. §. 1. eod.
(*d*) Clement. I. de Sepultur.
(*e*) Clement. I. de Sent. excomm.
(*f*) Cap. 18. ext. de Sent. excomm. in 6.
(*g*) Cap. ult. ext. de Consecr. Eccles.

emendationem, atque ideo proprie sic dictis censuris non adnumeratur: divina vero officia nequeunt celebrari, nisi Ecclesia reconcilietur. Et sæpe expedit populo christiano, ut reconciliatio differatur, præsertim si crimen enorme admissum sit, & aliæ Ecclesiæ non desint, in quibus divina officia peragantur. Violatio cessationis à divinis gravis culpa est, at non facit à Canone alienos (*a*); excommunicantur vero regulares, qui in Ecclesia, ubi à divinis cessatur, celebraverint (*b*).

CAPUT XLII.

De suspensione.

Definitio suspensionis.

§. I. Suspensio quatenus ab excommunicatione & interdicto distinguitur, est censura ecclesiastica, qua Clericos in emendationem exercitio potestatis ecclesiasticæ, quam ratione officii vel beneficii habet, salva dignitate, abstinetur. Ita distat ab excommunicatione, quæ privat exercitio ecclesiasticæ potestatis, non quod competat ratione officii aut beneficii, sed potius quod communionem cum reliquis fidelibus spectet. Item suspensio distat ab excommunicatione, quod hæc & in Clericos & in Laicos, illa tantum irrogatur in Clericos, quibus solis exercitio ecclesiasticæ potestatis officio aut beneficio ecclesiastico cohærentis, potest interdici. Porro suspensio distat ab interdicto, *hoc enim* Clerici abstinentur usu rerum sacrarum, sed qua fidelibus omnibus communes sunt: quando suspensi usu earum abstinentur, quod ab officio & beneficio dependent. Sic descripta suspensio sapit novæ disciplinæ placita, nam ex veteribus regulis non tanta scrupulositate à reliquis pœnis ecclesiasticis, tanquam proprie sic dicta censura, secernebatur (*c*).

Suspensio vel est ab officio, vel à beneficio, vel ab utroque.

§. II. Tres suspensionis species distingui solent, una ab officio, altera à beneficio, & tertia simul ab officio & beneficio. Suspensio ab officio Clericum abstinet ab omnibus officiis ecclesiasticis, quæ vel ab ordine, vel ab jurisdictione dependent, modo sint vera officia ecclesiastica; nam ea, quæ Clericis & Laicis communia sunt, qualia Sacramentorum susceptio, ingressus in Ecclesiam, communes preces, suspensis ab officio non interdicuntur. Suspensio à beneficio Clericum excludit à fructuum beneficii perceptione & aliis inde pendentibus, non item ab officio; odiosa enim stricte esse accipienda doctores tradunt. Suspensio demum ab officio & beneficio Clericum & à sacris officiis & à perceptione fructuum beneficii abstinet: qua abstentione etiam plecti intelliguntur, qui generaliter nulla addita suspensionis specie abstinentur. Num vero suspensi ab officio etiam beneficio, quod propter officium datur, abstenti intelligantur, disputant doctores (*a*), cujus quæstionis ratione factum est, ut judices ab utroque abstinere volentes verba *ab officio & beneficio* sententiæ inserant.

(*a*) Cit. cap. 18.
(*b*) Cit. Clement. I. de Sent. excomm.
(*c*) Conf. Espen. tract. de Censur. c. 10.

Suspensio vel est in totum, vel pro parte.

§. III. Præterea quævis suspensionis species vel irrogatur in totum, vel pro parte, vel in perpetuum, vel ad tempus, quin etiam ad certum locum potest limitari pro culpæ admissæ ratione. Clerici abstinentur in totum, si omni functione clericali, pro parte vero si tantum Missæ celebratione, aut habendis ordinationibus, non reliquis sacris officiis, prohibeantur. Perpetua est suspensio, quæ salva dignitate perpetuo sacris officiis celebrandis interdicit: temporaria vero, quæ ad certum tempus limitatur, veluti si Episcopus per annum ab ordinum collatione suspendatur. Ad certum locum restricta suspensio facit, ut Clerici in eo loco officia, à quibus sunt abstenti, nequeant exercere: at in aliis locis non prohibentur sacris operari, aut jurisdictione uti. Suspensio porro sive in totum, sive pro parte, sive in perpetuum, sive ad tempus alia est *ferendæ*, alia *latæ sententiæ*, quarum illa judicis sententia, hæc vero auctoritate juris ipso facto irrogatur, non secus ac de excommunicatione dictum est.

Suspensio est censura, si infligatur in emendationem.

§. IV. Censuræ stricte sic dictæ ex placitis novæ disciplinæ in emendationem, non in pœnam criminis irrogantur. Hinc non omnis suspensio censura est, sed ea tantum, quæ nulla temporis limitatione coercetur, utpote quæ in emendationem infligitur: quæ vero perpetuo, vel ad tempus abstinet, potius pœna, quam censura reputatur. *Quotiescunque privatio aliqua*, inquit Suarez (*b*), *communionis eucharisticæ, vel aliqua similis suspensio pro certo tempore absolute & sine ulla conditione ponitur, illa non est censura, sed pœna quædam alterius rationis, quæ non pro contumacia comprimenda, sed ut pœna pro delicto commisso pure imponitur.* Hinc suspensio ut censura irrogata non tollitur, nisi per canonicam relaxationem, quæ tum concedi debet, si abstentus resipuerit: contra suspensio ad certum tempus coacta ultra tempus non profertur, sed eo elapso ipso jure exspirat etiam sine relaxatione, quod communiter doctores tenent.

(*a*) Conf. Suarez de Censur. disp. 26. sect. 3.
(*b*) Suarez de Censur. disp. 8. sect. 1.

nent (*a*). Quin observat auctor glossæ, suspensionem hac formula latam, *donec satisfecerit*, ipso jure sine alia relaxatione evanescere statim ac judex satisfactum fuisse declaraverit (*b*).

Vetus Ecclesiæ disciplina de suspensione.

§. V. Quidquid vero de Clericorum suspensione sive tanquam censura, sive tanquam pœna habet nova disciplina, id etiam apud veteres obtinuit: Clerici enim omni ætate, sive in totum, sive pro parte, sive ad tempus, sive in perpetuum sui ordinis exercitio abstenti sunt, salvo gradu & dignitate, quam in Ecclesia obtinebant, quod sexcentis monumentis constat. Quin etiam in veteri disciplina exempla occurrunt Clericorum, qui retento ministerio, tantum redituum sibi debita portione abstenti sunt. Sane Cyprianus de nonnullis inferioris ordinis Clericis, qui deliquissent, loquens (*c*), eos tantum *à divisione mensurna*; hoc est, à reditibus ecclesiasticis, qui singulis mensibus inter Clericos tribuebantur, abstinere jubet, non vero à ministerio. Et Synodus Carthaginensis IV. de Clerico, qui absque corporis incommodo vigiliis non interesset, edicit, ut *stipendiis privetur* (*d*). Tantum apud veteres suspensio, quæ nunc tanquam propria censuræ species ab excommunicatione distincta reputatur, erat excommunicationis species, qua Clerici ab ecclesiastica communione, quæ illis propria erat, plus minusve pro culpæ ratione abstinebantur, quod Albaspinæus, Habertus, Binghamus aliique viri docti observant (*e*). Hinc suspensio in veteribus monumentis etiam τὸ ἀφορισμοῦ *separationis* & *excommunicationis* nomine designatur (*f*). Item quod spectat suspensionem à beneficio, ubi nulla erant adhuc beneficia ecclesiastica, ea formulis abstentionis à mensurna divisione, aut à stipendiis exprimebatur, nec unquam suspensionis à beneficio mentio occurrit.

Suspensi dignitatem & beneficium retinent.

§. VI. Jam Clerici sacris officiis, aut ecclesiasticis stipendiis abstenti dignitatem seu beneficium non amittunt, sed tantum ordinis, seu dignitatis suæ functionibus, aut perceptione fructuum beneficii & aliis inde pendentibus abstinentur. Et sane Patres Ancyrani de Presbyteris, qui vel semel Christi fidem negaverant, & inde pœnitentia ducti eandem fortiter confessi erant, imo & tormenta sustinuerant, edicunt, *eos cathedræ quidem honoris esse participes, non licere autem ipsis offerre & concionari, vel omnino aliquod sa-*

(*a*) Post. gloss. in c. 48. ext. de Sent. excomm.
(*b*) Glossa in Clement. I. de Decim. v. *Donec.*
(*c*) Cypr. epist. XXVIII. al. XXXIV. ad Clerum.
(*d*) Conc. Carthag. IV. Can. XLIX.
(*e*) Albasp. Observ. lib. 1. c. 2., Habert Archierat. pag. 745. & seq., Bingh. Origin. Eccles. lib. 17. c. 1.
(*f*) Conf. Suicer. Thes. eccles. v. ἀφορισμὸς.

cerdotale munus obire (*a*). Et Synodus Neocæsariensis statuit, ne Presbyter, qui crimen corpore admissum ante ordinationem confessus fuerat, offerret, in aliis vero functionibus maneret (*b*). Et longe ante Cyprianus Presbyteris suis, qui lapsos nondum peracta pœnitentia susceperant, abstentionem, salva dignitate, minatur: *si in iisdem perseveraverint, interim prohibeantur offerre* (*c*). Ita suspensio quamvis nullo tempore coacta, differt à depositione, quæ non tantum ab executione officii & beneficii abstinet; verum etiam Clericum omnino ab altaris ministerio exturbat, & officio & beneficio omnino privat, titulumque aufert, adeo ut sine nova collatione & titulo ad officium, vel beneficium redire nequeat (*d*).

Causa & modus ferendæ suspensionis.

§. VII. Quod vero suspensio, sive ab officio, sive à beneficio pœna ecclesiastica est, sine causa non debet irrogari, quamvis non adeo gravis culpa requiratur ad suspensionem, ac ad excommunicationem & interdictum. Nempe suspensio origine sua est levis excommunicatio, qua Clerici ecclesiastica communione, quæ strictius accepta tantum clericalia officia complectebatur, pro parte, aut in totum abstinentur. Et reapse in veteri disciplina sæpe occurrunt excommunicationes Clericis irrogatæ pro levibus culpis, veluti ob injuriam Presbytero aut Diacono illatam (*e*); item ob manci, surdi, cæci, loripedis irrisionem (*f*): quæ & aliæ ejusmodi excommunicationes non prorsus Clericos omni Ecclesiæ communione exturbabant, sed sacrorum exercitio. Sed si suspensio tanquam censura ferendæ sententiæ decernatur, debet præcedere contumacia & canonica admonitio. Item suspensio, non secus ac excommunicatio & interdictum, in scriptis ferenda est, & quidem expressa causa, ob quam irrogatur (*g*).

Pœna in violatores suspensionis.

§. VIII. Quamvis vero Clerici suspensi ab ordine, aut beneficio, ordine & beneficio non priventur, sed pristinam dignitatem retineant; tamen si in suspensione functiones ordinis, aut beneficii, unde suspensi sunt, exerceant, à Canone fiunt alieni (*h*). Imo si Presbyter simpliciter sit abstentus ab ordine, & in suspensione vel minorum ordinum functiones exerceat, ipsum etiam à Canone fieri alienum Fagnanus docet (*i*); functiones enim minorum ordinum

(*a*) Conc. Ancyr. Can. I.
(*b*) Conc. Neocæs. Can. IX.
(*c*) Cypr. ep. X.
(*d*) Conf. Espen. part. 3. tit. 11. c. 10.
(*e*) Can. apost. LVI.
(*f*) Can. apost. LVII.
(*g*) Cap. 1. de Sent. excomm. in 6.
(*h*) Cap. 1. de Sentent. & re judic. in 6.
(*i*) Fagnan. ad c. 2. ext. de Cleric. excomm. minist.

num sacerdotio insunt, & inde veluti totidem rivuli manarunt, modo tamen has functiones exerceat tanquam Clericus, cui functio illa propria est. Hinc quod functiones ordinum minorum etiam in publicis officiis soleant à Clericis ordine necessario non insignitis, aut etiam à laicis exerceri, non videtur hodie Presbyter suspensus ab ordine esse à Canone alienus, quod functiones ordinum minorum obeat, nam functiones illas exercet, tanquam si ab ordine non penderent, nisi simus in Ecclesiis, ubi adhuc laudabilis viget consuetudo, quæ ad functiones illas tantum Clericos necessario ordine insignitos admittit (*a*).

CAPUT XLIII.

De absolutione à censuris.

Censura non tollitur nisi per absolutionem.

§. I. Semel irrogata censura non tollitur, nisi per relaxationem seu absolutionem, qua contracta vincula solvantur; quum enim per censuras juridica & canonica Ecclesiæ potestate christiani à communione, sive in totum, sive pro parte prohibeantur, non videntur, nisi eadem potestate in externam Ecclesiæ communionem restitui posse. Et profecto quæsitus Innocentius III. an excommunicatus, qui postquam dedisset aperta pœnitentiæ signa, ante pacem receptam inopinus decesserat, pro jam reconciliato cum Ecclesia sit habendus, respondit, extra Ecclesiæ communionem mortuum esse, nec pro eo orandum esse, nisi prius post mortem reapse reconcilietur (*b*). Qua in re fortior est vis censurarum ab Ecclesia irrogatarum, quam vinculi, quo apud Deum excommunicatus obstringitur: etenim si quis contritus & absolutionis cupidus inopinus moriatur, Deo jam reconciliatus est; at non simul censura Ecclesiæ sublata & exterior fidelium communio restituta. *Vinculum, quo peccator ligatus est apud Deum*, inquit Innocentius III., *in culpæ remissione dissolvitur: illud autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur.*

Forma absolutionis censurarum.

§. II. Vox absolutio in veteribus monumentis vix occurrit ad significandam censurarum relaxationem, sed quidquid ejus rei erat, *pax*, *relaxatio*, *venia*, *communio* dicebatur. Est vero absolutio à censuris remissio, seu relaxatio censuræ secundum Ecclesiæ formam concesssa. Forma vero Ecclesiæ id ante omnia postulat, ut ademp-

(*a*) Conf. Espen. tract. de Censur. cap. 10.
(*b*) Cap. 28. ext. de Sent. excomm.

adempta communio non facile restituatur, sed ubi de vera emendatione ejus, qui in pacem admitti desiderat, constat. *In ipsa Ecclesia*, inquit Ambrosius (*a*), *ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma justitiæ, ne quis à communionis consortio abstentus, brevi lacrimula atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem, quam plurimis debet postulare temporibus à facilitate Sacerdotis extorqueat.* Vera & sincera emendatione cognita ex forma Synodi Arausicanæ excommunicatio relaxatur (*b*). Episcopus ante fores Ecclesiæ venit, & cum eo duodecim Presbyteri undique adstant. Tum excommunicatus humi prostratus veniam postulat, & de futuris cautionem dat: inde Episcopus apprehensa manu ejus dextera in Ecclesiam illum introducit, & in communionem christianam restituit, demum cantantur septem psalmi pœnitentiales, & aliæ preces funduntur. Sic data absolutio simplex, & absoluta est, spectatque ferme solas excommunicationes judicis sententias latas, quæ unice antiquitati cognitæ erant.

Duplex absolutio à censuris in nova disciplina.

§. III. Stante veteri disciplina, qua unum erat Ecclesiæ pœnitentiale forum, internum nempe, relaxatio censurarum etiam una erat, & ejusdem interni fori pars habebatur, & ab eodem sive Episcopo, sive Presbytero, qui pœnitentiis præerat, concedi solebat (*c*). Id tamen verum est, excommunicatis pacem datam fuisse seorsum, & diversa formula à peccatorum absolutione: nam excommunicati in pacem recipiebantur in ipsa pœnitentiæ datione, peccata vero remittebantur per absolutionem sacramentalem, quam demum emensis pœnitentiæ spatiis peccatores accipiebant (*d*). Sed temporis lapsu ubi duplex in Ecclesia forum invaluit, internum scilicet, & externum, & irrogatio censurarum ad externum & judiciale devoluta est, duæ species absolutionis à censuris distinctæ sunt, una in foro externo & contentioso, quæ præcedente judicis sententia externam pacem restituit; altera in foro interno, quæ Deo reconciliat. Utraque proprii fori limitibus coercetur, nec ulterius operatur: quin sæpe evenit, ut qui potest censuras in foro externo relaxare, in foro interno absolvere nequeat, & è contrario. Hinc absolutio in foro interno etiam vi jubilæi data ad tollendos actus fori judicialis satis esse non censetur (*e*). Necessaria vero est relaxatio in foro externo in iis præcipue casibus, quibus censura ab judice fertur & denuntiatur, alias interna relaxatio sufficit (*f*).

Quis

(*a*) Can. XXXIII. c. 23. q. 4.
(*b*) Can. CVIII. c. 11. q. 3.
(*c*) Conf. Morin. de Administr. pœnit. lib. 1. c. 10.
(*d*) Conf. dicta part. 2. cap. 22.
(*e*) Conf. Covarr. ad cap. *Alma mater* part. 1. §. 11. n. 16.
(*f*) Conf. Espen. tract. de Censur. c. 11. §. 2.

Quis relaxat censuras ab judice latas.

§. IV. Jam à censuris ab Episcopo, seu alio judice ecclesiastico per sententiam latis ille jure absolvit, qui eas irrogavit (*a*), vel ejus in munere successor, aut ejus delegatus (*b*), aut denique superior veluti metropolitanus, si querela de iniquitate censuræ ad ipsum deferatur. Sed metropolitanus nemini, qui apud ipsum de injusta censura ab Episcopo lata conqueratur, potest pacem impertiri, nisi legitime & plene ipsi constiterit de episcopalis sententiæ iniquitate: contra si certum appareat, excommunicationem esse justam, veluti si propter manifestum crimen jure lata fuerit, superior judex excommunicatum ad judicem, qui excommunicavit, remittere debet, non vero pacem dare, nisi periculum in mora esse videatur, vel excommunicator requisitus absolutionem satisfacere parato impendere per malitiam detrectet. Quod si dubitetur, an censura justa sit, superior eam relaxare bene potest, quamvis rectius sit, si ad proprium Antistitem remittat. Hæc omnia statuta sunt in Concilio Lugdunensi sub Innocentio IV., & regulis veteris disciplinæ ferme per omnia conveniunt (*c*). Sane secundum Canones Nicænos excommunicatus ab uno Episcopo ab omnibus Episcopis tanquam excommunicatus haberi debebat, tantumque in Synodo provinciali, si de injusta excommunicatione constitisset, in Ecclesiæ communionem restituebatur; contra si justa appareret excommunicatio, excommunicatus remanebat quousque vel in commune, vel Episcopo placeret, humaniorem ferre sententiam & censuram relaxare (*d*).

Quis relaxat censuras latæ sententiæ.

§. V. Quod vero spectat ad censuras latæ sententiæ, quibus vi ipsa Canonis transgressores feriuntur, hæc regula recepta est: si summus Pontifex, aut Canonis conditor earum relaxationem sibi expresse non reservaverit, absolvi unusquisque potest, vel à proprio Episcopo, vel à proprio Sacerdote, quæ regula ab Innocentio III. in specie particulari proposita (*e*) theologorum & canonistarum interpretatione ad omnes censuras latæ sententiæ extensa est. Nomine proprii Sacerdotis etsi Parochus proprius veniat; tamen in hac causa sententia communiter recepta est, quemcumque Sacerdotem, qui confessionibus præest, intelligi; quippe qui in excipiendis confessionibus vice Parochi fungitur. Quod si summus Pontifex, aut alius Canonis conditor absolutionem sibi reservarit, ipse aut etiam alius Sacerdos ex ejus delegatione relaxat censuram.

Cen-

(*a*) Conc. Nicæn. Can. V.
(*b*) Cap. 20. ext. de Off. Ord.
(*c*) Cap. 7. §. 3. de Sent. excomm. in 6.
(*d*) Conc. Nicæn. cit. Can. V.
(*e*) Cap. 29. ext. de Sent. excomm.

Censetur vero auctus delegatione ad relaxandas in foro interno censuras Papæ aut Episcopis reservatas etiam qui ab iisdem absolvendi à peccatis reservatis generalem potestatem habent (*a*). Sunt tamen casus, in quibus generalis censurarum reservatio cessat, & relaxatio etiam sine speciali delegatione ab inferioribus ministris conceditur. Ita Episcopi in foro conscientiæ rite absolvunt subditos suos à casibus occultis etiam Papæ reservatis (*b*). Præterea Episcopi relaxant censuras Papæ reservatas, ubi censura innodati impares sunt ad Romanum iter, quales sunt mulieres, senes, valetudinarii (*c*). Et generatim cessat omnis reservatio, & Presbyteri quique absolvunt, si mortis periculum urgeat (*d*): quamvis inde evanescente periculo sic absoluti Romano Pontifici vel ejus legato se sistere debeant, ejus mandata accepturi, alias in eandem censuram incidunt (*e*).

Relaxatio censurarum ad cautelam.

§. VI. Relaxatio à censuris cognita veteribus Patribus una & absoluta erat, quæ post emendationem, aut finitam causam dabatur; at in nova disciplina datur etiam absolutio *ad cautelam* ita dicta, quod ad majorem cautionem dari consuevit. Ea locum habet, ubi de vi latæ censuræ dubitatur, daturque petenti adhuc de illius validitate pendente controversia, etsi qui excommunicavit vel adversarius instet, pacem dari non debere (*f*): item præmittitur absolutioni sacramentali ab omnibus Sacerdotibus, qui foro interno præsunt, idque ne absolutio sacramentalis ob censuram jure illatam & ignotam frustranea sit: & porro inseritur omnibus bullis, rescriptis & privilegiis apostolicis, ut eo salutari remedio gratia aut privilegium concessum obtineri possit, nihil obstante excommunicatione, si quam impetrans incurrere potuerit. Absolutio ista ad cautelam demum post sæculum decimum inventa est, postquam frequentiores esse cœperunt censuræ, præsertim excommunicatio, & earum effectus summo cum rigore extensus est: durum enim videbatur longo tempore extra Ecclesiæ communionem hærere: (causæ nimirum censurarum in foro per juris ambages tractabantur) & ita recepta disciplina, ut pendente quæstione de vi censurarum absolutio ad cautelam daretur. Inde censuris latæ sententiæ eatenus multiplicatis, ut sæpe nesciant christiani, an censuris obstricti sint, necesse fuit, relaxationem ad cautelam sacramentali absolutioni præmitti, & omnibus gratiæ rescriptis inseri (*g*).

Re-

(*a*) Conf. Espen. part. 3. tit. 11. cap. 11.
(*b*) Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 6.
(*c*) Cap. 13. ext. de Sent. excomm.
(*d*) Trid. sess XIV. de Sacram Pœnit. cap. 7.
(*e*) Cap. 22. de Sent. excomm in 6.
(*f*) Cap. 40. ext. de Sent. excomm., cap. 2 eod. in 6.
(*g*) Conf. Espen. tract. de Censur. cap. 11. n. 3.

Relaxatio censurarum cum reincidentia.

§. VII. Est & alia species absolutionis priori non absimilis, & antiquis quoque ignota, quæ vulgo dicitur, *cum reincidentia*, vel *ad reincidentiam*, quæ datur ad definitum tempus, aut ad certum actum, ut illo tempore elapso, aut actu peracto, sic absolutus rursus incidat in censuram. Habet vero locum absolutio cum reincidentia si de censura certo constet, quo distat ab absolutione ad cautelam, quæ datur ubi censura dubia est, aut de ea non constat. Solet hæc absolutio concedi sub certo modo seu obligatione, videlicet satisfaciendi parti lesæ, vel exercendi certum pium opus, aut itineris Romani suscipiendi: qui modus intra præfixum tempus impleri debet, alias eo elapso, & modo non impleto censura vim suam resumit. Quod si per absolutum non steterit, quominus modum impleret, nec ejus nova culpa adsit, verisimilius est, comminatam reincidentiam nihil operari, quod similium obligationum injunctio intelligenda videtur sub certa conditione, modo is, cui obligatio imponitur, susceptæ obligationi possit satisfacere (*a*).

Relaxatio excommunicationis post mortem.

§. VIII. Nec tantum relaxantur excommunicationes, dum adhuc excommunicati ipsi vivunt, verum etiam post mortem; fieri enim potest, ut excommunicatus, qui signa pœnitentiæ & emendationis dederat, ante pacem moriatur, aut quis etiam post mortem excommunicetur. Pax post mortem in veteri disciplina restitui solebat, si mortuorum execratorum nomina in sacris diptychis, ex quibus antea expuncta fuerant, iterum scriberentur; itemque si oblationes mortuorum nomine factæ ab Ecclesia acciperentur (*b*): quo facto iterum mortuorum nomina in sacris precibus recitabantur, & Ecclesia pro eorum dormitione deprecationem faciebat. Sed labentibus annis eo res devenit, ut pax mortuis certa verborum formula tribueretur, quod de Ecclesia latina ex Innocentio III. (*c*) & antiquis sacramentariis constat; de Græca vero ex euchologiis, in quibus orationes habentur ad veniam mortuis concedendam, creditumque vulgo à nonnullis per istam absolutionem mortuos ab aliquibus pœnis liberari: quæ persuasio vana omnino est; nec enim excommunicationes & absolutiones mortuorum animabus nocere aut prodesse possunt, sed eorum tantum memoriæ, quod Dupinus observat (*d*).

Re-

(*a*) Conf. Du-Casse tract. de Jurisdict. eccles. tom. 1. cap. 12. §. 1.
(*b*) Conf. Bing. Orig. eccles. lib. 16. cap. 3. §. 12.
(*c*) Cap. 28 ext. de Sent. excomm.
(*d*) Dupin. de Veteri eccles. discipl. diss. 3. cap. 2.

Relaxatio excommunicationis ob amicitiam cum Regibus.

§. IX. Sed prætereunda hic non est relaxatio excommunicationis, quæ œconomia quadam dabatur excommunicatis, qui in gratiam apud Reges recepti, aut regiæ mensæ participes facti erant. Certe Ivo Carnotensis veluti in capitularibus Imperatoris cautum refert, ut si quis culpatorum, seu Ecclesia ejectorum, in gratiam seu mensam Regis receptus sit, ei etiam ecclesiastica communio tribuatur (*a*): & hinc non semel apud alios Episcopos se excusat, quod in communionem aliquot receperat, qui Regum favorem meruissent (*b*). Sed in eam sententiam nullum hodie extat capitulare, at vero id habet Synodus Toletana XII. circa annum Christi DCLXXX. sub Ervigio Rege celebrata. Canon ibi tertius est, *de culpatorum receptione vel communione apud Ecclesiam.* Verba eadem ferme sunt, quæ Ivo Carnotensis veluti ex capitularibus decerpta refert: *si quos regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hos etiam Sacerdotum & populorum conventus suscipere in ecclesiasticam communionem debebit, ut quod principalis pietas recipit, nec à Sacerdotibus Dei extraneum habeatur* (*c*). Quanquam Toletani Patres id tantum de illis excommunicatis videntur edixisse, qui *contra Regem, gentem, vel patriam* egerant. Mos iste obtinuit in Germania, Francia, Hispania & Anglia quod Joannes Seldenus probat (*d*). Nimirum id obsequii Ecclesia exhibuit Regibus, ut censuras suas relaxaret, si illi in suam gratiam excommunicatos recepissent. Etiam apud gentes homicidii reus, qui & à sacris & à communi consortio arcebatur, expiatus seu absolutus tum demum maxime habebatur, si à Rege quopiam hospitio exceptus purgaretur (*e*).

CAPUT XLIV.

De depositione & reliquis pœnis ecclesiasticis.

Definitio depositionis, ejusque nomina.

§. I. Satis de censuris, nunc de pœnis ecclesiasticis stricte sic dictis agendum, inter quas principem sibi locum depositio vindicat, Græcis καθαίρεσις, quasi destructio dicta. Definitur pœna ecclesiastica, qua Clerici propter crimen in perpetuum ordinum exercitio, sacris functionibus & beneficiis in totum exuuntur. Et hinc

Cle-

(*a*) Ivo Carnot. Decr. part. 17. cap. 344.
(*b*) Ivo Carnot. ep. CLXXI.
(*c*) Conc. Tolet. XII. Can. III.
(*d*) Selden. de Synedr. lib. 1. cap. 10.
(*e*) Conf. Selden. loc. cit.

Clerici hac pœna affecti παντελῶς καθαιρεῖσθαι, *omnino deponi*, παντελῶς ἀποπίπτειν βαθμοῦ, *omnino de proprio gradu dejici*, *ab ordine cleri amoveri*, & á *clero cessare* in antiquis Canonibus dicuntur (*a*). Sæpe etiam dicuntur *degradari*, quasi de proprio gradu exturbari (*b*), nam in veteribus monumentis depositio & degradatio promiscue accipiuntur : quod passim viri docti observant (*c*). Occurrit etiam vox *deordinatio* ad depositionem significandam (*d*), quasi depositi Clerici ordinibus ipsis spoliarentur.

Depositionis species.

§. II. In veteri Ecclesia una erat depositio ; at ex novæ disciplinæ regulis depositionis duæ species sunt, una simplex seu verbalis, quæ *depositio* stricto sensu dicitur ; altera solemnis & actualis, quæ *degradationis* nomine venit. Simplex depositio per nudam judicis sententiam Clericum officio, nulla adhibita solemnitate, exturbat : solemnis vero & actualis verbis & re peragitur, est enim actus ipse seu solemnis cæremonia, qua Episcopus Clericum sola sententia prius depositum reapse sacris indumentis & insignibus spoliat. Multa inter utramque intercedunt discrimina : præcipua vero sunt, depositus adhuc retinet privilegia clericalia, degradatus vero ea omnino deperdit, & deinceps veluti laicus reputatur (*e*): depositus item ablegatur ad pœnitentiam, degradatus vero traditur judici sæculari puniendus : depositus denuo deponi nequit, at potest degradari. Qui degradationis effectus veteribus Patribus ignoti erant, etenim per ipsum depositionis actum Clerici privilegia clericalia una cum ordinum exercitio amittebant, & statim ad laicam communionem transibant : depositi Clerici magistratibus puniendi ab Episcopis non tradebantur ; nec poterat evenire, ut depositus iterum degradaretur.

Quî degradatio distincta à depositione.

§. III. Inter depositionem & degradationem distinctio cœpit adhiberi, ubi Clerici à magistratum jurisdictione etiam in civilibus delictis omnino exempti sunt, & Clerici canonicis pœnis in officio contineri non poterint, respublica vero atrociores & sanguinis pœnas, quæ in novis Europæ regnis frequentes non erant, receperat. Nimirum in hoc rerum statu aliquando evenicbat, ut criminosi Clerici in delictis atrocibus, quod essent pervicaces & fierent nequiores, magistratibus puniendi tradi deberent ; nec enim ferendum erat, ut illi canonicis pœnis contemptis Ecclesiam non mi-

(*a*) Conf. Bingham. Orig. eccles. lib. 17. cap. 1. §. 6.
(*b*) Conc. Carthag. IV. Can. XLVIII., Tarrac. Can. X.
(*c*) Conf. Gonzalez in cap 2. ext. de Cleric. excomm. & Cangius v. *Degradatio.*
(*d*) Acta Servatii Tungrensis ap. Crab. Conc. tom. 1. p. 318.
(*e*) Conf. Benedict. XIV. de Synodo diœces. lib. 9. cap. 6. n. 3.

minus, quam rempublicam purgare pergerent. Itaque non sufficiebat, Clericum per nudam sententiam deponi, nam nuda depositio Clericum nec privilegiis clericalibus exuebat, nec foro sæculari addicebat. Hinc necesse fuit distingui inter simplicem & solemnem depositionem, per quarum primam cadebat quidem Clericus officio & gradu suo, at adhuc ad forum ecclesiasticum pertinebat; per alteram vero privabatur etiam clericalibus privilegiis, & foro sæculari addicebatur. Ejusmodi discrimen aut induxit, aut jam inductum probavit sub finem sæculi decimi secundi Clemens III., sive ut habetur in Gregoriana Decretalium compilatione, Cælestinus III., qui facinorosos Clericos tum demum degradari & magistratibus tradi præcepit, si depositi, & inde excommunicati, & anathemate percussi adhuc obstinato animo in criminibus hæreant (*a*). Et quamvis Clerici etiam in veteri disciplina, antequam in delictis civilibus à magistratu punirentur, deponi deberent (*b*); tamen depositio ista non eo spectabat, ut illi in laici judicis potestatem transirent (integra tum erat in Clericos communium criminum reos magistratuum jurisdictio); sed potius ad eos altaris ministerio exturbandos.

Judices depositionis Clericorum in veteri disciplina.

§. IV. Ex regulis veteris disciplinæ Episcopi in Synodo provinciali, Presbyteri & reliqui inferiores Clerici à proprio Episcopo deponebantur, quod Canonibus Antiochenis comprehensum est (*c*). Judicabat autem Episcopus Clericos suos, eosque deponebat non solus, sed in Ecclesiæ presbiterio seu senatu : neque ullus Clericorum gradus aliquid præcipuum habebat. Sed Africani Patres in re tanti momenti solum Episcopum in presbyterio sedentem vix sufficere putantes, in deponendis etiam Diaconis & Presbyteris plurium Episcoporum præsentiam adhiberi voluerunt. Ergo statuerunt, ut Diaconus à tribus vicinis Episcopis cum proprio Episcopo arguatur, Presbyter à sex ; Episcopus vero à duodecim Episcopis damnetur (*d*). Tum vero hæc disciplina obtinuisse videtur, si contingeret extra solemne habendæ Synodi tempus Episcopum deferri, & negotium moram non pateretur ; nam alias etiam secundum Africanos Canones Episcopi in ordinariis Synodis deponebantur : quo spectant verba Canonis Concilii Carthaginensis II., qui Episcopos in Concilio duodecim Episcoporum judicandos edicit, si fuerit nimia necessitas, & plures convocari non pos-

(*a*) Cap. 10. ext. de Judic.
(*b*) Justin. novell. LXXXIII. in præf. §. 2.
(*c*) Conc. Antioch. Can. IV. & XV.
(*d*) Can. III. & seqq. c. 15. q. 8.

possent (*a*). Quod si Augustinus Xantippum quendam Presbyterum, qui in dominicæ nativitatis vigilia jejunium violaverat, & apud famosam mulierem sine acolytho pransus & cœnatus dormierat, sine ullius Episcopi consilio deposuerit (*b*), tribuendum id nimio Augustini zelo, quem mirari, quam imitari præstat, ut bene Thomassinus observat (*c*). Disciplina ab Africanis Patribus statuta etiam in aliis Occidentis Ecclesiis recepta est.

Judices depositionis in nova disciplina.

§. V. Verum labentibus annis depositiones, sive Episcoporum, sive Presbyterorum & Diaconorum per alios ferme judices ab iis, qui in antiquis Canonibus designantur, fieri cœperunt. Et quidem depositiones Episcoporum una cum reliquis causis majoribus ad summum Pontificem devolutæ sunt: quæ disciplina occasione falsarum Decretalium exorta sensim in ordinarium jus convaluit, quod alias fusius dictum est (*d*). Quod vero spectat ad meram depositionem Clericorum, qui majoribus ordinibus aucti sunt, statutum à priscis Canonibus Episcoporum numerum Bonifacius VIII. etiam probavit; tantumque permisit, ut Clerici in minoribus ordinibus constituti possent sola proprii Episcopi sententia exauctorari (*e*). Interim in Germania & aliis provinciis, ubi rari erant episcopatus, non facile depositiones Clericorum fieri poterant, & ita eorum enormia delicta debitis pœnis non vindicabantur: qua de re & apud Adrianum VI. & in Concilio Tridentino Germani conquesti sunt. Hinc Tridentini Patres statuerunt, ut deinceps liceret Episcopo, per se vel suum vicarium generalem depositionis sententiam in Clericos majores ferre etiam sine legitimo Episcoporum numero, modo tamen eorum loco adhibeantur totidem Abbates, qui usum mitræ & baculi habeant, si in civitate aut diœcesi inveniri & commode interesse possint; alioquin aliæ personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, quæ ætate graves, & juris scientia commendentur (*f*). Quod vero Patres juris scientiam requirant in iis, qui Episcopo deponenti assidere debent, recte infertur, eos non adhiberi in merum consilium, sed tanquam judices assessores, qui verum suffragium ferant (*g*).

Ri-

(*a*) Can. IV. eod.
(*b*) August. ep. CCXXVI.
(*c*) Thomass. part. 2. lib. 1. cap. 15. n. 18.
(*d*) Conf. superius dicta cap. 8. §. 9. & seqq.
(*e*) Cap. 2. de Pœnis in 6.
(*f*) Trid. sess. XIII. de Reform. cap. 4.
(*g*) Conf. Benedict. XIV. de Synod. diocæs. lib. 9. cap. 6. n. 4.

Ritus depositionis.

§. VI. Depositio autem in veteri disciplina non sine solemnibus peragebatur, quod pluribus Martene illustrat (*a*). Sane de iis, qui Scripturas sacras tradiderant, vel vasa dominica, vel fratrum suorum nomina, placuit Synodo Arelatensi, ut *non verbis nudis ab ordine cleri* amoverentur (*b*). Constat quoque Episcopos, dum in Conciliis deponebantur, per Patrum clamores probris onerari consuevisse, impios & sceleratos, tacitis tamen iniquitatis causis, fuisse pronunciatos, quod Socrates testatur (*c*). Generatim vero depositi omnes ornatu & vestibus gradui suo propriis exui solebant: quo ritu Theodosius Imperator Irenæum Episcopum Nestorio addictum exauctorari jussit (*d*). Refert quoque Liberatus, Paulum Alexandriæ Episcopum per *ablationem pallii* fuisse depositum (*e*). Eo etiam spectant Patres Concilii Toletani IV., qui edicunt, Episcopos, Presbyteros & Diaconos injuste dejectos non posse in pristinum restitui, nisi rursus coram altari gradus amissos & propria ornamenta recipiant: quod argumento est, prius in depositione iisdem ornamentis exutos fuisse (*f*). Item Photius intrusus Patriarcha dempto baculo: & Benedictus falsus Pontifex scisso pallio & fracto baculo pontificio depositus est. Et ut multa alia in hanc sententiam mittam, Abbates fracto sigillo deponi solebant, cujus disciplinæ multa exempla Alteserra congessit (*g*).

Ritus degradationis.

§. VII. In nova disciplina simplex depositio per solam sententiam peragitur, solemnitas vero in degradationem transfusa est: quæ solemnitas à Bonifacio VIII. describitur (*h*). Nimirum Clericus degradandus sacris vestibus indutus, ac in manu habens librum, vel aliud sui ordinis instrumentum, perinde ac si in officio solemniter ministrare deberet, adducitur ad Episcopum, cui adhærent alii Episcopi seu Abbates, aliive qui in sententia depositionis interfuerunt. Episcopus singula ornamenta ipsi sigillatim eripit, incipiens ab eo, quod in ordinatione postremum fuit, & desinens in eo, quod primo datum est: tum jubet, caput omne abradi, ad

de-

(*a*) Martene de Antiq. Eccles. ritib. tom. 3. lib. 3. cap. 2.
(*b*) Conc. Arelat. I. Can. XIII.
(*c*) Socrat. lib. 1. cap. 24.
(*d*) Ap. Baron. ad an. 448. n. 6.
(*e*) Liberat. Breviar. cap. 23.
(*f*) Conc. Tolet. IV. Can. XXIV.
(*g*) Alteserr. de Eccles. jurisd. lib. 9. cap. 8.
(*h*) Cap. 2. de Pœnis in 6.

delendam coronam clericalem ; ne ullum supersit clericatus vestigium. Dum vero singula ornamenta Episcopus detrahit, ad terrorem verba iis contraria, quæ in ordinatione adhibita sunt, pronunciat; addit vero in detractione vestis clericalis veluti sententiam, qua degradatum omni ordine, beneficio & privilegio clericali exuit, & ad laicos veluti reducit. Solemnis autem vestium sacrarum detractio exemplo rei militaris in Ecclesia usurpari cœpit : dum enim exauctorabantur milites, insignia militaria iis detrahebantur (*a*), sicque castris & consortio militum ejecti militaribus privilegiis cadebant.

Depositio ob delictum irroganda.

§. VIII. Depositio autem, utpote pœna gravis, nonnisi ob delictum debet irrogari, quo Clericus indignus sacro ministerio fiat. Delicti nomine in hac causa vetus Ecclesia intelligebat non solum gravia crimina, tam ecclesiastica quam civilia, veluti apostasia, hæresis, schisma, simonia, perjurium, sacrilegium, homicidium, adulterium, & hujus generis alia ; verum etiam delicta ipsa minora, quæ clericum nota quadam infamiæ afficiebant, aut alias contra Canones & clericale officium admittebantur. Et sane depositio manebat Clericos, qui aleis & ebrietatibus vacarent, si admoniti bonam vitam non induissent (*b*). Item præsto erat depositio, si Clerici contra officium ordinis sui peccarent, aut in eo administrando negligentes essent. *Episcopus*, inquit unus ex Canonibus Apostolicis (*c*), *aut Presbyter clerum vel populum negligens, & non docens eos pietatem, segregetur* (hoc est ad tempus officio sacro interdicatur), *si autem in socordia perseveraverit, deponatur.* Et Justinianus Imperator extra clerum constitui jussit Clericos, *qui inventi non fuerint inculpate in liturgiis perseverantes* (*d*). Et Concilium Moguntinum anno IOCCCXIII. Clericos exhibet *propter suam negligentiam canonica degradatos* (*e*). Quod si quando occurrant Clerici ob gravia crimina à gradu in perpetuum non dejecti, sed aliis rationibus castigati, puta regradatione, abstentione temporaria, aut flagellis, id arguit, Ecclesiam censuras suas pro varia temporis & personarum ratione moderasse.

De-

(*a*) L. 2. D. de His, qui notantur infamia, L. 12. C. de Dignitatib. lib. 12.
(*b*) Can. Apost. XLI.
(*c*) Can. Apost. LVIII.
(*d*) L. 42. §. 10. Cod. de Episc.
(*e*) Can. VIII. D. 81.

Degradatio ob quæ crimina irrogatur.

§. IX. Quod spectat ad degradationem, qua Clerici degradati magistratibus puniendi traduntur, ea quo primum tempore per summos Pontifices admissa est, propter magna crimina tum demum irrogabatur, si omnibus remediis & pœnis canonicis præmissis Clerici contumaces & rebelles persisterent (*a*). Interim Conciliorum Canonibus Pontificum constitutionibus sensim quædam crimina expressa sunt, quæ etiam sine reorum contumacia degradatione vindicari placuit. Talia crimina ex Benedicti XIV. recensione sunt hæresis, & apostasia à fide, saltem si quis in illam relapsus, aut in ea pertinax sit, falsificatio litterarum apostolicarum, assassinium, nefandum crimen non semel admissum, sollicitatio ad turpia in sacramentali confessione, celebratio Missæ, aut exceptio sacramentalis confessionis ab eo temere præsumpta, qui sacerdotali ordine initiatus non est, falsæ monetæ sive aureæ, sive argenteæ fabricatio & erogatio, seu veræ detonsio in Italiæ provinciis, sacrilegium furtum sanctissimæ Eucharistiæ vel sacræ pyxidis etiam sine divinis particulis, & crimen abortus fœtus animati (*b*). Ita in his criminibus vel primo judicio Clerici degradantur, & magistratibus traduntur ; sed ob alia crimina, etsi gravissima, tenent doctores, ad traditionem non esse veniendum, nisi antea gradatim aliæ pœnæ canonicæ irrogentur, & nihilosecius rei adhuc in malitiis hæreant. Sapit doctrina ista posteriorem disciplinam, quæ exemptionem Clericorum à foro civili veluti jure ecclesiastico, non ullo Principum beneficio competentem metitur.

Clerici depositi olim ad laicam communionem *redacti.*

§. X. Jam vero Clerici perpetuo depositi ex regulis veteris disciplinæ deinceps tantum *laicam communionem* accipiebant : quod Siricius summus Pontifex, Synodus Agathensis & Aurelianensis III. aliique Canones decernunt (*c*). Sed quæ fuerit *laica communio*, non una est omnium sententia. Bellarminus laicam communionem fuisse docet communionem sub una tantum panis specie (*d*). Contra Lindanus & Vossius (*e*) ad laicam communionem Clericos redactos sentiunt, quod depositi sacram Eucharistiam non intra sanctuarium, sed extra cancellos inter laicos perciperent. Rectius Albaspinæus,

Pe-

(*a*) Cap. 10. ext. de Judic.
(*b*) Conf. Bened. XIV. de Synodo diœcesan. l. 9. c. 6.
(*c*) Siric. ep. II., Conc. Agath. Can. L., Conc. Arelat. III. Can. II. Conf. Albasp. lib. 1. Observ. cap. 4.
(*d*) Belarm. de Euchar. lib. 4. cap. 24.
(*e*) Lindan. Panapl. lib. 4. cap. 58., Voss. Thes. theol. disp. 23. th. 5.

Petrus de Marca, Rigaltius, Cardinalis Bona aliique tenent (*a*), Clericos depositos ad laicam communionem fuisse redactos, quod deinceps tanquam veri laici cum Ecclesia communicarent, nullius juris aut functionis clericalis participes. Etenim laica communio nihil aliud erat, quam ipsa fidelium laicorum cum Ecclesia consociatio, cujus ratione illi de omnibus Ecclesiæ communibus bonis participes erant, ad nullum sacrarum ministerium obibant, nec servitii jure de rebus ecclesiasticis vivebant: quo sensu laica communio opponebatur communioni ecclesiasticæ stricte sic dictæ, quæ functiones ordinum & jura clericalia complectebatur. Itaque Clerici depositi & ad laicam communionem redacti, deinceps jure laicorum in Ecclesia censebantur, utpote qui omni gradu & officio dejecti omnibus clericalibus privilegiis cadebant. Hinc depositi Clerici clericalem vestem cum laica commutabant, tonsuram clericalem deponebant, & eorum nomina ab albo Clericorum expungebantur (*b*). Sed ubi depositio à degradatione distincta est, non sola depositio, sed potius degradatio ad statum laicorum redegit, nam depositi Clerici novis moribus adhuc inter Clericos censentur.

Depositio perpetua est.

§. XI. Depositio autem ex veteris disciplinæ regulis perpetua erat; semel enim depositus in perpetuum gradu suo excidebat, nec spes ferme supererat ulla, qua in pristinum honorem restitueretur. Et profecto Synodus Antiochena edicit, damnatum Presbyterum aut Diaconum, *nec ultra remedium consequi* (*c*): quod idem pluribus aliis Canonibus cavetur (*d*). Præsertim vero nulla erat spes restitutionis, si Clerici depositi ex veterum legum sententia curiæ addicti fuissent: nam quemadmodum vetus Ecclesiæ disciplina curiales ad ordines promoveri prohibebat (*e*), ita si quis Clericorum semel gradu suo ejectus & curiæ addictus esset, fieri non poterat, ut ad statum clericalem reverteretur. Verum Augustinus depositionem tum perpetuam videtur habuisse, si depositi condignam pœnitentiam non agerent. *Bene valet Sacerdos*, sunt Augustini verba (*f*), *restitui ad honorem suum post peractam pœnitentiam: licet in hoc diversi diversa sentiant, dicentes non posse restitui ad honorem: sed sic dictum est propter simulatas pœnitentias quorundam & propter affec-*

(*a*) Albasp. loc. cit. Petr. de Marca in cap. *Clericus*, Rigalt. in Cypr. ep. LII. ad Antonian., Card. Bona R. L. lib. 2. cap. 19. §. 3.
(*b*) August. serm. de Communi vita Clericor.
(*c*) Conc Antioch. Can. V.
(*d*) Can. II. IV. & XXXIII. D. 50.
(*e*) Conf. dict. part. 1. cap. 20. §. 14.
(*f*) Can. XXIII. D. 50.

fectatas honorum dignitates. Quidquid vero hujus rei sit, in nova disciplina depositis post pœnitentiam tantum indulgentia Sedis Apostolicæ, accedente proprii Episcopi consensu, restitutionem sperare licet.

Clerici depositi olim curiæ *adicti.*

§. XII. Perpetuæ ab officio dejectioni in veteri disciplina subinde accedebat pœna civilis, qua depositi Clerici *curiæ* addicebantur, ut constat ex Honorii & Justiniani Imperatorum legibus, quibus edicitur, ut Clericus propter improbitatem judicio Episcopi exauctoratus, aut alias spontaneus clericatus desertor, prout natales aut facultates ejus sint, curiæ addicatur (*a*). Curia in vetustis monumentis non est magistratus, qui juri dicundo aut publicis quæstionibus præerat, sed potius collegium civitatum inferiorum, eique addicti erant curiales seu decuriones, qui honoribus quidem curiæ fruebantur, at una cum substantia & posteritate sua ejus muneribus & expensis erant obnoxii. Itaque depositi Clerici dicebantur curiæ tradi seu addici, quod ab altaris obsequiis ejecti, & ad laicos redacti, ad civitatis curiam transibant (*b*). Addictio ista pœnæ loco videtur fuisse; & hinc depositi curiæ adscripti necessitatibus publicis obligabantur, & sæpe in humili officio & conditione curiæ serviebant, honoribus curialium fortasse expertes (*c*). Hoc sensu accipitur traditio curiæ etiam ætate posteriore, ut videre est in falsis decretalibus, in quibus sub nomine Fabiani Papæ Isidorus Mercator de Clerico deposito scribit, *curiæ tradatur, cui diebus vitæ suæ deserviat* (*d*). Quæ quum ita sint, in veteri disciplina traditio curiæ non eo spectabat, ut Clerici à magistratibus punirentur, sed potius ut illi curiæ perpetuo servirent. Tum necesse non erat, ut Clerici criminosi ab Episcopis tradi deberent magistratibus puniendi; nam Clerici in civilibus criminibus per omnia magistratibus subjecti erant, & præterea per depositionem omnibus clericalibus privilegiis exuti ad laicorum conditionem reducebantur.

Degradati traduntur magistratui puniendi.

§. XIII. Verum lapsu temporis ubi Clerici à potestate magistratuum per omnia exempti sunt, & respublica severiores sanguinis pœnas in assiduum usum recepit, invaluit, ut Clerici ab officio dejecti & solemniter degradati magistratui puniendi traderentur. Cui usui

(*a*) L. 39. C. Th. de Episc. & Cleric., L. 53. §. 1. C. de Episc.
(*b*) Conf. Gothofr. ad cit. l. 39.
(*c*) Conf. Juret. not. ad Ivonem ep. LIII.
(*d*) Can. XXXI. c. 11. q. 1., Can. XVIII. eod. & Can. VIII. c. 3. q. 4.

usui inducendo multum contulit mala interpretatio traditionis curiæ, quæ perinde accepta est, quasi ex Canonum sententia Clerici depositi & omnibus clericalibus privilegiis exuti magistratui puniendi tradi deberent (*a*). Hoc sensu formula *tradi curiæ* sæculo undecimo, ubi civitatum collegia nulla erant, accipiebatur, quod ex Ivone Carnotensi constat (*b*). Traduntur vero Clerici magistratibus certo quodam ordine: nam primum deponuntur; deinde si in malitia perseverent, excommunicantur; postea crescente contumacia anathemate feriuntur, hoc est novis adhibitis execrationibus excommunicantur, & demum ubi in profundum malorum venerint, degradantur, & magistratibus puniendi traduntur, ut Clemens III., seu Celestinus III. rescripsit (*c*). Quæ quidem tradendi forma deinceps ad ea crimina restricta est, quibus per Canones degradationis pœna non irrogatur. Quod vero Ecclesia abhorret à sanguine, Episcopus degradatum magistratui traditurus, statim pro eo intercedit, ut citra sanguinis effusionem sententia moderetur: qua intercessione Episcopum non fieri à Canone alienum receptum est (*d*), etsi interim integrum sit magistratui ad mortem usque sævire. Cæterum moribus hodiernis depositiones vix usurpantur, multo minus degradationes: etenim *nunc temporis*, inquit Pontifex Benedictus XIV (*e*), *Sacerdotes aliique Clerici, tam majorum, quam minorum ordinum ad triremes libere amandantur, vel etiam perpetuo carceri mancipantur, sine prævia verbali multoque minus, reali degradatione*; nisi enormitas criminis & necessitas obsequendi votis popularibus regiisve insinuationibus aliud expostulent. Sed damnatio Clericorum ad triremes pontificias in provinciis temporali Ecclesiæ dominio non subjectis tum locum habet, si Principes patiantur.

Character degradatis aliquando impressus.

§. XIV. Jam ex regulis Decretalium Clericis degradatis, seu depositis aliquando nota quædam seu character imprimebatur, quo ab aliis possent internosci. Et quidem de Clericis, qui sigillum Regis Francorum falsificaverant, Urbanus III. rescripsit, ut degradati in signum criminis charactere aliquo impresso notentur, & in exilium extra provinciam pellantur (*f*). Solemnis apud Romanos mos fuit, reorum & servorum delinquentium frontem, seu faciem charactere inuri, quo crimen admissum designaretur: in primis vero calumniatorum fronti ex lege Remmia K littera inuri debebat, qua

(*a*) Couf. Alteser. de Jurisd. eccles. lib. 9. cap. 7.
(*b*) Ivo Carnot. ep. LIII. & LXVI.
(*c*) Cap. 10. ext. de Judic.
(*d*) Cap. 27. ext. de V. S.
(*e*) Bened. XIV. bull. *Quam grave* 69. §. 16. tom. 4. Bullar.
(*f*) Cap. 3. ext. de Crimine falsi.

qua denotabatur inustum esse calumniatorem, quod veteres kalumniam scriberent, qua de re eruditus Brencmanus plura congessit (*a*). Hinc servi talibus signis inusti Latinis *litterati* dicebantur. Inde Constantinus M. non licere statuit, faciem hominis stigmate aut nota aliqua maculari, quod facies hominis ad similitudinem cælestis pulchritudinis figurata sit (*b*). Ita mirari subit, Pontifices eo severitatis devenisse, ut Clericos graviorum criminum reos stigmate notarent, præsertim quando hæc pœna prorsus civilis sit & infamiam irroget. Ad hanc maculam eluendam interpretes ferme omnes observant, Clericis non adeo profunde characteres impressos, ut sanguinem elicerent, & potius cutis superficiem fuisse deformatam, nec præcise in fronte, aut facie, sed in aure, manu, aut alia corporis parte impressos fuisse (*c*). Emolliunt quidem ista characteris impressi pœnam, sed semper verum est, non sapere pœnam ecclesiasticam.

Pœna canonica erat etiam regradatio.

§. XV. Inter pœnas ecclesiasticas proximum à depositione locum tenet *regradatio*, quæ est depositione minor. Militare vocabulum Latinis erat regradatio (*d*), quo denotabatur militis in inferiorem militiam rejectio (*e*). Ita regradari dicebantur Clerici, qui de suo ad inferiorem ordinem, aut ordine suo retento ad ultimum sui ordinis locum dejiciebantur. Hoc modo Nicæna Synodus animadvertit in Episcopos Novatianos ad Ecclesiam reversos; statuit enim, ut Presbyteri officio in Ecclesia catholica fungerentur, nisi forte Episcopo alicui catholico placeret, nomen & honorem Chorepiscopi in diœcesi sua eis impertire (*f*). Et Synodus Neocæsariensis Diaconum, qui in peccatum aliquod impudicitiæ inciderit, in ordinem Hypodiaconorum descendere jubet (*g*). Item Synodus Trullana Diaconum in ecclesiastico conventu sedere ausum sui ordinis ultimum voluit (*h*). Similiter Hibernense Concilium statuit, ut Presbyter fornicator psalmos in choro ultimus caneret (*i*). Cæterum Clericorum regradatio, saltem Episcoporum, Concilio Chalcedonensi placuisse non videtur; nam in uno illius Concilii Canone sacrilegium dicitur, Episcopum in Presbyteri gradum deducere (*k*).

Ju-

(*a*) Brencman. de Legis Remmiæ.
(*b*) L. 17. C. de Pœnis.
(*c*) Conf. Gonzalez in cit. cap. 3.
(*d*) L. 2. C. Th. de Cursu publ.
(*e*) L. 3. de Re militari.
(*f*) Conc. Neocæsar. Can. VIII.
(*g*) Conc. Nicæn. Can. X.
(*h*) Conc. Trull. Can. VII.
(*i*) Ap. Grat. Can. V. D. 82.
(*k*) Conc. Chalced. Can. XXIX.

Juniores Clerici olim verberibus cæsi.

§. XVI. Item inter pœnas in veteri disciplina ab Episcopis infligi solitas erant verbera, quibus juniores Clerici ob levia delicta affici solebant, ut in Conciliis Agathensi, Epaonensi & Matisconensi videre est (*a*). Quin Justinianus edixit, ut Clerici minores, qui falsum testimonium sive in pecuniaria, sive criminali causa dixerint, ab oficio dejecti verberibus subdantur (*b*). Verum ejusmodi coercitio satis moderata videtur fuisse, & potius ad emendationem, quam ad vindictam spectasse. *Qui modus coercitionis*, per virgarum nempe verbera, inquit Augustinus (*c*), *á magistris artium liberalium & ab ipsis parentibus & sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.* Et sane flagellationis & verberum hic modus videtur fuisse, ut non ultra triginta novem ictus excurreret: de Clericis etiam junioribus, qui alios Clericos apud magistratum accusaverant, Synodus Matisconensis statuit, *ut uno minus de quadraginta ictus accipiant* (*d*). Qui modus verberandi ad regulam instituebatur in lege Mosaica præscriptam, ne amplius quadraginta ictus infligerentur, quamvis si crimen atrox esset, post aliquot dies verbera repeti possent, quod auctor *historiæ flagellantium* observat (*e*). Etiam apud monachos obtinuit verberum coercitio; constat enim, monasteria omnia habuisse flagella ad castigandos monachos juvenes, & qui protervius aliquid fecissent.

De communione peregrina.

§. XVII. Alia pœna canonica, quæ Clericis in veteri disciplina irrogabatur, erat *communio peregrina*, cujus pœnæ Synodi Regensis, Agathensis & Ilerdensis mentionem faciunt (*f*). Quid vero fuerit communio ista peregrina Clericis in criminis pœnam indicta varie explicatur, omniumque sententias Binghamus refert & expendit (*g*). Illa videtur probabilior sententia, Clericos in sua Ecclesia ad communionem peregrinam redactos vixisse quidem de bonis Ecclesiæ, at interim omnibus officiis clericalibus & precum communione exclusos fuisse. Sane communio peregrina à peregrinis, seu christianis, qui extra suam Ecclesiam versabantur, nomen accepit. Peregrini autem litteris formatis, quibus de eorum fide & moribus constaret, destituti, in precibus & Eucharistia in alienis Ecclesiis communicare vetabantur, teste Synesio (*a*); at interim ab Ecclesia alimenta, si pauperes essent, accipiebant. *Ubi necessaria eis* (peregrinis) *suppeditaveris, ad communionem non admittitote*, ut unus ex sic dictis apostolicis Canonibus edicit (*b*). Itaque peregrina communio Clericis irrogata genus pœnæ fuit, qua Clerici in sua Ecclesia ad conditionem peregrinorum reducebantur; & idcirco vivebant quidem ex propriæ Ecclesiæ reditibus, at interim usu suorum ordinum & ipsa commnione precum & Eucharistiæ prohibebantur. Interim Clerici ad peregrinam communionem redacti facile per pœnitentiam (quæ privata, non publica videtur fuisse) pristinum gradum recuperabant: in quo à laica communione distabat communio peregrina (*c*).

Clerici criminosi sæpe in monasteriis inclusi.

§. XVIII. Detrusio Clericorum in monasterium ad agendam pœnitentiam frequens fuit in veteri disciplina, ibi enim cæterorum hominum oculis subducti facilius pœnitentiæ exercitationes subibant, & peccatorum occasiones evitabant. Includebantur vero Clerici delinquentes in monasterium, tam si ad tempus officio suo abstenti essent (*d*), quam si perpetuo depositi in laicam communionem rediissent (*e*). Quando ad tempus abstentio irrogabatur, monasterium commoda erat statio, qua Clerici privatis pœnitentiis se idoneos ad sacrum ministerium iterum obeundum redderent. Præsertim vero perpetua detrusio in monasterium obtinere debuit, postquam Clerici ab imperio magistratuum etiam in criminibus civilibus exempti sunt: nec enim æquum erat, ut ob publica crimina ab officio depositi deinceps in civitate cum reliquis civibus versarentur. Interrogatus Innocentius III. qui Clerici in latrociniis & aliis magnis sceleribus deprehensi puniri deberent, respondit, *quod à suis ordinibus degradati, detrudi debeant in arctis monasteriis, ad pœnitentiam peragendam* (*f*). Sed hoc pœnæ genus in usu esse desiit tum propter repugnantiam Monachorum, qui exemptionibus aucti non parebant Episcopis Clericos in monasteria relegantibus; tum etiam quia non erat satis tuta in monasteriis detentorum custodia & periculum etiam erat, ne malis Clericorum moribus Monachi ipsi corrumperentur.

Car-

(*a*) Conc. Agath. Can. XXXVIII. & XLI. Epaon. Can. XV., Matisc. Can. III. al. V.
(*c*) Novell. CXXIII. cap. 20.
(*c*) August. CLIX. ad Marcellinum.
(*d*) Conc. Matisc. Can. V. al. VIII.
(*e*) Auctor. hist. Flagell. cap. 5. & seq.
(*f*) Conc. Regense an. CDXXXIX. Can. III., Agath. Can. V., Ilerden. I. Can. XV.
(*g*) Bingh. Orig. eccles. lib. 17. cap. 3.

(*a*) Synes. epist. LXVI.
(*b*) Can. apost. XXXIV.
(*c*) Conc. Agath. Can. II.
(*d*) Novell. CXXIII., cap. 2., Conc. Hispal. can. III.
(*e*) Conc. Agath. Can. L., Conc. Epaon. Can. XXII.
(*f*) Cap. 6. ext. de Pœnis.

Carcer Clericis in pœnitentiam inductus.

§. XIX. Nec tantum vetus Ecclesia Clericos in monasteria ablegabat, verum etiam eos, sive ad tempus, sive in perpetuum pœnitentiæ causa custodia strictiore & veluti carcere coercebat. Cui usui inserviebant diaconica & sacrorum vasorum æraria, & quandoque etiam cathecumenia (*a*), seu loca in altum navis Ecclesiæ elaborata. Quia Patres Concilii Toletani XI. memorant *ergastulum*, in quo Clerici depositi perpetuo includebantur (*b*). Et in ipsis Canonicorum monasteriis erant loca secretiora, quo pervicaces & inemendabiles detrudebantur (*c*). Ex his moribus sensim invaluit, ut Episcopi carceres haberent, in quibus, sive in perpetuum, sive ad tempus Clerici delinquentes in pœnitentiam coerceri possent. Est quidem jure civili carcer non in pœnam, sed ad eorum custodiam institutus; at jure decretalium etiam in pœnam decernitur, quod ad agendam pœnitentiam haberi cœperit. Hinc Innocentius III. rescripsit Episcopo Parisiensi, ut Clericum falsarium, *in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam includat, pane doloris & aqua tristitiæ sustentandum, ut commissa defleat & flenda alterius non committat* (*d*). Et Bonifacius VIII. præfatus, quod carcer ad reorum custodiam sit institutus, se non improbare ait, ut Clerici criminum convicti, spectatis delictorum & personarum adjunctis, sive in perpetuum, sive ad tempus ad agendam pœnitentiam in careres detrudantur (*e*). Qua recepta disciplina Clerici delinquentes coercendi non sunt publicis & civilibus carceribus, qui loca apta ad pœnitentiam non sunt; sed Episcopi ex assensu saltem tacito civilis potestatis habere cœperunt proprios carceres, ad quos Clericos delinquentes in pœnitentiam ablegarent.

De multis, quæ in foro ecclesiastico irrogantur.

§. XX. Inter pœnas ecclesiasticas censetur etiam multæ dictio, seu pœna pecuniaria, quæ procul dubio lapsa demum ecclesiastica disciplina ex usu pœnitentiarum originem habet. Nimirum semper in Ecclesia receptum est, ut Sacerdotes pœnitentiæ præfecti eleemosynarum largitionem pœnitentibus in suorum peccatorum remedium imponerent, ut ita peccata redimerent secundum Scriptura-

(*a*) Greg. II. epist. ad Leonem Isaurum tom. 7 Conc. gener. col. 26.
(*b*) Can. XXX. c. 23. q. 8.
(*c*) Reg. canonic. an. DCCCXVI. in Conc. Aquisgr. cap. 134.
(*d*) Cap. 27. §. 1. ext. de V. S.
(*e*) Cap. 3. de Pœnis in 6.

rarum doctrinam (*a*). Ubi forum externum ab interno separatum est, judices ecclesiastici consuetudine quadam fori, exemplo fortasse judicum sæcularium, multas decernere cœperunt occasione ab eleemosynis, quæ in foro interno imponebantur, arrepta. Probavit hunc usum Synodus Tridentina edito Canone, quo permittit judici ecclesiastico, ut in causis civilibus ad forum Ecclesiæ pertinentibus multas etiam contra laicos irrogare possit (*b*). Interim etiam in foro externo multæ pristinum eleemosynarum ingenium retinuerunt: & hinc sicuti Sacerdotes, qui præsunt confessionibus, sollicite cavere debent, ne ex eleemosynis in pœnitentiam injunctis utilitati suæ consulant, ita cautum ne judices ecclesiastici multas in totum, vel pro parte in usum suum convertant (*c*). Sane Synodus Tridentina statuit, ut pœnæ pecuniariæ ab judicibus ecclesiasticis inflictæ in eleemosynas, aut alium pium opus impendantur (*d*). Verum non facile pœnæ pecuniariæ irrogandæ, ubi crimen aliam pœnam canonicam requirit: quo spectare videtur Alexander III., qui Archidiaconis Conventrensis episcopatus severe vetuit, ne in emendationem criminum Clericis & laicis pœnas pecuniarias irrogent (*e*). Et scite observat Fagnanus (*f*), Antistites, qui facile pœnas pecuniarias exigunt, vehementem exhibere avaritiæ præsumptionem. Infligunt vero judices ecclesiastici moribus hodiernis multas tantum in Clericos, non in laicos. Et certe nec alibi, nec apud nos recepti sunt Canones Tridentini, quibus conceditur Episcopis multas in laicos irrogare (*g*).

Ecclesia jure pellendi in exilium caret.

§. XXI. Videamus modo, num Ecclesia pro jure suo possit exilio damnare. Exilium supponit territorium, extra quod rei pellendi sunt: quum vero Ecclesia territorium non habeat, nec jus pellendi in exilium potest habere (*h*): quod multis Ecclesiæ decretis edicitur. Et quidem sub nomine Concilii Antiocheni refertur in decretalibus, Clericum excommunicatum & emendari nescium, *Regis judicio ad requisitionem Ecclesiæ exilio* damnandum (*i*): quibus verbis evidenter constat, ad civilem potestatem exilii pœnam pertinere. Et Pelagius Papa ad Narsetem patricium de Episcopis,

(*a*) Daniel. IV. v. 24., Eccles. III. v. 33.
(*b*) Trid. sess. XXV. de Ref. cap. 3.
(*c*) Cap. 13. §. 2. ext. de Off. ordin.
(*d*) Trid. sess. XXV. de Ref. cap. 3.
(*e*) Cap. 3. ext. de Pœnis.
(*f*) Fagnan. in cit. cap. 3. n. 3.
(*g*) Trid. sess. IV. cap. *Insuper*, & sess. XXV. de Ref. cap. 3.
(*h*) Conf. Feuret. de Abusu lib. 8. cap. 4. n. 11. & Alteserr. de Eccles. jurisd. lib. 9. cap. 15.
(*i*) Cap. 2. ext. de Cleric. excomm. minist.

pis, qui Ecclesiam in partes scindebant, scribit, eos *non solum exiliis, sed & proscriptione rerum & dura custodia per publicas potestates*, hoc est per sæculi magistratus, *debere coerceri* (*a*). Item Cælestinus III. seu Clemens III. de Clericis degradatis & magistratui in pœnam traditis, id habet, eis *deputari exilium*, vel aliam pœnam legitimam inferri (*b*) : quod aperte supponit, civiles potestatis esse exilio damnare. Interim recte potest Episcopus Clericos alienos, qui in sua diœcesi morantur, ob malos mores ad proprios Episcopos dimittere : dimissio enim ista exilium non est, & potius pertinet ad Canonum executionem, qui Clericos suis Episcopis addicunt, nisi per beneficium alteri Ecclesiæ adscripti sint.

Explicantur vetera monumenta de exilio.

§. XXII. Huic autem doctrinæ, quæ habet, Ecclesiam jure pellendi in exilium carere, multa veterum monumenta videntur obstare. Gregorius M. cuidam Episcopo mandat, ut Hypodiaconum calumniatorem officio dejiciat, & verberibus publice castigatum *faciat in exilium deportari* (*c*). Et ante Gregorium in Synodo quinta Romana sub Symacho statutum est, ut qui adversa Pontificibus & decretis ejusdem Synodi moliuntur, *pœnitus abjiciantur, & exilio, suis omnibus sublatis, perpetuo tradantur* : quæ verba Gratianus refert (*d*). Proponitur quoque exilium in falsis decretalibus contra Episcoporum persecutores & sacrilegos prædiorum ecclesiasticorum invasores (*e*). In his aliisque similibus locis *exilium* per quandam catachresim accipiendum esse tradunt viri docti, & fortasse pro ipsa in monasterium detrusione : in quam sententiam facere videntur formulæ illæ in ecclesiasticis scriptoribus non raræ, *exilio in monasteriis relegare, in monasteria tanquam in insula relegari, in æternum exilium detrudere*. Sed hac catachresi mihi opus esse non videtur. Gregorius M. mandavit Episcopo, ut Hypodiaconum calumniatorem *in exilium faciat deportari*, utique à magistratu, cujus potestatem Episcopus debebat implorare. Et sane male in decretalibus ita verba Gregorii exhibentur, ut ipse Pontifex veluti proprio jure exilium videatur irrogare (*f*). Porro in verbis Concilii quinti Romani sub Symmacho per Gratianum relatis videtur legendum, *exitio perpetuo* : etenim similis formula in Synodo Romana sexta ejusdem Symmachi extat, ubi de rerum ecclesiasticarum injustis detentoribus dicitur : *ne illi in ruinam incidant, & perpetuo dam-*

(*a*) Can. XLIII. c. 23. q. 7.
(*b*) Cap. 10. ext. de Judic.
(*c*) Greg. M. lib. 11 ep. LXXI.
(*d*) Can. III. c. 3. q. 5.
(*e*) Can. IX c. 3. q. 4., Can. XIII. c. 17. q. 4.
(*f*) Cap. 2. ext. de Calumniatorib.

nentur exitio. Et facile potuit evenire, ut unius litteræ mutatione exitium in exilium abiret, præsertim quod exilii vox proprior videretur. Falsas demum decretales nihil moror, utpote quæ ab homine consarcinatæ sunt, qui tenebat, Ecclesiam etiam pœnas civiles damni, honoris posse irrogare (*a*). Ita gaudeo, novis his observationibus finem universo operi imponere.

(*a*) Conf. superius dicta cap. de Pœnis &c. §. 8.